




H

Laureis Vincentii Alfonsi Lorente Medicina Doctoris
vini





2 400 50
MADE IN SPAIN



H

De Urbis Vincentii Alfonsi Lorente Medicina Doctoris Valen

Vini
[Signature]



17-8247

GALENI

OMNIUM OPERUM


SECUNDA CLASSIS.

*Hac secunda Classe contineri volumus ea, quae ad sanitatem, morbumque,
& item ad eorum causas, & signa pertinent.*

Atque in ea plerosque libros nuper in latinam linguam conuersos,
ceteros mendis purgatos uobis damus.

Quorum Index uersa pagina descriptus est.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS,
Apud Vincentium Valgrifium.
M D L X I I.

men habentibus compositionem ex omni parte perfectam. Quod si & lapides ipsos aliquo pacto pati E contingeret, uarios sane modos ac multiformes domus eadem in suscipiendo magis ac minus admittet. Si uero & corporum nostrorum elementa eam naturam habent, ut & pati & alterascere possint, non in compositione & partium formatione tantum, sed in totis seipsis, magis minus uel corpora ipsa recipient. Atque ex eo ipsa per se tota, tot morborum genera contrahent prima atque simplicia ac ueluti aliorum elementa, quot fuerint componentia. Quod uero sub his uerbis per tota alterari significamus, impassibilibus elementis nequit accidere. Neque enim fieri potest ut in se sterile corpus, quod atomum appellant, quicquam patiat, sed in compositione ac formatione duntaxat passio contingit.

Triplicem esse animantium corporum compositionem. Cap. 3.

Compositio autem atque formatio in corporibus animalium triplex reperitur. Prima quidem earum partium quae similes appellantur, ueluti arteriarum, uenarum, neruorum, ossium, cartilagineum, ligamentorum, membranarum, & carni. Secunda instrumentalium, cerebri, cordis, pulmonis, hepatis, uentris, splenis, oculorum & renum. Tertia uero totius corporis. Etenim harum unaqueque partium instrumentalium, ex aliis quibusdam simplicibus ut ad sensum est constituta. Illarum uero quaelibet, ex primis constat elementis. Carnis igitur quatenus caro est, in compositione tantum quatuor elementorum differentia consistit: at quatenus pars est instrumentorum alicuius, in formatione & magnitudine, & ipsorum itaque instrumentorum, in eisdem erunt discrimina. Vbi itaque dixerimus de partium similiarum morbis quot numero sint, & qui nam iuxta suppositionem primam, uenimus ad secundam, ad eam scilicet quae totam per totam substantiam alterari & transmutari supponit.

Quae sint prima genera ac differentia morborum. Cap. 4.

Sunt autem duae primae passiones, altera ampliatio meatuum, altera angustatio. Nam si prima elementa supponantur impassibilia, nullae erunt aliae praeterquam in compositione passiones. Omnis autem compositio ea quae nuper diximus discrimina recipit. Quare necesse est similiarum quamlibet partium suum robur, cum meatuum moderationem obtinet. Qua moderatione corrupta, a naturali dispositione digrediar oportet. Sed quoniam unaquaeque mediocritas duplicem patitur corruptionem, alteram exuperantiam, alteram defectum, liquet quod primae passiones corporum simplicium duplices erunt, quarum altera ex ampliacione, altera ex angustacione meatuum consistunt: & os igitur & caro & aliarum unaquaeque partium, quae si ad iudicium sensus referantur, simplices sunt, cum autem densitatem, aut raritatem immodicam habuerint, male affectae esse censentur. Quod si in utroque excessu mediocritatem seruauerint, quantum utique earum operationibus fuerit maxime opportunum, tunc utique supremum sanitatis gradum obtinere dicentur. Breues uero a medio ad utrumque extremorum euerfiones, donec partis operatio omni noxa sensibili caruerit, nequaquam aegritudines appellabimus. Plurima uero in his maioris & minoris ratio inuenitur, ut utpote in salubri & morbida natura magnum occupante interuallum, cum ab exquisitissimo sanitatis modo & temperie recefferit, unde in hoc spatio omnes sanorum differentiae locabuntur. Secundum ab hoc quod sequitur interstitium, in quo sensibilis apparet a mediocritate recessus, obtinent morbi, donec ad tantam immoderationem natura peruenit, quod membro interitum afferat. Neque enim animalium corpora eam habent a natura proprietatem, ut quomodocumque rarefcere aut densescere possint, sed & huic rei limites natura constituit, quos praeterire citra dissolutionem corruptionemque sit impossibile. Et corporum quidem impassibilium suppositio ita se habet. At qui elementa pati supponunt, mutuisque inter se actionibus per se tota commiseri ac temperari, quocumque numero prima constare elementa supponant, totidem primas esse aegritudines necessario fatebuntur. Age igitur, sint prima elementa, numero quatuor, calidum, frigidum, humidum, & siccum, quibus inuicem moderate confusis sanum sit animal, immoderate uero, aegrotum, erunt consequio aegritudines quatuor. Prima, caliditas quae naturalem excefferit symmetriam. Secunda, frigiditas. Tertia, humiditas. Et quarta, siccitas. Hi sunt iuxta secundam suppositionem morbi uniuersi earum partium quae similes appellantur, qui sane & simplices omnino esse uidentur. Compositorum uero in nobis instrumentorum aegritudines, utrique suppositioni communes existunt. Has igitur breui sermone exequemur. Sed hoc ipsum, praeter omnibus quemadmodum communes sunt, ostendamus. Cum oporteat membrum quodlibet ad sensum compositum (quod & dissimilare appellant) si recte opus suum perficere debeat, non ex qualibuscumque simplicibus particulis, neque ex numero, aut magnitudine qualibet non satis opportuna, neque ex quouis modo compositionis, constare, in quatuor his generibus quauis instrumentorum aegritudo consistet. Proprias autem unumquodque genus suscipit differentias, (Id quod primo diximus loco,) cum forma membro conueniens fuerit uitata, quoniam scilicet uel figuram incommodam, uel concauitatem, uel meatum acceperit, aut unum aliquid horum amiserit quod adesse oportuerat. Ex hoc genere etiam sunt lauitas & asperitas non commode permixtae. Secundi generis, quod ad numerum spectat, in primis ac simplicibus partibus duplex est morborum differentia, aut quia deficiat aliquid quod haberi erat opportunum, aut superabundet quod minime sit necessarium. Tertij quoque generis, quod consistit in magnitudine, duplex est morborum differentia, si quid aut nimium adoleuerit quod minus esse decuerat, aut nimis sit extenuatum quod maius esse expediebat: ex quo fit ut totum instrumentum non recte suum impleat officium. In reliquo autem genere morborum secundum compositionem, aut positu uariato naturali, aut mutata partium commu-

Al sola

Ex cod. grae impressis uertendū. utpote cum magnum sit interuallū ab immoderatione morbida ad moderationem exequi site salubrem. Aliqui tamen antiqui codices habent, utpote cum magno sit interuallum ab immoderatione salubri ad moderationem exequi site salubrem.

Al. f. r. d. 3. c. 1. p. 9. b

Forte abundat hac dictio.

Al. f. r. d. 3. c. 1. p. 9. b. Aliq. cod. graeci habent σκαμμεα. i. squammas ut leon. transtulit, impressi tamē τρωαειδης κρωπεραδης. i. incensa & ambulata.

Anicatione, differentiae constituentur. Quemadmodum uero prima quaeque instrumenta, aut integram ex simplicibus corporibus compositionem, aut uitiosam sortiuntur, atque ex eadem causa uel sana sunt, uel morbida: ita rursus ex his ipsis instrumentis primis, coagmentantur secunda. Musculus enim & uena & arteria inter prima instrumenta connumerantur, digitus uero inter secunda: atque hoc magis pes, & pede magis crus. Vniuersaliter enim quaecumque ex similibus partibus coalescentibus unius operationis gratia sunt constituta, inter prima instrumenta censentur. Quaecumque uero rursus ex his componuntur, etsi uni totius instrumenti actui quam maxime obseruiunt, inter secunda connumerantur. Eadem uero & horum instrumentorum erunt aegritudines, quae dicuntur esse primorum. Sed instrumentorum differentias alibi executi sumus, quae potissimum prima appellantur, & quae secundo post haec, & quae tertio & quarto ordine collocentur. Quippe sunt aliqua quae ambiguas utrinque habent notas, ut uideantur, tum ad primum, tum ad secundum ordinem pertinere. Hoc uero in loco non adeo ad exactum est consideratio redigenda. Id unum tantum animaduertere oportet, simplexne ad sensum, an composita sit animalis particula. Simplicis enim, primae (de quibus diximus) aegritudines, naturalium elementorum differentia determinantur. Ad compositam autem secundae pertinent, quae utrique suppositioni communes existunt. Nullum uero aegritudinis genus, neque in simplicibus, neque in compositis corporibus insuper reperitur, quod utrisque sit proprium. Siquidem uia diuisionis id impossibile ostenditur. Vnum tamen commune est omnium & simplicium & compositorum corporum, siue prima sint instrumenta, siue secunda, siue tertia, quod nunc explicabimus. Ad huius uero inuentionem, uia nobis praestat, quaedam in omnibus dictis particulis natura communis. Si quid enim commune omnibus insit, quatenus secundum naturam se habere dicuntur, quod uel usum aliquem, uel actum animalibus largiatur, omnino eo corrupto communis quidam affidet morbus. Sed quidnam hoc est quod omnibus commune existat? Suarum unicuique unitas partium. Quae, cum affuerit, causa erit ut pars qualibet una esse dicatur, unumque actum uel usum perficiat. Quod si qua solutio contingat, partis illius erit aegritudo. Quam uero appellationem in singulis partibus aegritudo sortiatur, paulo inferius dicemus, quando dictorum generum differentias, in species secabimus particulares.

De morbis partium similiarum. Cap. 5.

Idigitur iam exequamur, rursus a prima suppositione exordientes. Duae, iuxta hanc, in similiaribus partibus erant aegritudines, quae meatuum immoderatione constabant, uel eorum scilicet ampliacione uel angustacione. Vtriusque uero earum est differentia duplex, angustacionis quidem corporis, undique in seipsum compressio, atque ipsorum obstructio meatuum. Ampliacionis autem, eiusdem corporis ad omnem partem extensio, ac meatuum quaedam ueluti expansio, contingens ex concursu elementorum, quae proprie corpora appellari affueuerant cum prima ac simplicia sint. Siquidem quae ex ipsis sunt compositiones, uocantur syncrimata, id est concreciones. Iuxta uero suppositionem secundam duae sunt aegritudinum differentiae, cum uidelicet partes similes nonnunquam solis qualitatibus alterantur, nonnunquam uero ad easdem partes aliqua conflente substantia in qua eadem sunt qualitates. Et secundum quidem modum, ex quo tumor aliquis corporibus aduenit, nemo fere medicus ignorat. Nam & erysipelata, & inflammationes quas Graeci phlegmonas uocant, & tumorum genera, quae ab eisdem oedemata, phymata, & phygethla appellantur, & strumae, elephantiasis, scabies, lepra, uiriliginis, tumores duri, in hoc genere comprehenduntur. Qui omnes morbi adeo sunt euidentes, ut neminem possint latere. At quos sola intemperies primarum committit qualitatum, ij non omnibus ita patent, nisi cum plurimum a naturali habitu pars recefferit. Tunc enim facile affectus ipse ab omnibus deprehenditur, ueluti qui superante caliditate ac totum obidente animalis corpus, febris nuncupatur. Eadem uero caliditas quandoque in singulis animalis partibus sensui subiicitur, ueluti in cruribus cum quis nimium ea ambulando fatigauerit, aut in manibus cum remigando, aut agrum fodiendo, siue aliquid tale faciendo ad lassitudinem usque peruenit. Tunc enim & ipsis qui labore oppressi sunt, & aliis tangentibus, feruidiores sentiuntur. Quod si ex alicuius humoris profluuio magnus quidam tumor parti adiectus sit, erit ex secunda morborum differentia. Ex prima autem erunt, & illa quae nuper connumerauimus, & si qua praeterea dispositio aut ex solis adustione, aut ignis calefactione, quae admodum eae quae squammas appellantur, in certa animalis parte, aut toto corpore contrahatur. Cum uero morbus frigidus est, calido quidem contrarius, in extremis quandoque partibus usque adeo patens dispositio contingit, ut ipsae emortuae decidant. Nec minus uniuersum aliquando patitur corpus, sicuti iter aegribus in ualido frigore accidit. Nam plerique ex his in ipsa uia commoriuntur, plerique uero antequam domum perueniant, ad hospitium algidi ac semianimes deferuntur. In morbo autem attonito, & comitiali (alterum apoplexiam, alterum epilepsiam Graeci appellant) & tremore, & distentione neruorum, (qua Graeci spasmodum uocant) talis saepe accidit passio. Nam & ij quos in itinere usque ad mortem frigus oppressit, talibus rigoribus corripiuntur, quales Graeci emprosthotonos, opisthotonos, ac tetanos appellant: [quoniam modo in anteriorem, modo in posteriorem, modo in nullam flectitur partem, sed reuertum atque immobile corpus intenditur] Nonnulli autem his passionibus quas congelaciones nominant, affliguntur. Alij simile quid ijs qui morbo attonito laborant, patiuntur. In his uero ipsorum omnibus in quibus superuenit aliquod, ipsum multorum distrahit intelligentiam, ut accidens ipsum putent aegritudinem, atque aegritudinem accidentis causam. Nam qui operationum laesiones putant, aegri-

rudines, hi non absq; ratione, neruorum distensiones, insensibilitates, torpores, & reliqua huiusmodi, ægritudines uocant. Nos uero ab initio de nominibus edocuimus, ne quempiam forte lateret in hisce omnibus, non de rebus, sed de uocabulis tantummodo discipulari. Illos potius quispiam iure meritoq; taxabit, qui suam non seruant hypothesin. Sed licet aberrant, plus se tamen ceteris sapere existimant. Audire enim licet eos cum interdum distinguere conantur, dicentes: Si neruorum distensio sequatur in inflammationem, ipsam esse aduentitium quoddam, atque accidens inflammationis: si uero solam intemperiem, ægritudinem. Hæc de febre ipsa arbitrantur, nimirum si post sensibilem alicuius membri aduenit affectam, accidens esse. Alioquin, ægritudinem ac passionem esse censendam. Qui quidem ob id sunt accusandi, quod non expectantes donec ab alijs confutentur, ipsi se ipsos reuinciunt. Qui uero supponunt operationum læsiones appellari morbos, neque à primo discedunt instituto, licet aliud quoddam simile sit quod illi minime aduertunt, in nominibus tantummodo decipi, res uero ipsas recte affectas, sunt existimandi. Sed de omnibus ad medicinam pertinentibus nominibus, est à nobis alibi plenius explicatum. Et si quis recte his uti cupiat, librum illum curiosius inspiciat. Quoniam uero hic locus rerum cognitionem præcipue desiderat, ea quæ deinceps sequuntur (seruata quam diximus nominum ac uocabulorum proprietate) aggrediamur. Diximus de calidis & frigidis affectibus, qui omnis substantiæ effluentia vacant. Eadem ratione & humidæ, & siccæ consistent ægritudines, tota alterascente corporum natura, nullam extrinsecus materiam in sese recipientium. Exiguæ itaque permutationes, non facile deprehendi possunt: Magnæ uero manifestissime patent, in membris præsertim quæ emoriuntur, Nam quædam ueluti salita ac ualde exiccata apparent, id uero non ita erebro euenire solet: quædam adeo mucosæ & relaxata uisu ac tactu sentiuntur, ut si aliquam ex ipsis partem manibus tractandam accipias, protinus effluat, atque instar aquæ excidat digitis: hoc idem in putridis ossibus usu contingit. Alia enim non longe ab arena distare uidentur similia his lignis quæ sunt uetustate corrupta: alia ueluti mucida sunt. Quæ omnia humiditatis vel siccitatis immoderata intemperies ad mortem perduxit. Omnes uero alij exigui membrorum à naturali temperamento recessus à multis ignorantur, & ab eisdem imbecillitates appellantur. Nam si inflammatio, aut ulcus, aut aliquid huiusmodi ventriculum affecerit, nullam præterea causam cur cibum non decoquatur exquirunt. Si uero nihil horum sit, aiunt esse uentriculi imbecillitatem, tanquam aliquid dixerint præter id quod sit euidensissimum, malam uidelicet ciborum coctionem. Quid enim eos aliud dicere arbitrandum, nisi uentriculi in suo opere perficiendo debilitatem? Hoc autem non est quod quærebatur, sed causa potius eiusdem debilitatis. Cur enim uentriculus suum officium debilitate impleat, cum neque ulcere, neque inflammatione, neque tumore indurato, neque simili aliquo morbo afficiatur? Neque enim illi, sine ulla omnino causa, concoquendi cibum facultas eripitur. Quare relinquitur ut, aut immodicos meatus, aut qualitatum intemperiem causari sit necessarium. Ex quo etiam illud facile intelligitur, nulli earum ægritudinum quæ partibus similibus accidunt, posse unquam rectam curationem adhiberi, nisi primorum elementorum animaduersio fuerit adiuncta. Sed aduersus hos alibi, quemadmodum expedire uidebatur, differuimus. At quod præsentis interest loci, agnoscere oportet uentriculi imbecillitatem, aut uenæ, aut arteriæ, aut musculi, aut aliorum (ut simpliciter dicam) instrumentorum, tum animalium, tum uitalium, uel ob meatus immodicos, uel ob qualitatum intemperiem necessario provenire. Quo pacto uero tales eorum affectus sint agnoscendi, non est præsentis negocij. Non enim indicia explicare, sed ipsas primas enumerare ægritudines in præsentis statuimus. Ego uero iam uideor eas omnes commemorasse, quæ partibus similibus tribuuntur.

De morbis partium instrumentalium. Cap. 6.

Proximum est ut eas iam exequamur, quæ instrumentalium sunt propriæ. In his igitur aliquam omnino esse partem, operationis causam, reliquas uero ad usum aliquem huic parti subministrandum à natura creatas, alibi ostendimus. Totius autem instrumenti operatio, tum maxime atque præcipue detrimentum patietur, cum pars illa ægrotauerit quæ operationis est causa. Sed & aliarum immodici affectus impediunt operationem. Quæcumque igitur non per se ipsas impediunt, sed ea ratione, quod primo operationis instrumento officiant, causæ morborum sunt, non ipsæ morbi. Sed si in aliquo non lædentes primum operationis instrumentum, ipsam operationem impediunt, iam tunc huiusmodi affectus, ægritudines sunt appellandæ. Fiunt autem (ut diximus) uel naturali formatione permutata, uel non seruato numero partium opportuno, aut unicuique parti conuenienti magnitudine, uel quod non, ut naturalis positus expetebat, ipsæ cohæreant. Cum enim (ut iam demonstraui) illa animantium natura opifex, nullam partem corporis temere affinxerit atque formauerit, sed ob eum finem omnes, ut uel melius, uel tutius, totum instrumentum, proprium exequatur officium, necessarium omnino, earum oblationes quæ uel penitus operationem prohibent, uel saltem impediunt, ægritudines putari: quæ uero ad offensionem tendunt primi instrumenti operationi accommodati, ægritudinis causas (ut nuper dicebamus) appellari.

De morbis qui contingunt in genere conformationis. Cap. 7.

Ob hoc igitur, qui & introrsum aut extrorsum sunt cruribus, aut pedum plantis læuigatis, deterius ingrediuntur, quoniam in his uitiata est figura naturalis. Sicque qui ex perfractis ossibus male conformati fuerunt, actionem membri probam non habent. Neque ij etiam recte agere possunt, quibus ob morbi

† Vel et aliud quoddam simile parum aduertunt.

σμοβήξ

A. I. r. f. 2. d. 1. c. 2. p. 53. B.

A morbi qui arthritis appellatur, magnitudinem articuli suis sedibus exciderunt, aut perfractis superciliis quæ iuxta dearticulationis sunt, facile articuli ad superiorem partem exiliunt ac dilabuntur, aut supra excrecente callo, tota dearticulatione, ob loci angustiam, ad motum inhabilis redditur. Et hæc quidem figurarum uitiata aduentitia existunt. Natia uero cum protinus in utero matris formatio deprauatur, quod in quacunque corporis parte contigerit, ex ea infirmum atque imbecillum animal redditur. Oportet enim cordis, pulmonis, uentriculi, cerebri, linguæ, splenis, & renum, & aliorum omnium figuram conseruari. Nam si aliqua noxa interuenierit, totum necessario instrumentum in suis deficiet operibus. Iam uero cavitatum omnium quæ partibus debentur tum magnitudo, tum multitudo nisi seruetur, necessario earum occasione lædatur actio. Multæ uero huiusmodi ægritudines, nonnullæ coalitu quodam, nonnullæ uero lentorum ac crassorum humorum obstructu consistunt, aliæ uero ipsi corporibus nimium exiccatis, aut ab aliquo ex circumstantibus ingruenti ac comprimenti, angustioribus effectibus adueniunt. Ipsorum quoque corporum quæ tales meatus sortita sunt substantia est aliquando indurata, uel inflata, uel lacerata, uel suppurata, aut inflata, aut quocunque modo aliam adiunctam atque aduentitiam adeptam magnitudinem, ac deinceps ad interiores cauernas tumorem refundens, causa est ut obstructur meatus. Qui quidem ab ijs plurimum differunt, quos prioris sectæ auctores supposuerunt ex primorum atque imparibilium corporum fieri conuentu. Nam intestinorum, uenarum, arteriarum, atque omnium huiusmodi instrumentorum meatus, hos inquam meatus magnos ac manifestos omnes perspicuo uidemus. Quod si ex ipsis aliquis ob nimiam paruitatem sensum effugiat, non tam propterea ex eodem genere cum illis existit, quos prior secta supposuit. In omnibus uero huiusmodi affectibus in quibus corpora in tumorem atolluntur, atque ex eo meatus intercludi aut angustiores effici contingit, nonnunquam una tantum provenit ægritudo, (obstructio scilicet) quæ lædit operationem: nonnunquam præter hæc altera, corporis scilicet dispositio quæ obstructionis est causa. Nam si id cui tumor accidit corpus, nullam propriam habeat actionem, una tantum erit ægritudo, obstructio. Eius uero causa, non tamen adhuc ægritudo, erit corporis tumorem gerentis affectus. Si enim ita contigerit, ut patiente tunica uenæ, quæ exempli gratia est in concauis hepatis partibus, is meatus per quem ad ea quæ in gibbis receptacula mittitur sanguis, reddatur angustior, duæ hæc ratione erunt ægritudines, altera ipsius uenæ affectus, altera meatus obstructio. Impedit autem uenæ quidem affectus, sanguinis optimi generationem, obstructio uero distributionem. Vtraque uero operatio animali est necessaria. Nam pro confesso habetur, quod quæcumque dispositiones primo lædunt operationes, ægritudines nuncupantur. Si uero nihil ipsa pariete uena, lenti tantummodo ac crassi humores impacti meatibus distributionem impederint, una tantum erit uisceris ægritudo, puta obstructio. Idem euenit intestino, si sola adsit obstructio, una tantum erit ægritudo: eodem uero inflammationem patiente, & propterea interioris spatij obserante spatium, ita ut excrementorum descensus prohibeatur, duæ erunt ægritudines. Sæpius enim ex morbo alter contrahitur morbus, ut in ijs quos nuper diximus facile constat: nec minus ubi inflammationi erysipelati, herpeti, carbunculo, uel tali cuiuspiam ægritudini, febris adiungitur. Nonnunquam uero effectus ipse est operationis oblatio, quam decet passionem & accidens appellare. Eiusdem autem causam, ipsam ægritudinem ueluti obstructio, causa est ne alimentum digeratur: refrigeratio uero, ut quis sensum habeat difficilem in causa est, atque ita ægritudo accidenti originem præstat. Cum uero ipsa dispositio operationem primo impedit, eiusdem autem dispositionis causa nullam attulerit primo offensionem, dispositionem quidem ægritudinem: quod autem ipsam facit, causam ægritudinis dicere oportet. Veluti in lentis humoribus atque obstructione contingit. Ipsa siquidem obstructio est ægritudo, humores uero ægritudinis causa. Quæcumque igitur ægritudines concauitatibus adueniunt cum præter modum obstructuntur uel laxantur, omnes ad formationis genus referuntur. In his siquidem omnibus formatio naturalis quodammodo uitatur. At nec læuitatem, nec asperitatem, frustra partium opifex natura molitur. Quare & in hoc genere per omnes animalis partes morbi contrahuntur, cum id quod natura læue esse oportuerat, asperum fit: aut e diuerso, quod asperum, læue. Euidensissima autem in hoc genere medicis sunt, quæ aut læuigatis, aut exasperatis ossibus accidunt. Quemadmodum etiam & faucium asperitates quæ rufes committunt, manifestissime patent. Illud quoque hoc in loco agnoscere oportet, quod sæpius figura particulæ oblatæ aliquem simul meatum offendit. Veluti in naso aliquando usu euenit, quod ex icturno uiolento resimatus, adeo internum compressit meatum, ut uel nullo modo, uel ægre per ipsum respiraret. Constat igitur quod in huiusmodi affectibus angustia meatus est ægritudo, nam primum ipsa spirando officium impedit. Causa uero præcedens, simitas nasi, quæ naturalem eiusdem figuram deprauarit. In genere igitur formationis, cum tantum à naturæ modo discessum fuerit ut operatio lædatur, quæ nuper dicta sunt ægritudinum discrimina fient.

De morbis qui ad numerum partium referuntur.

Cap. 8.

In numero uero partium simplicium ex quibus unumquodque constat instrumentum, duæ erunt primæ ægritudinum differentiæ cum scilicet pars aliqua deficit, aut superabundat. In utraque uero ipsarum alia differentiæ: nam ex ijs quæ superfluunt, nonnulla sunt ex genere secundum naturam, ut sicui sextus adnascatur digitus, aut in oculo unguis, aut in naribus germen aliquod carnis, aut alio quopiam meatu aliud id genus conspiciunt. Ex his uero quædam erunt ægritudines ipsæ, ueluti unguis. Nam si multum augmentum susceperit, intuitum impedit, cum pupillam obtenebret. A ægritudinum autem

causae, sunt germina quae meatus interferant. In primis. n. obstructio est aegritudo, quoniam & ipsa prima officit operationi. Nonnulla vero sunt quae toto genere sunt praeter naturam, veluti lubrici, & vermes quidam minuti, quos Graeci ascaridas vocant. Et in vesica lapis, & in oculo grando, & suffusio, & hypopia, & pus, & verrucarum genera, quas Graeci acrochordonas appellant, & faui, & atheromata, & steatomata, & vitiliginis, lepra, & leuca, & pori, & quaecunque in abscessibus reperiuntur. Quod vero & ex his ipsis quaecunque operationem primo impediunt, aegritudines a nobis dicantur, sicuti suffusio: quae vero non sunt eiusmodi, aegritudinum causa, omnibus constare arbitramur. Deficientium autem partium, nonnullae quidem funditus abolitae sunt, nonnullae vero ex dimidio praecisae ac mutilatae. Neque autem obscurum est multa talia animantibus in ipso protinus vtero solere contingere. Iam vero in lucem editis atque perfectis, ossa quidem saepius tota eximuntur, & digitus, & artubus, & capite, & costis. Nonnunquam vero & digitus aufertur, & pes, & extrema manus, & tibia, & cubitus. Extrahuntur etiam venae varicosae, & glandulae induratae, & dentes exesi. Aufertur pariter & gurgulio, & omentum, & preputium, & aliqua uerendorum particula, nonnunquam vero & penis integer, quemadmodum & testes. Nuper uero quidam in magna neruorum distensione quae totum corpus opprefferat, linguae partem anteriorem mordicus abscidit, qui demum ex spasmo sanitati restitutus, minus facile sermonem potuit explicare. Huius generis sunt ea omnia quae mutilationes appellantur, labiorum, narium, aurium, & quaecunque partes carulentae, uel uiuulae, aut putrefactae, ex toto resectae sunt. Nam in his calamitatibus omnibus numerus partium naturalis non impletur, siue una, siue duae, siue plures partes defece rint, siue integram passae abolitionem, siue partim sublatae fuerint. Quaecunque sane ex his operationibus impediunt, simili ratione, inter aegritudines locabuntur. Quaecunque uero aliam partem operationis effectricem refrigerant, aut parte alimentum distribuunt, sunt aegritudinum causa. Quaedam uero utranque rationem complectuntur, & aegritudinis, & causa. Veluti uua cum radicitus tollitur, & uoci detrimentum affert, & pectus ac pulmonem refrigerat. Nam cum didiceris in ijs quae de functionibus atque usu membrorum rationationes habentur, quod ex omnibus animalis partibus nonnullae quidem operationem tori animali utilem conferunt, nonnullae autem nihil ipsae agunt, sed usum aliquem agentibus afferunt, liquet earum laesiones, quae actiones immediate offendunt, aegritudines esse appellandas: earum uero quae ad usum aliquem tendunt, aegritudinum causas. Quare si quae animalis particulae duplicem actionem aut duplicem usum habuerint, in una saepe offensione duplicem subibunt, uel causa uel aegritudinis rationem. Quod si qua pars sit quae simul & usum & operationis praestent officium, ueluti quibusdam esse uidetur & ipse gurgulio, huius partis interitus altera quidem ratione erit aegritudo, altera uero aegritudinis causa. Neque ambigitur quod eius quae superest partis, erit aegritudo, non eius quae amplius non sit. Nam si latius oris spatium in illa parte patiat, ubi nunc est aegritudo, eiusdem spatij uiam (quae & gurgulio appellatur) dixeris esse particulam. Quod si haec abolita fuerit, deficit aliquid spatium, atque ita totum hoc fit aegritudo, constante eo quod ab initio pro confesso habebatur, quod omnis operatio ab aliqua aegritudine laeditur. Vel igitur uocem ipsam, uel inspirationem atque expirationem, actiones non esse animalis ostendere oportet: aut si hoc ita se habet, pro manifesto relinquitur, quod uuae abolitio palato aegritudinem affert. Simili ratione & dentis amissio erit oris aegritudo. Et si quidem unus fuerit ex ijs qui manducationi obseruiunt, ea pars qua manducatur offenditur. Si uero ex ijs qui incisorijs appellantur, comestio, atque una sermonis explicatio laeditur. Eodem modo si linguae dimidia pars abscindatur, parti quae super fuerit, ea mutilatio erit aegritudo. Idem in obscenis, in omento, atque omnibus partibus ita affectis eueniet. Et si cui hoc ipsum non aegritudinem sed passionem aut affectum appellare liberit, non de re, sed de nomine solo contendet. Liquet autem quod in lingua, omento, obscenis, atque omnibus huiusmodi partibus hoc pacto mutilatis, erit aliqua magnitudinis diminutio, ipsum uero animal non adeo necessario diminuetur ut mutilatum esse dicatur, sed aliquis numerus partium erit ablati. Siquidem, & arteriae, & venae, & nerui, & cutis nonnunquam, & adeps, & membrana, & caro in talibus affectibus auferuntur: in uua autem, & uaricosis uasis exectis, ipsis etiam instrumentis aliquem partium numerum auferri continget. Atque haec omnia ad id attinent genus, in quo membra numero euariant. Quibuscunque uero instrumentis si auferantur quaedam, non tamen integre partes eximuntur, haec ad utrunque quodam modo genus referuntur. Nam & particularum simplicium numerus, & magnitudo instrumenti compositi, deficit animali: siquidem totum mutilatum est. Neque alicui obscurum est, utranque passionem tum eam quae ad numerum, tum eam quae ad magnitudinem pertinet in superiore genere praedicamenti, in quanto uidelicet, posse locari. Siquidem quanti aliud continuum, aliud discretum, quod & quantum priuatim, sicuti & continuum, pelicon apud Graecos appellatur. Sed in hoc loco manifestioris doctrinae gratia libuit hoc pacto distinguere, ut alteram quanti differentiam sub numero, alteram sub magnitudine comprehendamus. Iam uero quoniam huius generis aegritudines explanauimus, nunc de ijs quae ad magnitudinem pertinent, quocunque nomine censeantur, differamus. Differunt autem ab eo quod supra diximus genere.

De morbis in generibus magnitudinis. Cap. 9.

Nam si naturali membrorum figura constante, magnitudo deprauetur, cum ob hoc ipsum laeditur operatio, parti aegritudo contingit. Veluti si in prima formatione animalis, tantam habuerit lingua magnitudinem, ut ad nullam oris partem deflecti possit: aut paruitatem tantam, ut omnes illius partes

A. l. r. f. 2. d. 8.
c. 1. p. 52. B

A. l. r. f. 2. d. 4. c.
4. p. 53. C

A. l. r. f. 2. d. 7.
c. 3. p. 53. B. C

A. l. r. f. 2. d. 7.
c. 7. p. 55. F

A partes nequeat attingere. In perfectis uero, supra naturalem magnitudinem membra non admodum excrescunt, frequentius uero minuuntur. Atque hanc aegritudinem nonnulli alimenti defectum. i. atrophiam, nonnulli tabem. i. phthisim nuncupant membri. Augmenta uero particularum in ulceribus sicut in quibus caro redundat, & in eo morbo qui a Graecis priapismus appellatur. Nicomacho autem Smyrnaeo ad tantam molem corpus increuit, ut loco moueri non posset, sed hunc aiunt ab Aesculapio curatum. Nos autem uidimus cuiusdam linguam supra modum absque ullo doloris sensu excresuisse. Ut neque mollis tumor, quod Graeci oedema appellant, neque durus, quem iudem scirrhom appellant, neque inflammatio esse uideretur, neque enim prementi manui cedebat, neque omni sensu carebat, neque dolore infestabatur, sed hoc ipsum, incrementum duntaxat erat, nihil ipsa substantia particulae uitata. Sic & testiculi & ubera, aliis uterque, aliis alter tantummodo supra modum increuit. Et quae struma uocatur, est ex hoc genere, quae ubi nimium excesserit, magnam operationibus affert incommoditatem. Et ex eodem etiam sunt genere, angulorum in oculis immoderationes, ex quibus, immoderatum quidem augmentum, encanthis, diminutionem autem, rhoecada graeci appellant. Tales sunt in hoc genere aegritudinum differentiae.

De morbis qui ad compositionem partium pertinent. Cap. 10.

E Variante uero ea quae secundum naturam compositura, sunt aegritudines. In positu quidem, sicuti cum articuli suis sedibus excidunt, aut loco tantum mouentur, aut cum omentum, uel intestina ad inferiores testiculorum tunicas deuoluuntur. Alterum morbum Graeci epiplocelem, alterum enterocele appellant. In non naturali uero partium uicinis partibus copulatione, si ligamentum aliquod aut relaxatum, aut intensum fuerit, aut disruptum, in ea parte de articulationis motus offenditur. In hoc genere sunt linguae nexus immodici, & pudendorum: quoniam & linguae ad sermonem explicandum & manducandum non parum officiant, & pudenda, quo minus procul & directo tramite in mulieris uterum semen emittatur, ob meatus inuersionem, non minus impediunt. Ad hanc etiam attinent aegritudinis differentiam si labia ulcerata, si palpebrae, uel sedes, uel digiti, uel si quae tales particulae praeter naturam coaluerint. Tales sunt morborum species quae in compositione existunt.

De morbis qui proueniunt ex solutione unitatis. Cap. 11.

Reliquum est quintum genus aegritudinis, continuitatis solutio, siue haec alicui ex particulis simplicibus quae similes appellantur, siue compositae adueniat. Quare inter communes utrarumque partium morbos, eam paulo ante commemorauimus. Cum enim diuellitur ligamentum, uel arteria, communis est & totius instrumenti & diuisae particulae aegritudo. Nam utriusque soluta est continuitas: totius quidem instrumenti, cum partes non amplius cohaerent, neque ununtur: ipsius uero particulae diuisae, quoniam non amplius est una, sed in duas diuisa est partes. Quod si non ex toto diuisa fuerit, sed parte aliqua tantum, non erit iam totius instrumenti aegritudo, nisi ex accidenti, quoniam uidelicet aliqua ipsius particula patiat: sed ipsius tantum patientis particulae propria ac peculiaris erit aegritudo. Vocatur autem continuitatis solutio, in osse quidem fractio. In omni genere carnoso, communiter ulcus. Ruptio autem & conuulsio ex eodem genere sunt. Fit autem alterum quidem in carnosiss, alterum in nervosis partibus, conuulsis quae in ipsis sunt fibris, cum ex ictu aliquo uolentiam patiuntur, aut subito & affatim intenduntur. Quae uero apospasmata. i. auulsiones appellantur, instrumentarium tantummodo partium propriae sunt passionis. Haec quidem sunt uniuersae simplicium morborum differentiae.

De compositis morbis partium simplicium. Cap. 12.

Nunc uero superest ut composita exequamur, initio iterum a similibus sumpto. Erit igitur iuxta priorem suppositionem, ex dilatatione & angustia meatuum, aegritudo composita, non particularum singulis haec utraque patientibus meatibus, sed uicissim his quidem latioribus, illis uero angustioribus redditis, ut non magis laxitatem quam angustiam eorundem in tota similari parte accuses, nec ulla sensibilis particula eius possit ostendi, cui alterum tantummodo adsit, sed quaecunque sumpta fuerit, utriusque passioni reperietur obnoxia. In secunda autem suppositione, in unaquaque similari particula, qualitatibus solis naturae modum egressis, sunt compositae aegritudines numero quatuor, Calida simul & humida, calida & sicca, frigida & sicca, frigida & humida. Profuente uero ad ipsas aliqua substantia, erunt pariter aliae compositae aegritudines quatuor, quae ex earundem qualitatuum coniunctione proueniunt. Quoniam uero continuitatis solutio, non in compositis tantum instrumentis, sed in simplicibus quoque particulis fit, implicabitur & haec nuper dictis iuxta utranque suppositionem, compositis aegritudinibus & simplicibus his de quibus statim ab initio sermonem habuimus. Nam fieri potest ut idem membrum & ulcus patiat simul & siccitatem habeat, aut humiditatem, uel frigiditatem, uel caliditatem praeter naturam, aut una cum ulcere caliditatem simul atque humiditatem. Exulcerata igitur atque una inflammata membra, tripliciter naturam modum egrediuntur, cum ob ulcus quidem unitatem suarum partium amittant, ob inflammationem uero calidiora atque humidiora reddantur plus quam naturalis exigit habitus. Namque qui in ipsis est tumor, si ad tantam magnitudinem attollitur, ut ob hoc ipsum operationem impediatur, tunc iam morbus est exitimandus. Si autem membrum ex hoc nullam patiat in operatione iacturam, accidens tantummodo & passio ipse censetur, ueluti & dolor. Omnia igitur quae simul inflammata atque ulcerata sunt corpora, tres quidem necessario, nonnunquam uero & quatuor aegritudines patiuntur. Hoc uero in loco inflammationem appellamus, non ut antiqui consueuerunt, quendam ueluti

ueluti feruorem in corporis partibus accensum, sed rubescens ac renitentem dolorificumque; tumorem. Ita & erysipelata nonnunquam ulcera comitantur. Nam carbunculi eam naturam habent, ut aliter consistere nequeant. Mediam uero fortiuntur naturam herpes & cancri, qui maiori quidem ex parte cum ulceribus eueniunt, nonnunquam uero seorsum. Omnes igitur huiusmodi aegritudines, etiam si ulcere uacent, compositae sunt. Vna quidem ratione quoniam omnes a superfluo humore seu calido, seu frigido procreantur, a flaua quidem bile, erysipelas: ab atra uero, cancer: a sanguine autem, inflammatio: a pituita tumor quidem laxus, oedema Graece dictus. Alia uero, quoniam nunc dicti omnes humores, et si formam rei humefcentis praeseferant, uim tamen habent: atra quidem bilis, frigidam & siccam: flaua uero, calidam & siccam: pituita, frigidam & humidam: calidus autem & humidus est sanguis. Tertia uero ratione, quoniam simul commiscetur omnes, & raro admodum ex ipsis ullus purus sincerus consistit. Nam magna ex parte inflammationes, aliquid ex erysipelatis, uel laxi, uel duri tumoris natura, complectuntur: aut erysipelatibus aliquid quod inflammationis uel laxi, aut duri tumoris speciem referat admiscetur. Ita similiter in reliquis omnibus perpede. Multiformiter ergo omnes huiusmodi aegritudines compositae fiunt; de quibus eo in libro in quo de causis morborum agemus, plenius differemus: atque et uberior, in eo qui de morborum accidentibus inscribitur: ac praeterea in ijs, in quibus curandi ratio tractatur, ad quam omnia quae hic scribimus diriguntur.

De compositis morbis instrumentorum. Cap. 13.

Nunc uero quoniam quomodo simplices se inuicem complectantur explanauimus, iam ad instrumentorum aegritudines ueniamus, ac quo pacto & haec compositae fiant, aperiamus. Primum uero illud meminisse oportet, quod aliae quidem primorum corporum, uidelicet simularium, sunt aegritudines: aliae autem instrumentariorum, & compositorum. Inflammatio. n. primorum est corporum, exarticulatio uero instrumentariorum. Quando igitur aliquod membrum luxatur simulque inflammatur, totius quidem instrumenti primo aegritudo est exarticulatio, inflammatio autem non primo neque propria, sed ex accidenti tantum. Quoniam enim inflammatio singularum eius partium aegritudo est, fit ut ex accidenti totius etiam instrumenti sit aegritudo. Et lippitudo quidem membranae quae adnata est corneae, ex accidenti uero est totius oculi aegritudo. Contingit uero nonnunquam ut tunica cornea appellata, profundum habeat ulcus, quae deinceps exesa tota, aliquid ex ea tunica procidat, quae secundo post corneam ordine sita est, uel pupilla una diuulsionem patiat. Atque ex his tribus omnibus, qualibet passio oculi existimatur, quamuis ulcus & erosio ad solam corneam pertineant, procidentia ad uueam, & diuulsio ad pupillam. Sed, ut diximus, simularium partium aegritudines, ex accidenti toti instrumento attribuuntur. Igitur cum una quaequam ex ipsis morbo aliquo composito laborauerit, & hic ex accidenti totius instrumenti erit aegritudo composita. Cum uero plures quidem sint affectae sed unaquaeque; uno morbo laborauerit, sic totius erit instrumenti aegritudo composita. Nam, ut in oculi exemplo persistamus, fit ita ut eundem oculum, (neque enim impossibile est suppositio) unguis & lippitudo infestet, & erosio corneae, & procidentia uueae, quibus etiam malis accedat aliquod suffusionis initium. Quod non una neque simplex sit aegritudo, omnibus in propatulo est. Appellabit autem haec quispian, compositum oculi morbum, alter uero non unum compositum morbum, sed plures dicet aegritudines, in diuersis oculi partibus constitutas. Nihil uero refert quantum ad ueram curandi rationem, ad quam haec omnia diriguntur, siue unus sit morbus compositus siue plures, pugnantibus remedijs indigentes. Plenior uero de hisce discussionem differimus ad eos libros in quibus curandi praecipua tradentur. In praesenti uero sermone, hoc tantum commostrasse ac indicasse sufficiat, probabilem utroque; afferre sententiam, & qui plures in oculo morbos esse arbitrantur, & qui, quemadmodum unum est instrumentum, ita & unum compositum existimant esse morbum, quando (ut ante diximus) plures in eodem particula laborauerint. Ut igitur ex simplicibus morbis, unus quidem erat primo totius instrumenti aegritudo, ueluti suffusio, alius uero ex accidenti, ueluti corneae exulceratio: ita & ex morbis compositis, proprii quidem erunt totius instrumenti, qui plures simul eius partes occupauerint: ex accidenti uero, quicumque compositi unam tantummodo ipsius instrumenti obfederint partem, ueluti lippitudo, quae membranae adnatae est inflammatio. Si quidem inflammatio est numero compositorum aegritudinum fuit ostensa. Eisdem uero membranae ulcere adueniente, multo etiam magis compositam aegritudinem pati hanc partem dicemus. Sed nec propterea minus oculus totus morbo composito laborare censetur. Tales quidem ex accidenti totius instrumenti aegritudines esse putantur. At cum plures eodem tempore particulae aliquo malo afficiuntur, ipsorum instrumentorum primo compositae sunt aegritudines: atque eo magis, si particulatim unaquaeque; simplicium, non ex accidenti, sed primo, totius instrumenti fuerit aegritudo. Quemadmodum in oculo unguis, suffusio, atque ea passio quam a Graecis rhoeada antea diximus appellari. Nam ex ijs qualibet, propria est oculi aegritudo. Et cum simul omnes coniunguntur, oculo propriam aegritudinem compositam faciunt. Hac si quis ratiocinabitur uia, omnes instrumentorum compositos morbos facile inueniet. Mihi uero superfluum uisum est opus, omnia complecti, & componere, quoniam si quis omnium simplicium morborum fuerit scientiam consecutus, atque eorundem compositurae modos non ignorauerit, facile in singulis per seipsum poterit exerceri. Quae e si quispian semel tantum quae in hoc libro conscripsimus legerit, is se parum profecturum intelligat, nisi postmodum plurimum quoque exercitationis adiunxerit.

GAL.

GAL. DE CAUSIS MORBORUM LIBER VNVS

Nicolao Leonicensi interprete.

ARGUMENTVM LIBRI

Simplicium & compositorum morborum causas peruestigat, tum quae in simularibus, tum quae in instrumentalibus partibus, morbos efficiunt.

Quorum morborum cause peruestigande sint. Cap. 1.



Quorum morborum cause peruestigande sint. Cap. 1.

Vot quidem sint & quana aegritudines omnes, in propria genera ac species diuisae, tum simplices tum compositae, altero iam libro explanauimus. Reliquum est ut singularum causarum explicemus, exordientes a simplicibus animalis partibus, quae similes appellantur. A quibus deinde ad compositas & dissimilares uenimus. Quoniam igitur ostendimus iuxta illos qui arbitrantur substantiam, quae ortui atque interitui subijcitur, simul misceri & alterari, quod omnis aegritudo similis ac simplicis quo ad sensum particulae, uel interperies quaedam existit, uel continuitatis partium diuisio. Iuxta uero illos qui non uionem statuunt, sed quia intercipiatur uacuum, omnium corporum constitutionem, concretionem putant, immoderatio meatuum, & eius, quae sensu deprehenditur, continuitatis solutio. Incipimus & nunc considerare causas morborum omnium qui ad primam attinent suppositionem, quam nos ueram existimamus. Erant autem (ut arbitror) quatuor simplices, quatuor uero compositae. Cum aliquando quidem sola supra modum excrecente caliditate, uel frigiditate, uel ex altera opposicione aliqua ueluti humiditate, uel siccitate: aliquando uero duabus simul supra modum actis, ut morbus pariter calidus ac siccus, uel frigidus ac siccus, uel calidus ac humidus, uel frigidus ac humidus fiat.

De causis calidi morbi. Cap. 2.

Itaque quanam sint cuiusque praedictorum morborum procreationis causa iam inspiciamus, sumpto ab eo initio, qui in caliditatis immoderatae intemperie consistit. Apparet autem & in alijs corporibus omnibus quae seipsum plus satis incalescunt, uel ex motu quodam augeri caliditatem, uel ex putredine, uel ex uicinia alterius corporis calidioris, uel ex stipatione, uel ex alimento ad calefaciendum accommodato. Ex motu quidem, ueluti in ijs quae quouis modo exercitantur, & in lapidibus inuicem collisis, & lignis, & flamma uelutata. Ex putredine autem, tum reliquorum corporum, tum praesertim femininum ac stercoreis. Mihi quidem nonnunquam uidere contigit in columbarum [agrestium] excrementis, ex putrefactione ignem accensum. Nec est quispian qui ambigat quin calidiorum corporum uicinia, alia concalescat, si modo ad memoriam reuocet, & balneas, & solem aestiuum, & omnem flammam. Ita quoque si hybernis temporibus in ampla domo ignem accenderit, atque omnes meatus stipauerit per quos spirandi habeat facultatem, interius calorem acruabis. Quod si quaque uersus patentes exitus liqueris, nihil amplius effeceris. Sed non aliter balneae atque fornaces, suum interius acruant calorem. Ex quo euidenter est, stipationem augendo calori occasionem praestari. Sed nec in obscuro est, quod idem ex ipsa materia provenit. Nam aridi calami, facilius in maximum flammam atollunt. Ligna autem uiridia, & praesertim si plura super ignem congereris, diutius quidem aggrauant & ueluti obruunt flammam, deum uero augent. Quomodo igitur in animalium corpore ex ijs unumquodque perficitur? Cum quispian immoderata exercitatione usus fuerit, lassitudinem sustinet corpus, hoc est, caliditatem immodicam in musculis atque articulis habet: hi enim sunt qui primo motum excipiunt. Quod si non ultra progrediatur calor, atque eum solui contigerit antequam totum animalis corpus inuaserit, nihil ultra lassitudinem consequetur. At si in totum extensum fuerit corpus, tunc huiusmodi affectus febris nuncupatur, quae est quaedam totius corporis immoderata caliditas. Ita & ira, quae feruor quidam est existentis in corde caloris, ob immoderatum motum, per totum nonnunquam diffusa corpus, ita febre accendit. Iam ea quae putrescunt in animantis corpore calorem quandam immodicum in his partibus in quibus putrent efficiunt, sicuti erysipelata, & herpes, & carbunculi, & inflammationes, & phygethla. Haec autem ubi totum conalescerint corpus, excitant febrem. Et quidem tertia causa immoderati caloris ex his fit manifesta, quoniam modo animalibus adueniat, & ex ijs quae exustiones appellantur. Nam in bubonibus & inflammationibus & erysipelatis atque omnibus adeo calidis morbis, semper contingens pars atque continua, ipsa quidem primum caliditatem assumit, deinceps uero & partem uicinam afficit, & haec deinceps sibi proximam, atque ita usque ad principium insiti caloris ubi peruenerit intemperies totum celeriter corpus, principij sentit affectum. Diuturnae quoque morae in locis soli expositis, nudis quidem, totam aliquando cutem supremam calefaciunt. At ijs qui uestibus operiti sunt, solum caput, atque haec exustio appellatur. Quod si iam totum animalis corpus occupet, tunc ita febris accenditur. Quartum uero causa genus quod insitum calorem immoderate succendit, in adstrictionibus & frigeactionibus fieri uidetur. Nam si quis uehementer riguerit, aut in aqua natauerit quae aut alumen aut talem aliquam naturam acceperit, huic stipari cutem atque densari contingit, ut quae diffusi consueuerant intus cohibeantur. Quod si fumosa fuerint quae intus collecta sunt, febris inde

A. l. r. f. 2. d. 1. c. 2. p. 74. E

A. l. r. f. 2. d. 1. c. 2. p. 75. A

A. l. 4. f. 1. 7. 1. c. 1. p. 75. A

inde generatur. Quinta uero species auctæ supra modum caliditatis, sunt esculentorum acres ac calidæ qualitates. Veluti alliorum, porrorum, caparum, atque huiuscemodi omnium. Nam & horum usus immoderatus febrem aliquando suscitauit. Et quidem calidæ potationes immodicæ, veluti uni ueteris & acris, imbecillo corpori liberalius ingesti, & medicamina acra, siue alexiteria. i. amuleta fuerint, siue uenena, causam ut homines febricitarent, attulerunt. Sed cur (inquiunt) non semper ob quamlibet harum causarum febris accenditur? Quoniam causæ efficientis quantitas par non existit, & quæ constituta est ab eadem causa in corpore dispositio, magnam, in eo quod plus & minus, uarietatem admittit: ac præterea animantium corpora plurimum alterum ab altero differunt, in hoc ut aut facile aut egre à naturali recedant habitu. Quemadmodum igitur minime ambigis cur non omnis motus lassitudinem facit, sed pro confessio habes quod ubi non excefferit ac potentia superauerit articulorum musculorumque naturam, nunquam eos fatigari contingeret: sic tibi erat cogitandum, quod nec talis affectus qui lassitudo nuncupatur, nisi dignam effatu, tum magnitudinem, tum moram assumpserint, nunquam uniuersum corpus afficiet. An motus quidem paruus, lassitudinem nequit efficere: parua autem lassitudo, omnino febrem accendet? Aut motus quidem effectus, in relatione consistet, lassitudinis autem minime? Ac quidem omnibus etiam uulgaribus ac rudibus in propatulo est, athletarum corpora diuturniores ac uehementiores motiones citra lassitudinem perferre: & nos priuatos, si paulo supra consuetudinem F exerceamur, statim molestia affici. Nil igitur mirum, si quispiam quamuis lassitudinem senserit, non tamen febricitauit: uel enim parua est lassitudo, uel exigui temporis, aut uiribus corporis inferior. An, si fuit exercitatio haudquaquam diuturna, nec uehemens, atque etiam minus quam pro natura eius qui exercitatus est fortis, nunquam quidem lassitudinem afferet: lassitudo uero febrem accendet etiam si ea & breuis sit, & exigui temporis, & languentis corporis robore inferior sit? Sed & hoc ipsum in ea re quæ ad agendum potentissimam naturam habet, nimirum in igne, possumus intueri. Nam frige factos, non absque tempore ac uiribus calefacit. Si quidem cum aliquando è locis gelidis discesserimus, manus per maximam flammam ignis sine aliqua noxa transferimus. Neque omnis materia æque facile ab eodem accenditur, sed arentes quidem calami primo tactu inflammantur, lignis autem humidis ac uiridibus ut accendantur, longo tempore uehementi; flamma indigent. Quo pacto igitur nihil horum in igne admiras, in lassitudine admiraris quod magnitudine egeat ac tempore, ac corpore incendio oportu no? Satius itaque fuerit si nulla te huius rei capiat admiratio, sed potius aduertas quale nam animalis corpus facile sui natura calorem admittit, & quale non facile. Sed de hoc quidem postea es auditurus. Nunc uero nihil tibi sit mirum, si unumquodque quod aliquid sit effecturum, & tempus & magnitudinem exigat, ac præterea ut proximum sit quod prompte patiendi habet naturam: quoniam & si hæc desint, G nec ignis comburere, nec gladius abscindere ualeat. Nec aliquid aliud, in efficiendo potentissimum, in aliud agere potest quod ipso ualidius exiterit, aut ubi non interuenit tempus effatu dignum. Super lucernæ quidem flammam, nunquam totum effunderes oleum, nedum aquam: & gladio incidere lapides nequaquam tentaueris, nedum adamantem. Vis autem ut lassitudo & calefactio, & frige factio, & reliqua huiuscemodi febrem semper accendant, quamuis parua sint, & exiguum tempus perdurent, siue etiam totum corpus minime idoneum ad suscipiendum calorem extiterit? Quod enim iam calidum est, paratius est ad hoc ut excessum caloris admittat, sicuti & frigidum ut plus satis frige scat. quod uero ediuerso se habet, ad hoc minime est aptum, usque adeo caeca & rudis est eorum qui talia perquirunt dubitatio. Qui uero nihil dubitant, sed prompte ac temere enunciant, quod nihil eorum quæ nuper diximus excitat febrem, horum stupiditas quidem miserationem, contentio uero odium meretur. Soluta quidem sunt & horum sophismata in altero uolumine, quod seorsum de causis procatarteticis, id est præincipientibus, scripsimus. Neque præsentis est negocij aliorum refellere errores, sed uera duntaxat docere institui. Rursum igitur ad propositi nostri seriem reuertamur. Erat autem, (ut arbitrator) omnium simplicium ægritudinum præcedentes causas, usque ad præincipientes explicare. Non enim est fortassis inutile, eos qui ita earum appellationes manifestioris doctrinæ gratia distinxerunt, imitari. Quasunque enim in ipso animali uel dispositiones uel motus præter naturam, ægritudinum præcedentes causas nominant: quæ uero extrinsecus adueniunt & alterant corpus atque transmutant naturam uehementer, præincipientes appellant.

De causis frigidi morbi.

Cap. 3.

Calidæ quidem ægritudinis in uniuersum diximus causas, nunc ad frigidam ueniamus. Sunt uero & huius plures numero causæ, ueluti refrigerantium propinquitas, & ciborum potuumque quantitas ac qualitas, stipatioque ac rarefactio, ac præterea ocium & immodicus motus. Quibus etiam occasio nibus ignis extinguitur. Nam si paruo carboni multum niuis aut glaciei superimponas, aut plurimam aquam superinfundas, continuo extinguitur. Sic ubi circumstantes aer sit præter modum frigidus, ueluti hyberno tempore iuxta Histrum, non solum lucernam sub dio positam, sed & quemcunque exiguum ignem uidebis protinus extingui. Hoc quidem modo, ignis à rerum prægelidarum tactu superatur. Ab ijs autem quæ natura apta sunt ut ipsum enutrient, ob excessum, uel defectum, uel ob alienam qualitatem hoc pacto corrumpitur. Si enim ligna uniuersum & multa supra paruam coaceruaueris flammam, ob immodicæ quantitatis excessum ipsam extingues. Quod si nihil omnino, aut parum admodum adieceris, ob defectum aut paucitatem alimenti, uidebis continuo marcescere. Sic & lucernæ flammam

comminui

A comminui atque in periculo esse ne propè extingatur inspicimus, ubi nutrimenti proprii modus non feruetur. Siue enim oleum liberaliter non adhibueris, aut multum uniuersum superinfundas, utroque offendes modo. Quod si largam quidem exhibueris materiam, sed quæ uel nullo modo apta sit ut ardeat, uel cum magna difficultate incendium suscipiat, hanc etiam statim minorem efficiet. Veluti si oleum aquæ commixtum supra ignem conieceris. Si etiam qui flammæ circumfunditur aerem stipaueris, aut nimium rarefeceris, sic quoque flammam decrefcere ac periclitari ne penitus extingatur, inspicies. Stipatur autem, si cucurbitam qua medici utuntur, uel furnulum, aut tale aliquod aliud circumponas. Quod etiã continget, si fornacum foramina claueris. Quod si in multo sole & calido & aprico loco, aut ad alteram maiorem flammam admoueris, tunc quoque minorem flammam marcescere uidebis, quoniam exterior flamma, ut quæ præpotentior sit, elaxat atque dispergit minorem. Neque uero in obscuro est, quod si eas flabellans, hoc est mouens, si quidem modice hoc feceris, augebis: si uero immodice, dissolues ac dissipabis. Sic & uentos magnitudini flammæ respondere oportet, si quid eius augmento conferre debuerint. Qui uero maiores sunt quam illa queat sustinere, dispergent, non flabellabunt. Ex quo manifestum fit, quod flamma quidem ad sui incrementum motu eget aduentitio, non tamè immodico. Si enim nullo modo flabellatur, elanguet: uehementiore autem motu extrinsecus urgente, dissoluitur ac dissipatur. **S**cundum igitur primam causæ speciem, cum omne frigidum forinsecus aduenerit, partim tactu tantum, partim potentia, frigida ægritudo consistet. Sic aliquis in frigida natans aqua læsus est & male lotus, & per gelida loca iter faciens. Nonnullos etiam uidi exanimatos antequam domum deferrentur. Iuxta uero secundam causam, aut morbum attonitum, aut comitalem, aut motus sensus læsionem ex ebrietate aliquis subit. Quamquam uinum modice haustum, ut quod maxime proprium alimentum sit, natium calorem adauget. Sic & optimi cibi quicquid plurimum animali afferunt nutrimentum, supra modum assumpti, morbos frigidos generant. Sic quæcumque uel deuorantur uel bibuntur, si frigidiora natura sint, morbos frigidos pariunt. ex horum numero est papauer, mandragora, hyoscyamus, cicuta quæ sane nimia frigiditate etiam interimunt. Ultima autem stipatio, (hanc enim tertiam frigidiorum morborum causam statuimus) facit graues sopores, & ueternum, & morbos attonitos. Et hoc est quod dicitur ab Hippocrate: Venarum interceptiones corpori officere, quod statim uocem eripiant. Ipse nanque sicuti & alij uetustiores, duo genera uasorum in quibus sanguis continetur, uenas appellat, non uti iuniores, alterum tantum quod non pulsatur. Vbi uero interceptiuntur quæ sunt in animali arteriæ, hoc est ita oppletæ sanguine fuerint ut nullus in ipsis uacuum relinquatur locus, in quem, dum attolluntur, aerem externum attrahere possint, tunc stragulatur atque extinguitur calor innatus: ac qui ita affecti sunt, subito sensum & motum totius corporis amittunt. Ostensum enim à nobis est hoc, in eo uolumine quod scripsimus de usu pulsuum, ob eum finem arterias pulsare, ut calor naturalis in omnibus animalis partibus moderatus conferuetur. In libro autem de utilitate respirationis scriptum à nobis est, quod hæc quoque insitum cordis calorem, moderatum conferuat. Sicuti igitur si extrinsecam flammam à communicatu circumfusi aeris separet, interiectu furnuli uel cucurbitæ uel cuiuspiam alterius rei similis, statim extinxeris: eodem modo si animalibus caliditatem cohibueris atque intercluseris, ita ut nullum cum aere exteriori habeat communicatum, statim exitium afferes. Caliditas igitur cordis per faucium meatum aeri extrinsecò comunicat. Quod si hunc interceperis, uelut stragulabis ipsam, atque animal enecabis. Calor uero qui in omnibus est arterijs quæ per totum animalis corpus diuiduntur, per cor quidem ipsum inquantum faucibus communicat, & per uniuersam cutem, in ambientem nos aerem respirat, refrigerium quidem, cum illæ se attollunt, accipiens. cum autem resident, id quod fuliginosum est, expellens: quorum utrumque, natium eius mediocritatem conferuat. Et si quidem stipatæ fuerint arteriæ, siue (ut nuper dictum est) ob sanguinis redundantiæ, siue earum ora obstructis aliquos patiantur, ita ut nullam habeant transpirandi uiam, calorem extingui necesse est: quod uero ita affectum est corpus, emori. Quod si fuerit stipatio modica, non adeo calorem naturalem pati est necessarium. At si quidem in animalis corpore ueluti fuliginosa quædam ac fumida excrementa tunc constiterint, alius erit caloris naturalis affectus: alius uero, ubi solum uapor quidam suauis atque optimus exhalat. Atque horum utrumque bifariam hoc modo euariat. Cum enim sanguis optimus in corpore fuerit nullo inquinatus humore superfluo, uapor ex eo incalescente optimus exurgit, qui nihil aut igneum aut acre secum inuehit. Tale quidem corpus cum mediocriter stipari contigerit, breui aut erit plethoricum, aut supra modum calefiet: ijs quidem quibus defes uita sit ac minime laboriosa, plethoricum fiet, cum intus remanserint quæ exercitatione excerni oportebat: ijs uero qui exercitantur, calefiet, cum motus occasione calor augeatur naturalis, non transpiret autem ob id quod densatum sit corpus. In corpore autem stipato quod à funeo excremento obfidetur, aut febris accenditur ob interclusam interius fuliginosam euaporationem, aut stragulabitur atque extinguetur calor insitus atque natuus. Vtrumque uero horum accidet pro multitudine excrementorum, aut magnitudine stipationis. Nam si fumosa superfluitas quæ euacuari expetebat, plurima fuerit, atque stipatio uehemens, periculum imminet ne calor naturalis stragulatus ab excrementis extingatur. si uero superfluitas pauca fuerit, & stipatio parua, febris accenditur. Non ergo dubium est quod & naturales & aduentitias corporis dispositiones cognoscere oportet, in quibus aut fuliginosum aut uaporosum, aut fumosum est id quod exhalat. Sed hæc quidem in hisce libris explicabuntur, in quibus curandi doctrinam exequemur. Nunc ad huius operis institutum reuertamur. Sicuti enim stipatio sæpius

pius

A. l. r. f. 2. d. 1.
p. 63. C

pius frigeactionis est causa, eo quo diximus modo: sic & laxatio, quando plusquam sit opportunum dispergit ac dissipat insitum & natium calorem, frigidius efficit corpus. Sic uero nonnunquam totum afficitur animal, nonnunquam uero singulae partes aut stipatae, aut laxatae. Nam quae uniuerso corpori dispositio contingit in obstructione & plenitudine arteriarum, haec uni accidit parti ex earum quae in ipsa sunt affectu arteriarum. Et quidem quae extrinsecus adhibentur medicamina, aut aquae quae uim medicaculam habent, & frigida, & aer ipse circumfusus laxationem aut stipationem immodicam in ipsa parte committere possunt. Et uincula quaedam uiolenta, ipsi aliquando particulae, aliquando uero supraiacentibus circumposita, corrumpunt ipsam, ac frigefaciunt, ob id quod eam separant atque seium gunt a communicatu membri in animali praecipui, a quo calor emanat naturalis, atque unde uim sui motus recipiunt arteriae.

De causis siccis morbi.

Cap. 4

De calidis quidem ac frigidis affectibus abunde dictum est, de siccis uero deinceps dicitur. Si quis magis quidem transpiret, minus autem nutriatur, cum eo quod siccus habitus existit facile in siccam incidet aegritudinem, ac praesertim, si curis aut uigiliis immodicis occupatus fuerit. Et aeris quoque nobis circumfusi temperaturae cum siccatae fuerint, exiccant animalium corpora: & natationes praeterea in aqua quae nitri, aut sulphuris, aut aluminis, aut bituminis, aut alterius huiusmodi qualitatis est particeps: & quaecumque medicamina uim habent exiccandi, siue intro assumantur, siue foris adhibeantur, haec quoque siccum reddunt corpus. De quibus in eo uolumine in quo de simplicibus medicaminibus agitur, abunde dictum est.

De causis humidis morbi.

Cap. 5

Haec quidem siccitatis aegritudinum causae sunt. Humidarum autem sunt omnes causae contrariae, ueluti ciborum qui humidiori natura constant copia, & potuum excessus, & omnis uiuendi ratio, de licatior, & animi securitas, & balneorum ex aquis dulcibus plurimus usus, praesertim post cibum: sic & tota uita otiosa atque omni labore uacans, & pluuiarum abundantia, atque omnis status temporis humidus, & medicamina, quae humectandi habent potestatem.

De causis compositorum morborum, qui similes partes inuadunt.

Cap. 6

Liquet autem quod & compositorum aegritudinum causae omnino sunt compositorae. Si enim causa calida simul & sicca in unum aliquando conueniant, necessario calidus quidem atque siccus sequetur morbus: si calida & humida, pariter calidus & humidus. idem euenit in reliquis duabus simul iunctis qualitatibus, humida scilicet & frigida, & sicca & frigida. Quod uero huic sermoni adiungere ac simul distinguere oportet, iam aggrediamur, quod uidelicet corpus saepius alteratur, cum causae omnes eiusdem inter sese speciei existunt: plerumque uero cum uiribus contrariae sunt: & quod non nunquam superant, quae ex ipsis sunt uel numero plures uel diuturniores uel potentiores: interim uero ab utrisque ex aequo laeditur corpus. Et si uero nullo modo fieri posse uideatur, ut unum idemque corpus calidum una efficiatur ac frigidum, humidumque ac siccum plus, quam natura sit opportunum: tamen & hoc ipsum usu contingit, & merito distemperantia inaequalis appellatur: nosque de hac ipsa alibi seorsum, ut oportuit, disseruimus. neque nunc de eadem ipsa uerba contumere conuenit, sed potius ad reliquarum aegritudinum causas explicandas ueniendum. Hoc tamen in loco prius sunt repetenda, quae in libro de morborum differentiis edocuimus, quod uidelicet aliquando quidem ob solas quatuor qualitates corpora ab habitu naturali recedunt, nulla extrinsecus confluente substantia: aliquando uero fluxionibus replentur, idea quidem omnino humidis, uel autem non humidis. Sed de horum humorum potestate dictum quidem est ab antiquis & medicis & philosophis, & a nobis etiam tum in aliis commentationibus, tum in his praesertim, quas de medicaminibus edidimus. Quantum uero huic loco expedire uidebitur, impraesentiarum etiam dicitur, quod flaua quidem bilis facultate calida est & sicca: nigra autem frigida ac sicca: sanguis autem calidus & humidus: pituita frigida & humida: & haec quod ex his singuli influunt aliquando synceri, aliquando aliis commisti: & quod particularum oedemate uel scirrho uel phlegmone laborantium dispositiones hac de causa plurimum uariantur. Nam & anthracis, & cancri, & herpes, & erysipelata, & phygethla, & gangraena, & phagedaena, & satyriasis ex hoc genere sunt, & uiriliginis, & atheromata, & aci ochordones, & achores, & faui, & ganglia: & steatomata appellata, morbi sunt, qui fluxionum sunt partus. Haec uero inuicem differunt, ac praeterea ea omnia, de quibus praediximus: quoniam non nulla quidem ex sola sunt pituita, non nulla autem ex sanguine, quaedam ex bile flaua, quaedam ex nigra, quaedam ex aliquo alio humore, qui nondum omnino fit extra naturam. Sed hic ipse qualiscumque fuerit, unus, omnino erit ex his, quos enumerauimus. Neque fieri potest, quin sit aut calidus & siccus, aut calidus & humidus, aut frigidus & siccus, aut frigidus & humidus. Sed, quando ad plurimum crassitiei & frigiditatis peruenit, naturalis pituitae formam amittit, atque alius quidem humor esse existimatur, qui ex toto genere sit praeter naturam: non tamen ita se res habet, donec enim frigidus atque humidus sit facultate, ex pituitae genere erit. Eadem ratione, quicumque calidus fuerit & siccus, idem cum flaua bile genus subibit. De his uero plenius alibi disseruimus. Quo fit, ut nunc de his breuius dicamus, quoniam & de his ipsis omnibus copiosius in iis libris, quos de curandi ratione edituri sumus, tractare statuimus. Ad id uero, quod praesentis interest operis, redeamus. Omnes, quidem huiusmodi morbi sunt subinde ad partes ignobiliores materiam inutilem deponente natura:

Clarius. Fuit autem haec tum in uniuerso corpore, tum uero etiam in unaquaque particula, cum uel stipatur uel laxatur. Si enim quae uniuersum corpus habuit dispositione in obstructionibus & plenitudinibus arteriarum: haec ipsa haec particula ab his solum quae in ipsa sunt arteriis affectis: necesse est ut haec ipsa particula simili modo quo totum corpus agrotet. A. l. 1. f. 2. d. 2. S. 2. c. 1. p. A. l. 1. f. 2. d. 2. c. 6. p. 75. c. Antiqui qui da codici haec xxi ταυτα εχουσι: επος αυτην ηρασιυ. i. ac praesertim cum siccioris sit temperaturae, impressi habent. xxi ταυτα εχουσι ταυτην δυναμιν. i. eaque: sicciora sunt facultate.

A. l. 1. f. 1. d. 4. c. 1. p. 12. d.

Natura: quod etiam a multis alijs antea dictum est. Quis tamen sit depositionis modus, non adhuc est dictum. rationem enim quandam atque mentem naturae tribuimus, si ita simpliciter ipsam, quicquid inutile est, deponere affirmemus ex nobilibus partibus ad ignobiles. Sed, quod quidem in morbis bonae indicationes ab aliqua huiusmodi facultate fiant, manifeste apparet. Quis autem generationis modus his indicationibus sit, nondum maiores nostri exacte docuerunt: quoniam neque potentias naturales, de quibus nos in alijs commentationibus egimus, quot numero & quanam existant, & quod singularum sit opus, satis explanare potuerunt. Sed nulla sane difficultas suppositionibus, quas in eisdem commentationibus demonstrauius, ut etes nunc de hisce omnibus transigere. Cum quatuor sint numero potentiae, quarum quaelibet siue animalis siue plantae particula particeps est: & cum una quidem ex ijs attrahat id, quod ei conuenit, alia autem retineat, alia alteret, alia, quod superfluit, excernat: & cum materia ipsa superflua duplex genere existat, aut. n. quantitatis ratione, aut qualitatis: cum denique omnium corporis partium non aequaliter sit robur, quippe principales partes statim ab initio natura maiori robore dotatae: Nihil mirum, si in impuris corporibus, in quibus plurima inutilis materia redundat, ad ignobiliores partes aliquid confluat. Nam superfluum humor, ut qui a partibus omnibus robustioribus expellatur, ac nullibi consistere queat: tandem ad imbecillissimam omnium peruenit partem. Haec uero alia atque alia in diuersis corporibus existit, aut quia in prima animalis formatione eidem parti aliquis error obtigerit, aut postea aliquam susceperit noxam: aut quia talis natura esse debeat, quemadmodum cutis. haec enim (ut quae nullam operationem habet, sed usus tantum gratia a natura instituta est) optima ratione partibus alijs, quae aliquam habent operationem, imbecillior est facta. est enim quoddam ueluti uelamentum atque amictus animalis cognatus, cum neque coctionem, neque alimenti digestionem, neque sanguinis generationem, neque pullum, neque respirationem, neque uoluntarium motum, neque omnino operationem aliquam afferat animal. ac praeterea cum omnium aliarum partium extrema sit collocata, non absque ratione totius corporis excipit excrementa. Multa enim ab initio instrumenta, expurgandae materiae inutilis gratia, natura molita est: & haec quidem sola ad tuendam sanitatem sufficienti, cum nullam corpori labem is, qui nobis circumfunditur, aer adiecerit, aut delinquens ratio uictus humorum uitiosorum, redudantiam immodicam in corpore non effecerit. Nam, cum talis acciderit error, non amplius naturalia sufficienti instrumenta ad excrementi multitudinem expurgandam. Ideoque tunc accidit, ut fluxiones a ualentioribus impulsae partibus ad imbecilliores irruant. Illud quoque non nunquam usu euenire solet, ut, cum stipati fuerint hi, per quos expurgantur, meatus, ad alia confluant loca. Haec quidem principia sunt eignendi omnes praedictas aegritudines. Malum uero in ipsis membris augetur, cum in eisdem impactae superfluitates ac putrescentes, atque ea ratione magis uitiatae influentem postea humorem, etiam si utilis sit, coinquinant atque corrumpunt.

De causis morborum in genere conformationis.

Cap. 7

Sed, quoniam familiarium partium proprios recensuimus morbos, superest, ut de instrumentariorum morbis dicamus, exordium ab eo sumentes, qui primum inter alios obtinet locum, qui uidelicet in formatione consistit. Hic autem sit naturali quidem figura non nunquam euariante: nonnunquam uero laetitate quadam aut asperitate, aut meatu ipso corrupto. Causa autem, ob quam figura naturalis permutatur, prima quidem est formatio conceptus in ipso adhuc utero matris uitiata uel ob materiae multitudinem, aut ob qualitatem minime aptam: quae naturales seminis motus impediatur. Secunda uero, si, dum paritur, dumque, fasciis infans inuoluitur, error aliquis committatur. Mollia siquidem ac pene fluxibilia cum sint corpora infantium nuper in lucem uenientium, facile inuertuntur, cum & in exitu a matris utero non recte ab obstetricibus excipiuntur, & non commode fasciis inuoluntur, ac deinceps a nutricibus sine modo aut attolluntur, aut reponuntur, & dum praebetur lac, & dum lauantur, & dum fasciis alligantur. In his siquidem omnibus, nisi quis infantes commode pertractauerit, facile uniuscuiusque membri forma naturalis euertitur, ac corrumpitur. Et quidem in omni ea, quae sequitur, educatione, partim ab immodica satietate, partim a motibus perperam factis, dum ante tempus aut stare, aut ingredi permittuntur, aut uehementioribus motibus exponuntur, plura in ipsis membra inuerti contingit. Si quidem nimia satietas operationes impedit naturales. Intempestiui autem & uehementiores motus labefaciunt artus, ac, in quam minime sit opportunum, partem circumagunt. Crura etenim ex ipsa innitentium corporum grauitate aut ad exteriora, aut ad interiora uertuntur, ut magis ad haec, quam ad illa primum tibiae momentum declinat. Quibus enim rectiora sunt, quam naturae conueniat, blasa fiunt magis: Quibus autem cauior, efficiuntur rhæba. Voco autem blasum, quod ad exteriora conuertitur: rhæbum autem, quod in contrariam partem. Et thoracis quidem partes plerumque a nutricibus inuertuntur, dum ipsas in prima educatione nimium arcte extrinsecus uincunt. Maxime uero hoc quotidie apud nos fieri intuemur in uirginibus: quibus, dum student nutrices auge re ea, quae sunt circa coxas ac ilia, ut haec magnitudine thoracem exuperent, uittis quibusdam totum circumprehendunt, atque omnes scapularum ac thoracis partes uehementius stringunt ac comprimunt. Quo fit, ut, cum saepe non aequae omnes intendantur, aut proum in partem anteriorem reddatur pectus, aut posteriores partes, quae ad spinam pertinent, gibbae reddantur. Illud uero non nunquam accidere solet, ut ueluti perfractum atque ad latus adductum fiat dorsum, ita ut altera quidem scapularum non aucta, sed parua ac ualde compressa appareat: altera uero prominens, tumidaque ac omnino

omnino maior. Hæc quidem omnia figurarum existunt vitia, quæ in thorace committuntur ob errorem imperitiamque non æquo momento alligantur nutrimentum. Sic & Medici plerumque male alligantes atque efformantes artus effractos, ipsos inueterunt. non nunquam uero, ubi Medicus recte suum opus impleuerit, ipse, qui paritur, si, antequam callus satis inualuerit, membrum exercere conetur, sibi inuersionis est causa. Sed & collisæ partes sicuti nares, & circumfractæ sicuti supercilia cavitatum ossium, quas cotylas Græci uocant, & excisa quandoque ossa, aut magna portio carnis, cum deinceps non æqualiter supercreuerit, hæc omnia occasione afferunt, ut naturalis figura perdat. Alius autem modus est figuræ deprauandæ, qui ob immodicam repletionem aut alimenti defectum contingit, sicuti ijs, qui aut nimis crassi facti sunt, aut nimium contabuerunt, siue id in una tantum corporis parte, siue in toto corpore eueniat. Nam & morbus qui elephas appellatur, & tabes (græce phthoe) manifestissime figuram immutat. Resimatur enim nasus, & labra crassa sunt, atque aures extenuatæ uidentur his, qui elephantiasim patiuntur. atque hi omnino satyrorum effigiem præ se ferunt. Nares autem acutæ, & collapsæ tempora, & oculi concaui, & circa scapulas ac brachia ueluti quædam alæ, his, quos tabes male habet, apparêt. In his quidem omnibus prima ratione corrumpitur figura naturalis. Ex accidenti autem his, qui resolutionem aut distentionem neruorum, aut inflammationem, aut duritiem patiuntur, aut quibus nerui dissecti sunt aut chordæ, aut duris cicatricibus astricti. In his siquidem omnibus alias ob aliam causam, ad alteram partem membrum declinat, tractum quidem a musculis motum facientibus in his, qui altera tantummodo parte sunt resoluti. sic & in neruorum distentionibus quæ ad alteram contrahunt partem a musculis distentis. Inflammationes etiam & duri tumores atque induratæ cicatrices & quicunq; tales affectus partem ad se proximam tendunt, eadem ratione membrum peruertunt. In eisdem uero dissectis neruis & tendinibus, sicuti in resolutis, oppositorum, & secundum naturam se habentium actio, membrum ad se attrahit: adeo quod hæc plures numero causæ ad unam reducuntur, quæ membrum urgente ad alteram partem tensionem peruertit. Et de figurarum quidem præter naturam differentia, hæc dixisse sufficiat. Cavitates autem quæ partibus corporis insunt & earum meatus, ob eas quas subiiciemus causas corrumpi uel lædi contingit. Coalitum scilicet, angustiam, obstructionem, compressionem, subsidiam, & eorum quæ ora appellantur patefactionem. Nam quum nonnunquam exulcerata sit cavitatis interior superficies, ac deinceps simul coalescant exulceratæ particule, formatio naturalis necessario destruitur. Nonnunquam uero uel carne adnata, uel aliquo alio germine præter naturam, uel duro quopiam siue inflammato tumore, aut abscessu in ipsis corporibus instrumentorum, ac deinceps eodem tumore præter naturam, interiorem occupante cavitatem loco, angustia superuenit. Et sane obstructio ob lentos ac crassos humores, uel ob callos aliquos uel ob grumos proueniens: cavitates ad similem perducit affectum. Sic & si aliquid extrinsecus incidat ac uehementius comprimatur, necessarium est ut circumiacentia corpora ad interiorem cavitatem detrudantur. Quin & si subsideant in seipsa corpora, ueluti cum ab astringentibus coguntur, aut a frigidis densantur, aut ab arefacientibus marcescunt, ipsos quidem meatus in primis, iam uero & ipsas etiam cauernas constipabunt. Nam ora quidem meatuum non solum constipantur, sed etiam penitus in huiusmodi affectibus sæpenumero occæcantur. Sed & eius uirtutis, quæ contentiua appellatur, motus immodicus, cum ora meatuum supra modum colligit & cohibet, constipationis est causa. Quemadmodum & excretiue uirtutis motus immodicus nimium laxat: hoc idem sæpenumero faciunt & uirtutis contentiue imbecillitas, & medicamen aliquod, aut aqua, quæ aperienti ora uim habeat, aut mollities immodica, quæ ipsis accidit instrumentis, aut circumfusi aeris temperatura, quæ ad humiditatem & caliditatem immodicam uergit. Hæc quidem sunt & meatibus & ipsis præterea cauernis talium affectuum causæ. Atque ex his intelligi potest quasnam in corporibus similibus causas esse uelint hi, qui ex tumoribus atque meatibus eadem putant esse constructa. Sed cum tota ipsorum suppositio sit falsa, mihi superuacaneum uisum est de ipsis priuatim facere mentionem. Quare ad id quod propositi nostri est institutum, reuertamur, ac reliquorum morborum causas assignemus, ab eo rursus genere, quod ad formationem attinet exordientes. Superant autem duo in eo modi, cum instrumenta aut præter naturam læuia sunt, aut aspera. Exasperantur autem quæ prius erant læuia: & læuigantur quæ prius erant aspera: illa quidem ab acritudine humorum, aut medicaminum, absterfa: hæc uero a pingui humiditate, aut lento humore, irrigata. Præcipue uero in ossibus hæc euenire euidenter conspiciuntur, cum non recte a Medicis curantur, sed aliquando ex humorum natura, qui in animalium corporibus inueniuntur, habent originem. Oculorum autem & gutturis asperitates, non ex his tantum, sed ex acris uaporibus, aut puluere, uel fumo contingunt, sicuti (ut arbitror) & stomacho, & uentriculo, & intestinis a materia inutili, quæ in ipso corpore gignitur, atque ex eorum, quæ eduntur & bibuntur, qualitate. Inter quæ etiam uenena connumerantur. Liqueat autem quod exasperantiu causarum singulæ, cum inualuerint, ulcerationem quidem aliquam, aut corrosionem in partibus carnis lentis afferunt, in ossibus uero cariem inducunt. Hæc quidem sunt primi generis ægritudinum, quod in formatione consistit, causæ.

De causis morborum in genere numeri.

Cap. 8.

Secundi autem generis, quod in numero consistit: Vbi quidem aliqua ex partibus defuerit naturalibus, aut sectio aut ustio aut putrefactio aut ualida frige factio præcessit. Et causæ quidem frige factio prius sunt explicatæ. Putrescunt autem nonnulla quidem a medicaminibus, quæ uim habent putrefaciendi,

A faciendi, aut ab ijs, quæ in ipsis animalibus oriuntur, superfluitates: nonnulla uero ob id quod minime transpirant. Causas etiam prohibita transpirationis præcedentes prius aperuimus. Vbi uero aliud numerum partium spectabit. Sed cum id quod superadditum fuerit, hæc quidem etiam ægritudo naturam, optimæ materiæ abundantia erit in causa. At si præter naturam, erit & materiæ qualitas præter naturam. Atqui uires utrobique ualidas esse oportebat, alioquin neque quod utile erat, natura afformasset, neque quod uitiatum, excreuisset. Formatur autem in conceptibus, quando aut sex digitos aut tale aliquid facit: in iam adultis autem, quando exulceratis particulis ualidas carnes superauerit, aut in oculis unguem. Deponit autem id quod est inutile in his passionibus quas Græci ganglia, melicerides, steatomata, atheromataque appellant, ac in reliquis eiusdem generibus affectibus.

De causis morborum in genere magnitudinis.

Cap. 9.

A. l. i. f. 2. d. 2. c. 14. p. 76. E

Imminuit autem à contrarijs causis, aut ubi sectione aliqua, aut exustione, uel putrefactione, uel immodica frige factio quæ interitum affert, aliqua instrumenti corrumpitur pars, adeo ut, quæ remanet, mutilata reddatur.

De causis morborum in genere positionis.

Cap. 10.

A. l. i. f. 2. d. 2. c. 8. p. 76. D

Quæ uero in compositionis genere ægritudines fiunt, nonnullæ quidem à repentinis ac uehementibus motibus ortum habent, nonnullæ autem ab articularum immodica humiditate, quæ ligamenta madefacit atque laxat, etiamque articulationem ob lentitiam, lubricam reddit. Nonnullis autem ob id quod ossium concauitatum supercilia circumfranguntur, aut quod cotylæ ipsæ statim à principio supinæ incontinentesque ac penitus in superficie, factæ fuere, promptius artuum capita ex suis sedibus excidunt. Hæc igitur omnia ex articulationum causæ sunt. In his autem ægritudinibus quæ enterocelæ & epiplocelæ appellantur, laxari magna ex parte, nonnunquam uero & abrumpi eum meatum contingit, qui a peritonæo ad testiculos pertingit. Sic quoque deinde ad ipsum meatum, aut ad tunicam quam Græci erythroïdem appellant, aut omentum, aut aliquod labitur intestinum. Mouentur præterea suis sedibus intestina, cum dissecto peritonæo deciderint. Et pulmonis quoque fibra sæpius in uulneribus pectoris exit. Et tunica ueua ut plurimum relaxatur, cum corneam nimium erodi contigerit. Vbi etiam uisceris cuiuspiam fibra aliqua nonnunquam ob uehementiores casus, aut compressiones complicetur, hæc quoque ægritudo ad situs ac figuræ uariationem pertinebit, facta ob illas, quas commemorauimus, occasiones. Ad uicinas autem partes communicatio deprauatur, cum aliqua non oportune coaluerint, aut cum aliquod appendiculum, aut uinculum relaxatur, uel intenditur uel abrumpitur. Neque in obscuro est, ex quibusnam occasionibus horum singula eueniant.

De causis solutionis unitatis.

Cap. 11.

A. l. i. f. 2. d. 1. c. 2. p. 53. A

Vnius uero adhuc generis ægritudinum, quod commune omnibus existit partibus, siue similes ac omnino simplices, siue compositæ existant, causæ sunt explicandæ. Ego uero hoc uniuersum genus unitatis solutionem appellare consueui, aut unitatis corruptionem, aut continuitatis solutionem, uel quomodolibet aliter prout sperauerim sermonem auditoribus fore perspicuum. Neque enim nomen aliquod ab his, qui ante nos fuerunt, impositum accepimus, sicuti nonnullas eius species proprijs designauere uocabulis. Fractionem quidem & cariem, cum in ossibus soluitur continuitas: ulcus autem ac uulnus, cum in carne hoc fit, appellant. In ossibus autem capitis, plures etiam sunt nuncupationes. Qualis enim est in reliquis ossibus fractio, ruptio uel ruptura uocatur. Quæ uero ab aliquo acuto occurrante atque abscedente fit, incisio atque dissectio appellatur & sedes. Nomen autem teredonis apud Græcos, quod cariem significat, uidetur quodammodo (ut apparet), litera superabundare. Nam à tremate, id est foramine deriuatum esse creditur: ueluti terdon quædam, id est foratio existens, quæ uidelicet ab acutis humoribus erodentibus fit. Sub aliud autem ab initio quidē facta, & quodam ueluti sinu apparente, caries dicitur. Et collisio quidem ex hoc genere existit, quæ magna ex parte in partibus fit carnulentis, nonnunquam uero & in ossibus capitis, in pueris præsertim. Nam in seipsum cedat oportet quicquid colliditur. Hoc autem & molle esse expositular, ac non perfecte durum. Quare aut ex carnis partibus, aut ex tenera ossium natura existet, quæ duri ac ualidi corporis extrinsecus occurrantis uolentum sustinet impetum. Cum igitur exterior superficies eius quod ita patitur, corporis continuitatem serauerit, multæ uero exiguæ diuisiones in profundo constitent, collisio ac cõtusio uocatur hoc ægritudinis genus. At cum cavitatis aliqua apparet, quam rei collisæ percussor impresserit, tunc illisio dicitur. Necessarium est igitur omnino, ut sub ipso ictu, in seipsum impellatur & cauum fiat id quod colliditur, alioqui enim non collideretur: ut uero abeunte causa cavitatem retineat, non est necessarium. Nam magna ex parte mollia omnia ad naturam suam locum regrediuntur, ubi percussor discesserit. Si uero non solum introcesserit capitis os, uerum etiam ruptio aliqua in superficie exteriori fuerit adiuncta, tunc est ægritudo composita, neque ei nomen aliquod inditum ab antiquis autoribus habemus. Sed potius est oratione explicanda, quam nominibus extreme barbaris, quibus plerique iuuenes medici uti consueuerunt. Continuitatis uero solutio existit & ruptio & cõtusio, altera carnis partibus altera neruosis adueniens. Horum uero generationis est causa, repêti-

SECUNDA CLASSIS.

B nus

nus quidam ac inæqualis uehemensq; motus, ac tum præcipue cum neq; perfricata neq; calefacta, neque ad æqualitatem ducta aut molliciem corpora, motibus exponuntur. Diuelluntur enim in huiusmodi affectibus plurimæ eorum partes. Atq; ut summam dicam, omnium huiusmodi generis ægritudinum causæ, nonnullæ quidem extrinsecus adueniunt, nonnullæ autem ex ipso corpore ortum habent. Atq; extrinsecæ quidem sunt, ea omnia quæ uulnerare ac collidere apta sunt. Ex ipso autem corpore causæ sunt immodici quidam ac sine ordine motus animalis, & nonnulla humorum uicia, quæ corroderent uim habent. Tales quidem sunt causæ ægritudinis omnibus partibus communis, primis scilicet atq; simplicibus, quæ similes appellantur, atq; iis, quæ ex illis componuntur, quæ & instrumenta & instrumentaria dicuntur. Compositarum uero ægritudinum causas non est admodum inuenire difficile, cum ex his quas commemorauimus componantur. Quare si quis hoc desiderio teneretur, potest sibi hanc parare facultatem. Nunc autem est tempus ut huic sermone finem faciamus, ac de accidentium differentia deinceps differamus.

*GAL. DE SYMPTOMATVM DIFFERENTIIS
LIBER VNVS.*

Thoma Linacro Anglo interprete.

ARGUMENTVM LIBRI.

Ad quæ capita differentia omnes symptomatum reducendæ sint.

Quid sanitas, quid morbus, affectus, pathos, causa per se, & per accidens, & symptoma. Cap. I.



QUINAM & quot numero morbi in uniuersum sint, tam simplices quam compositi generatim membratimq; diuidentibus, quot item cuiusq; generadi sint causæ, aliis commentariis prodidimus. Reliquum est de symptomatis differere, quo de affectibus omnibus qui præter naturam sunt, omnis nobis absoluitur disceptatio. Omnis igitur corporis affectus qui a naturali statu recessit, uel morbus est, uel morbi causa, uel morbi symptoma, quod etiam epigenema Græcis quibusdam medicis nominare in usu est: uerum non admodum id uocabulum usurpatum est, sed symptoma & pathema & pathos omnia id genus nominare solent. Sane non idem omnino significatur per iam dicta nomina, sed sicuti ipse distinguam, de omnibus deinceps quæ propinqua inter se sunt, ad hunc modum differens. Ergo dictum est morbum esse corporis statum quandam præter naturam, a quo functio læditur primum. Cõstat autem, & si eum esse affectum quandam præter naturam dixerimus a quo actio læditur, idem dicturos. Siquidem omne quod est, siue id sanum sit, siue ægrum, siue neutrũ, quodammodo afficitur. Affectus uero, id est, affectus nomen quodammodo est ortum, atque in hunc usum non ab antiquis modo philosophis, sed etiam aliis hominibus tractum. Et affectus quidem tum eorum qui sani, tum qui ægri sunt, tum neutro modo se habentium omnium est commune: etenim & cantus & harmoniæ & orationis & dictionis affectio quædam esse uidetur. Morbus autem sanitati contrariũ. Dissidet autem ab utrisq; (ueluti Plato ipse definiens prodidit) quod Græce pathos & pathema dicitur, latine passionem appelles. Quicquid, n. H patitur quis, pathos siue passio est appellandum. Eoq; arbitror sensu quoq; alterationes, pathemata siue passiones appellauit. In uisu quidam eas quæ ab albo, nigro, flauo, & ceteris coloribus fiunt. In tactu quæ a calido, frigido, humido, sicco, molli, duro, ceterisq; id genus. Ad eundem modum & in singulis reliquorum sensuum. Nominat autem is & uoluptatem passionem, omnemq; in summa motum, quicumq; ab altero fiat in alterum. Quippe agentis motus actio est: eius uero quod ab eo est quodammodo affectum, passio. In summaq; ipsum affici, idem quodammodo quod pati est. Differtq; passio ab affectu affectione uel motu. Quippe cessante eo quod alterabat, alteratio quæ in passio iam remanet, affectus eius est. Ita scilicet ut in ipso uerbi & mutari & alterari & moueri, passio generationem habeat. In eo uero quod manet, & in subiecto corpore reseruat, affectus constat. Iam ipsum quoque permanentem affectum Græci passionem nominant, ueluti etiam quod iam fecit, nec etiamnum facit, causam. Quamquam neque hoc absoluto sermone causa est, nec affectus qui manet, absoluto sermone passio. Sed exacte loquenti, affectus passio est iam facta, non autem quæ adhuc fit. Quod autem Græci sic nominare consueuerunt, in libro de medicis nominibus a nobis est monstratum. Cuius memores, id agamus, ut (quod a nobis semper est dictum) de nominibus quam primum inter nos conueniat, ad res autem ipsas properemus, in iisq; moremur. Verum pleriq; eorum

A. l. r. f. d. c.

A. l. r. f. d. c. p. 5. 2. E

A. l. r. f. d. r. c. r. d. p. 5. 2.

Arum qui sibi doctrinam uindictant, contra faciunt: litigando enim de nominibus totam uitam contemunt. Quare ad finem artis attingere nunquam possunt. Quid nam igitur est agendum ei qui ueritatis est studiosus? Nempe res ipsas quæ inter se natura sunt similes, eoq; minus aduertuntur, ostendere. Dein nomina iis imponere, potissimum quidem si potis est, quæ maxime sint in usu. Sin hæc non nouit, apta fingere. Ante omnia uero singulis rebus singula nomina, ne qua in sermone uel obscuritas ex homonymia nascatur, indeq; sophismata oriuntur, uel res ulla omittatur. Illud uero recte ne an non recte, & proprie an improprie nomen sit positum, per longius ocium æstimare, cum res ipsas iam intellexerimus. Quippe in harum cognitione successus operis consistit, non in nominibus. Ac nos quidem sicuti dixi, tum consuetæ uulgo nomina rebus imponimus, tum res quæ inter se sunt uicina, distinguimus. Ceteris nominare quidem sicuti libet permittimus, rem aliquam indefinitam relinquere non permittimus. In iis namq; ipsis quæ proposita nunc sunt, quoniam id quod in ipsa corporis conuersione & mutatione & qualicumq; alteratione consistit, diuersum est ab eo quod iam factum est & subsistit: eius autem quod factum est, aliud naturalem actionem efficit, aliud eam lædit. Quod in ipso (ut sic loquar) fieri essentiam habet, actionem passionem uel nominauimus: quod in permanentia ad aliquod tempus, sanitatem morbum uel. Passionem uero ab actione discreuimus, tanquam quod fit ab eo quod facit, sicuti morbum a sanitate, ueluti id quod præter naturam est, ab eo quod secundum naturam. Rursus igitur integris horum orationibus positis, deinceps quæ reliqua sunt persequamur. Sanitas est secundum naturam affectio, functionis effectrix. Nec interest, sicuti diximus, an affectum statum uel qui actionem efficiat, dicas, an actionis causam. Simili modo nec si illud secundum naturam auferes, quicquam referet: adsignificatur enim in reliqua oratione. Ita sanè & morbus, & status corporis est extra naturam, uel actiois causa. Vel breuius ad hunc modum, Morbus est affectus præter naturam qui actionem impedit. Passio, motus in materia qui fit ab agente. Ipse uero agentis motus, actio. Quod autem ex sua natura ei quod fit partem aliquam generationis confert, causa ipsius dicitur. Porro huius multa sunt genera. Nam & materia & utilitas & scopus & instrumentum & unde motus initium. Singula enim horum, ei quod fit, perfectionis aliquid conferunt. Quæ uero nihil conferunt, sed tamen ab iis quæ conferunt seungi non possunt, hæc eius quod sine quo non, rationem obtinent. Sane hæc cum ita se habeant, fieri subinde potest, ut causarum quæ se deinceps excipiant, series quædam existat: non aliter quam si calculis aliquot deinceps positis, primum eorum moueat quis, ac primum secundum, & ille tertium, atq; ita deinceps, unusquisq; eum qui sibi succedat. In talibus autem omnibus nisi quis id quod per se facit, ab eo quod ex accidenti facere dicitur distinguat, plurimi absurdissimiq; errores in disputatione contingunt. Significat autem per se, idem quod primum: tamen si attricizantium quidam non ita particulam usurpent. Ex accidenti uero, idem quod secundo loco. Igitur qui primo calculo digitum admouet, primum quidem hunc mouet: ex accidenti uero ac secundo loco, eum qui illi succedit, atque ad eum iam modum reliquos omnes. Pari modo primus quoq; secundum quidem mouet per se, ex accidenti uero tertium, & qui reliqui ab hoc habentur. Iam secundus ipse pro eadem ratione, primo siue per se mouet tertium, secundo loco quartum & quintum, & si qui sunt deinceps. Quod si diligentius adhuc distinguere libet, (quippe ad exquisitiorem rei notitiam sic prestat) quisq; calculus eum qui sibi deinceps habetur, primum mouet, secundo eum qui post hunc, & tertio adhuc eum qui post illum, & quarto eum qui huic est deinceps. His ita se habentibus ac definitis, quoniam morbus affectus quidam est præter naturam qui actioni incommodet, morbum autem ipsum præcedere potest affectus alter, qui etiam præter naturam sit, non tamen secundum suam ipsius finitionem, actionem lædatur, sed morbi interuentu: talem affectum non morbum, sed causam qui morbum præcedat appellabimus. Quo in loco diligenter animum ad eos aduertamus oportet, qui illum quoq; affectum lædendæ actionis causam dicunt. Non enim per se aut primum, sed ex accidenti & secundo impediri offendiq; per eum actionem dicemus. A morbo uero ipso primum & secundum ipsius substantiæ rationem. Itaque cum dicitur morbus est corporis affectus qui actionem impedit, iis qui statim subaudiunt quod primum & ex se ipso id facit, sufficiens est definitio. Si qui uero uel minus dextere uel contentiosius inaudiunt, iis adiciendum in oratione est primum, quo talis sit finitio: Morbus est affectus corporis, actionem aliquam impediens primum. Quotquot igitur affectus hunc præcedunt, ij morbi non sunt. Quod si ulli alii cum iis affectus incidunt, qui ipsos ueluti umbræ sequantur, nec hos morbos uocabimus, sed symptomata. Ita non statim quicquid est in corpore præter naturam, morbum uocabimus: sed id quod primum actionem uitiat, morbum. Quod hunc præcedit, morbi causam, non autem morbum. Quod si quis alius affectus in corpore morbum sequitur, is symptoma [duntaxat] dicitur. Quinetiam actionis ipsius læsio, symptoma animalis est. Quicquid namq; animali præter naturam accidit, symptoma est. Ac nominum quidem usus apud Græcos ita se habet, quæ tamen mutare, dummodo res ipsæ (sicut prædictum est) maneant immotæ, ei qui uolet licebit. Verbi gratia: Si cui non placet symptoma uocasse, sed epigenema, quasi superueniens uel supergenitum dicat. Symptoma enim esse, quicquid præter naturam animali accidit. Epigenema uero non omne sed quod solos morbos necessario sequitur. Verum nos (sicuti dixi) omnem alterationem quæ adhuc fiat, passionem: omnia uero quæ in corpore præter naturam subsistunt, nominauimus symptomata. Accidetq; aliquoties eandem rem & passionem & symptoma nominari, quod scilicet utriusq;

nel non rite peracta, symptomata incidunt. Cuius generis symptomatum, & hydropum uitia sunt. Iam E in nutriendi actione atrophie quedam & tabes, frustrationes eius sunt. Leuce uero & ophiatis & alopecia & quicquid eiusmodi symptomatum genus habetur, a uitiosa nutritione prouenit. At asphyxia, id est pulsuum priuationes, & cacosphecia, id est pulsus uitiosi, circa pulsuum actionem sunt symptomata. In excrementorum quoque separatione, uel omnino non peracta, uel non rite peracta, symptomata sunt: aliqua nomine proprio uacantia, ueluti quae circa nigram bilem eueniunt: alia uulgo nominata, ueluti icterus, siue regius morbus. Methodus uero hic quoque omnium inuentionis est, naturalium facultatum cognitio. Eas in libris quos de iis prodidimus, quatuor esse in quaque corporis particula in dicauimus, Attractricem, Retentricem, Alteratricem, & Excretricem. Erit igitur in harum unaquaque duplex symptoma: alterum non rite obita actionis, alterum prorsus non obita. Quare in quoque naturali instrumento, octo incident in uniuersum symptomata. Ergo si cui ex dissectionibus exploratus est particularum animalis numerus, hic breui, immo uero facile ex sese omnem symptomatum multitudinem inueniet. Quippe quae naturae tantum sunt instrumenta, octo solum symptomatis laborabunt: quae uero sunt animae, tum istis, tum his amplius alijs duobus. Monstratum enim paulo supra est, cuiusque animalium actionum duplex esse symptomatum genus, uel prorsus non peractarum, uel parum rite actarum. Dictum praeterea est, non rite hoc duplex esse: aliud ueluti ex defectu proueniens, aliud (ut sic dicam) ex uitio siue errore. Ita utique ut si non duo tantum in quaque actione & facultate symptomata esse dicas, sed tria, alterum scilicet priorum duorum in duo secans, duodecim quidem in quoque naturali instrumento symptomata inuenienda sunt: quindecim uero in ijs quae animae subserviunt. Porro prior diuisio, quae in duas facta est differentias, octo quidem naturalium, decem animalium actionum efficit. Si quod uero in animali instrumentum tum sensus simul particeps est, tum motiuum: huic ex secunda diuisione decem & octo symptomata incident, ex priore duodecim. Monstrato igitur quod dicimus in una alteraue particula, quod nos in iis, id in omnibus facere censemus, cum qui enumerare symptomata studebit: minime quidem nominibus attentum (neque enim ubique usitatas appellationes inueniet) sed ipsam rerum naturam spectantem. Est igitur uentriculus concoctionis instrumentum, quod trahit in se, uti diximus, conueniens nutrimentum: excernit autem quicquid est alienum: praeterea quod attraxit, id retinet: & quod retinet alterat. Cum igitur uel omnino non trahere uel uitiose trahere illi contingit, duo mihi symptomata circa attractricem potentiam intellige. Scindeque alterum rursus in duo, nempe quod uitiose, oratione saltem quatenus utique licet, (tamen si nominibus clare non possis, quod scilicet his nullum impositum nomen est) interpretari tentatus. Verbi gratia, quod etiam illud non rite, aliud ueluti imbecillum est, aliud ueluti uitiosum. Imbecillum quidem, quod uix & aegre & longo tempore fit. Vitiosum, quod ueluti cum palpitando, tremendo, uel conuellendo, uel uibrando agitur. In alteratrice uero, uentriculi facultate, aliud est ubi omnino alteratio non fit, cum scilicet quales assumpti cibi sunt, tales in omni qualitate manent. Aliud ubi imbecilliter, quod proprium nomen graece bradypepsian habet. Aliud ubi uitiosa est alteratio, cum in alienam qualitatem cibi mutantur. Quare tria in totum symptomata circa unam actionem frustratam habentur. Vocatur autem ipsa actio, concoctio. Ea est ciborum in conuenientem animali qualitatem alteratio. Bradypepsia uero siue concoctionis tarditas, mutatio in eam qualitatem est, sed aegre & spatio longiore. Alterationem autem in alteram qualitatem non tamen in eam quae secundum naturam est, aepsian nominant. Priuatio quoque eius actionis aequiuoce cum ea nominatur. Quamquam utique clarius fuerat, hanc solam aepsian nominasse: illam uero uitiose factam, dyspepsian: sicut imbecillam alterationem, bradypepsian. Ceterum ut Plato testatus est, ueteres cum plurimas rerum ignorarent: alias omnino non nominarunt, alias non recte. Non est igitur quod nomina nobis imponant, sed inspicienda nobis est ipsa rerum substantia. Quod si fiet, inueniemus retentricis quoque facultatis actionem secundum naturam se habere, cum tempus complectendi cibi cum tempore concoquendi exaequat, ac cibos undique prorsus costringit: priuationem uero omnimodam eius actionis, cum prorsus non complectitur. Accidit autem id in hilienteris, siue in intestinorum laetate. Imbecillitatem uero, cum uel non probe undique amplectitur, uel non usque ad consummatam concoctionem, uel cum ambo haec simul incident. Cum enim retentricis & complectentis facultatis agendi probitas in iis duobus constitit, ut tum nullum locum relinqueret inter uentrem & cibos uacuum, tum complectendi tempus cum concoquendi tempore exaequaret, uel altero tantum non probe actionem obibat, uel utroque: symptomataque consequentur, imbecillo quidem complexui, fluctuationes cum sonitu, quas Graeci clydonas uocant, & flatulentiae: iniusto autem complectendi tempore, excretio celeris & ciborum in inferiore uentre corruptela. Hoc loco illud aduertendum censeo, quod alteri symptomati alterum nonnunquam succedit. Quippe imbecillum complexum, modo clydonas excipiunt, modo flatulentiae: iniustum uero complectendi tempus omnino diminuta concoctio: deinceps uero uel celer ciborum exitus, uel eorum in uentre corruptela. Ac celeris quidem exitus inseparabilia symptomata sunt deiectionis humiditas, & digestio in corpus diminuta: Corruptela autem in alui quidem deiectionibus graeolentia necessario, non necessario autem mordicationes aut inflationes: sed interim neutrum eorum, interim alterum, interim utrumque. Cur autem tum in istis, tum in iis quae prius sunt dicta, quaedam necessario sequantur, quaedam non necessario, proximo libro in quo de symptomatum causis agemus, docebitur. In praesentia uero ad reliqua retentricis

A. 1.3. f. 16. r. l. c. 2. p. 614. c

A. 1.3. f. 13. r. l. c. 17. p. 527. b

A tentricis facultatis symptomatum differentiam est transeundum. Cum igitur circum cibos uenter se costringit, ceterum cum palpitatione quadam, uel tanquam conuulsione & tremore & uibratu, eiusmodi constrictionis opus uitiosum fuerit. Ac palpitationem quidem uentris clare sentimus, itemque couulsionem. (Singultum enim hoc symptoma nominant.) Noxam uero eius quae uelut tremor fit, non clare. Ceterum si iis quae dicemus animo eris attentus, id quoque non magno negotio deprehendes. Ergo ubi a comedendo, nec clydon aliquis, siue fluctuatio cum sonitu te infestat, nec inflatio, nec palpitatio ulla, nec singultus, sed difficultas alias inueta, in uentre sentitur, grauaturnque is, ac laborat, [ac magis desiderat grauitatem infra deponi, quam sursum ferri,] accedit praeterea ructus quispiam, tum displicentia quaedam aliena [nec facile interpretabilis,] in anhelitu adsequitur: existimabis uentriculum circa cibos constringi quidem, ceterum id ueluti cum tremore fieri. At qui ueluti uibrans motus est, in coactuentibus rigoribus maxime est conspicuus, omnes animalis particulas occupans. Ac de iis quidem filiis in libris qui hunc sequuntur agemus. In praesens ad quartam uentris facultatem excretricem propultricemque ueniendum. Cuius quod quidem ueluti priuatio est, in ilei quibusdam generibus cernitur. Imbecillitas uero subinde in tardis excrementorum deiectionibus incidit. Qui autem eius ueluti uitiosus motus est, tum incidit, cum uel prius quam absoluta concoctio est, ad actionem proruit, uel absoluta ea cessat, ac tardat, uel una cum aliquo iam dictorum symptomatum fit, aliterue quouis modo inaequaliter, uel tanquam impos sui uenter in cibos irruit, minime temperato moderatoque motu utes: exemplo eorum qui in decliui currunt, nec sistere se ualent. Ac uentris quidem ut instrumentum concoctionis est, dicta symptomata sunt. Ut autem tum nutriti postulat, tum quod nutriat, non solum trahit, sed etiam eatenus retinet, quousque alterauerit & superuacaneum excreuerit, alium parum symptomatum numerum ceu simile corpus sortietur. Fortasse igitur praestiterit oia quae circa nutritoriam actionem symptomata incident percurrere, & quae uentris corpori, & quae caeteris particulis oibus insunt communia. Quippe clarius ita legentibus disputatio fiet, illustriusque docebit quod paulo supra est dictum. Symptoma symptomatis causam esse. Atrophian enim cum unum symptoma sit, siue ea in toto fiat animalis, siue in una eius particula, multa praecedunt symptomata. Cum enim quod probe nutriendum est, & trahere ad se conueniens nutrimentum debeat, & id quod tum alterauerit tum assimilauerit retinere, praeterea quod superuacuum est pellere, (Est autem id duplex genere, aut enim quantitate superuacaneum est aut qualitate) necesse omnino est particulam quae atrophia laborat, uel unius praedictorum alicuius occasione id pati, uel plurius. Nam siue diminute trahat, quod nutrit, siue non trahat, siue perperam trahat, atrophia particulam consumet: siue id quidem quod nutrit, & quantum & quale esse oportet suppeditatur, ceterum symptoma aliquod in retentrice facultate incidit, simile his quae in uentre sunt dicta, atrophia tentabitur sic quoque. Quod si haec facultates legitima fungantur actione, excretria autem uis erret, plus scilicet, quam opus est uacuans, sic quoque gracilis nutrimentoque parum fruens, particula reddetur. Iam alteratricis uirtutis symptoma, quod ueluti priuatio est, (ea autem aepsian siue cruditate uocant) liquido patet, quod particulam gracilem efficit. Quod uero eius ueluti imbecillitas quaedam est, quam bradypepsian uocant, spatio quidem longiore, sed tamen luculenter ipsum quoque aliquando gracilitatem inducet. Tertium uero symptoma, quod dyspepsia est simile, non gracilem modo nutritionis desiderio, sed etiam aliena specie particulam reddet, ueluti in uocatis leucis & elephantasi cernitur. Sane aduertere hoc in loco animum, ac discernere conueniet, utrum ne succo aliquo affluente, an solidis ipsis ita affectis mutatus color fit. Quippe si ex affluente est mutatus succo, alterius generis symptoma est, nec alteratricis facultatis error: si autem tota particula per totam qualem esse oporteat, talis non fit, alteratricis in eo uirtutis id uitium est. Fit enim & in arquatis naturalis coloris mutatio, sed ea, nisi alteratricis uenarum uirtutis uitium aliquando est, separatricis actionis est symptoma. Vitiosus autem in singulis priuatim particulis color, si modo ex succo aliquo extrinsecus affluente non proueniat, ex alteratricis & concoctricis uirtutis quam in se habent, uitiosa functione oritur. Ergo hanc atrophian, cum cacotrophia quaedam, id est uitiosa nutritio dicenda potius sit, a praesenti disputatione eximamus: ad eam uero quae nutritionis omnino est priuatio reuerſi, illud admonemus, tum ipsam symptoma esse, tum symptomatis alias alijs, quae uel in attractrice, uel retentrice, uel segregatrice, uel alteratrice facultate incident superuenire. Omnium uero horum symptomatum, morbi sunt causae. Finge enim diminute in aliquam particulam trahi alimentum, ideoque eam non nutriti: omnino morbus aliquis diminutum hunc tractum praecedit. Dictum namque est, particulam ipsam ubi imbecillius in se nutrimentum trahit, omnino incommoda temperie laborare. At ea morbus est. Si autem Particula comoda temperie sit, obstructio uero aliqua indigestionis instrumentis digestionem impediatur, obstructio ipsa morbus est: digestionis impedimentum eius symptoma. Non solum autem singula symptomata percurrere, quae scilicet laesa alicuius actionis culpa proueniunt, intelliges quod ea omnino morbus praecedit, sed etiam id ex ipsa rerum essentia licet, citra inductionem colligas. Quippe sanitatem actionis causam posuimus: morbum autem laesionis quae in actione est, causam. At uero symptomata de quibus nunc proposita nobis disputatio est, actionum, esse laesiones diximus. Quare ex iis propositis constat huius saltem generis symptomatum morbos esse causas.

† Copus ita hunc locum vertit, cupitque celesiter onus, uel per infernas uel per supernas partes abicere, quae sensum et leo necenus hnt. † A. 1.3. f. 17. p. 527. i. nec facile tolerabilis.

A. 1.3. f. 15. 71. c. 3. 601. C

† Alias ex antiquis codicibus graecis. Siue enim particula ipsa imbecillius ad se ipsa nutrimentum trahat omnino sane in temperata exillit, morbus autem est intemperies: siue leue esse rata quidem sit particula, obstructio autem. Et ita uetus interpretres & Copus legunt.

Quod autem & duo quae reliqua sunt genera morbi praecedant, & causae rationem respectu eorum obtineant, id quoque paulo infra docebimus, sed ubi totum de ipsis absoluerimus sermone, suspicari rursus a symptomatis iis quae in corporis consistunt affectibus. Sunt porro eorum primae differentiae numero quatuor: alia enim sunt visibilia, alia odorabilia, alia gustu apprehensa, alia tangibilia. Ac visibilia quidem in coloribus qui praeter naturam sunt consistunt, idque uel totius corporis uel alicuius uel aliquarum eius partium. Ac totius quidem corporis, ueluti in arquatibus scilicet habet, praeterea in hepatide & splenitide uocatis morbis: ad haec hydropum generibus quibusdam Vnius uero particulae, quemadmodum tum in lingua sola alienus color subinde aspicitur, tum in particulis quae abscessuum uitio uel nigricant uel liuent. Pari modo in carbunculis, & erysipelate, & serpiginibus ulcerum, & gangraenis, naturales colores immutantur. Sane huius generis sunt uiriligo, leuca, elephantiasis, aliaque id genus: quippe haec quoque naturalem colorem mutant. Iam in compluribus simul particulis uitiatum esse colorem in multis morbis uideas: idque uel circa crura magis, uel circa faciem, uel circa totum supernum corpus, uel circa totum imum. Ac uisibiles quidem differentiae in iis sunt contemplandae. Odorabiles uero primum quidem in respiratu, ac diffatu. Voco autem quod circumdantis nos aeris per fauces attrahitur & rursus emittitur, respiratum: quod autem per totum corpus exhalat, diffatum siue perspiratum. Ergo quae iis accidunt graeolentiae, in hoc symptomatum constituentur genere. Post has uero in auribus, naribus, alis, & quaecumque uitii cuiusquam occasione putrescunt particulis. His amplius in ructu idem symptomatum genus licet inuenire: ipso scilicet uel fumosam, uel acidam, uel uirosam, uel piscosam, uel aliam quampiam eiusmodi referente qualitate. In gustabilibus uero qualitatibus laborantes, ipsi symptomata coniciunt. Quippe sudorem defluentem in os aliquando gustant, praeterea eius quae circa linguam est salinae mutatae qualitatem, aequae utique: ut sanguinem, quibus is quoquo modo per os uacuatur: alij quidem notabiliter dulcem, alij salum, alij amarum sentiunt. Ad eundem modum & quae ex pulmone reiciuntur, & quae ex uentriculo euomuntur: aliis haec acida, aliis salia, aliis amara, aliis dulcia, aliis austera sentiuntur. Porro sunt ex medicis non pauci qui etiam sudores atque aurium praeterea formam gustu explorandam censent. Quippe ex hoc quoque aliquid coniectari. Iam tangibiles differentiae, ubi naturae modum exceperunt, in eiusmodi symptomatis numerandae non minus sunt: ueluti cutis dura, & distenta, & praerida: simili modo praehumida, uel rugosa, uel alia quampiam differentia tali praedita. Ergo ex his quae iam dicta sunt, manifestum est, hoc quoque symptomatum genus uniuersum a morbis ortum habere. Quippe colorum, halituum, & saporum differentias omnes, solidorum ipsorum corporum temperamenta sequi, in naturalibus libris didicimus. Ad eundem modum & tangibiles, multo etiam magis quam omnes quae sunt praedictae, propterea quod cum actiuis qualitatibus congeneres esse dixi, utpote quae ad eiusdem sensus iudicium referantur. Etenim mollities duritiesque tactu iudicantur haud aliter quam effectrices qualitates ipsis cognatae. Quare quicquid in iis alienum a naturali est, id intemperie acceptum fertur: ut quod naturale est, ex commoda temperie prouenit. At est omnis intemperies morbus. Quare omnia id genus symptomata, a morbis sunt oriunda. Quae uero ex influente quopiam humore cognata praedictis symptomata in particulis excitantur, alia obstructiones uel compressiones sequentia, alia trahentium & segregantium uirtutum functiones male obitas, necesse est haec quoque ueluti fontem suae generationis morbos habere. Ac iecinoris quidem obstructio, qui compositi & instrumentalis corporis est morbus, alieni coloris qui in arquatibus uisitur est causa. Cuiusque uero similis partis intemperies, quae ipsa quoque eiusmodi corporis morbus est, alias aliam eius facultatem impedit, uel eam quae trahit, uel eam quae excernit, uel aliam quampiam, quarum occasione cum parum aequaliter riteque humores in corpore fluant, particulae alias aliae in colore halitu, sapore, omnibusque tangibilibus differentiis alterantur. Quinetiam quodcumque reliquum est symptomatum genus siue id in uocibus sit & sonis qui in animalibus exaudiuntur, siue in iis quae a corpore excernuntur, in haec eoque detinentur, nihil non a morbis natum est, uel ab ipsis continenter, uel symptomate aliquo interueniente. In uocibus enim morbi qui in ore, faucibus, arteria aspera, pulmone, & thorace sunt, symptomata faciunt: clangoribus. scilicet quibusdam tremulisque ac raucis aededis uocibus. In aliis uero quibusdam animalis particulis sonitus & murmura & trisimi, i. stridores aliaque eiusmodi, partim quidem ex instrumentorum angustia uel indebito motu, partim ex flatuosi spiritus abundantia, aliquando etiam ex horum aliquibus omnibusue simul coeuntibus cientur. De quibus plenius inter symptomatum causas agetur.

A. l. i. f. 2. d. 3. c. 1. p. 80. d

A. ibidem.

A. ibidem.

A. l. i. f. 2. d. 3. c. 9. p. 86. f

De symptomatis quae consistunt in excrementorum mutatione.

Cap. 6.

Quae uero uel a corpore excernuntur, uel in eo praeter naturam detinentur, ea quoque in primas tres diducuntur differentias. Vtique aut totis substantiis, aut qualitatibus, aut quantitativis, a naturali statu egressa. Succedunt autem omnino morbis, uel continenter, uel aliis symptomatis intercedentibus. Siquidem sanguinis profusio toto excretae substantiae genere praeter naturam est. Ea uero uel uulnerato, uel perrupto, uel ore tenuis recluso, uel eroso sanguinis uase incidit. Porro horum uulneratio, ruptio, & erosio, proprii simularum partium morbi sunt, reclusio, instrumentarium. Quae ipsa modo ex complectendi functione imbecilla, modo expultrice immodice concitata, modo ambabus simul laesis, ortum habet. Simili modo fluxus muliebris uel propter iam dictarum actionum

Actionum symptomata fiet, uel quod totus sanguis tenuis serosusque est redditus. Est uero & id symptomata, cuius etiam multiplex habetur ortus. Est namque uel sanguificae uirtutis, uel eius quae tenue & serosum separat, uel eius quae excernit, operis frustratio. Incidere autem aliquando potest, & retentrice ipsa immodice opus suum urgente, & cute ipsa spissata, & renibus occlusis. Ad eundem modum & sudores immodice digeri uel indebite retineri, aut propter cutis aut propter aliquem distarum uirtutum affectum, aut ipsam humorum naturam necessario continget. Sane constat quod in omni eiusmodi sermone, distinctiuis coniunctionibus utimur. Omnino enim cuique dictorum symptomatum, una quaequam est causae ratio. Nihil tamen prohibet duas, & tres, & simul omnes una concurrere. Non later autem nec quod dysuria & ischuria & stranguria, & quem hydropem in uas urinale, alij diabetem, alij qui diarrhoeam in urina uocant, ex hoc genere symptomatum sint. Iam quod eorum quae praeter naturam excernuntur, & colores, & odores, morbos necessario sequantur, nihil opus est ostendamus: si modo nullum talium sine intemperie prouenit. Patet autem & quod propositum a nobis est, clare esse demonstratum omnem symptomatum naturam morbos praecedere: fierique nonnunquam symptomatum quae deinceps sibi succedant, ueluti seriem quandam. A morbo quidem ipso primum, ab hoc uero secundum, dein rursus post hoc tertium, ac ab isto deinde quartum. Verum hic attendendum diligenter est, ut accurate distinguantur ab operibus symptomata. Saepe enim ita similia inter se sunt, ut & symptomata putetur opus, & opus symptoma. Ac nisi quis in hoc sano sit iudicio, ex iis in quibus ipse fallitur, nostram disputationem calumniabitur. Quippe si naturalium excretionum, (sic autem uocant eas quae sanis accidunt) uel quantitatem, uel qualitatem, uel genus ipsum substantiae, pro scopo sibi proponat, deinde hoc intuens symptomata iudicet, subinde fallitur. Quippe sudor aliquando multo amplior quam pro naturae modo, uel alui deiectio, uel urina aegrotantibus incidit, non solum nulla actione laesa, sed etiam cum uirtutis robore & prouidentia de animalis salute. Aliqua enim quamuis etiam toto genere praeter naturam sint, ueluti sanguinis per nares profusio, uel uomitus uel sanguinis deiectio, uel haemorrhoides, uel aliud eiusmodi, tamen praeter naturam adhuc non sunt, si modo tempestiue fiant. Fiunt autem tempestiue, cum id quod contristat, expellitur. Stante igitur de quo inter iuitia conuenit, (nempe quod symptomata actionum laesiones) nihil eorum quae ad animalis commodum fiunt, ex hoc genere symptomatum est. Opus namque naturae unumquodque eorum potius est, quam laesio aliqua. At alteri fortassis symptomatum generi, quod scilicet praeter naturam est affectuum, omnia talia subijciat quispiam. Omnino enim diuisam esse in quacunque animalis parte uenam aliquam, aut eatenus reclusam, quoad sanguinem quem prius retinuerat profundat, naturalem affectum non esse. Quamquam hic quoque alui fluorem, aut urinae copia docere non possit affectibus praeter naturam omnino succedere. Sanguinis namque profusiones, & uomitiones, toto genere praeter naturam esse dicet quis: non tamen aut eam quae per uentrem, aut uescicam, aut uterum sit excretionem, toto genere praeter naturam esse. Fortasse uero dubitauerit quispiam & de sudore ceu nec ipse naturae lege incidat. Quippe quod Dioscorides etiam docere tentauit. Videtur autem dura esse opinio & praeter rerum euidenciam, tamen etiam maxime probabiliter confirmet. Ac de talibus quidem posthac aliquando fortasse agetur, per pauca enim sunt de quibus ambigitur. De reliquorum uero symptomatum tota multitudine ab id est disputatum, finiendusque iam hic liber est. Si quis enim exercitatus in his quae confessa sunt fuerit, facilius de his quae in dubio sunt, iudicium consequetur.

GALENI DE SYMPTOMATVM CAVSIS

LIBRI TRES.

Thoma Linacro Anglo interprete.

ARGVMENTVM LIBRI.

Symptomatum recenset causas quae in sensuum instrumentis, & in ipso fonte sensus consistunt.

Quotuplicia sint symptomata.

CAP. I.



AVSAS symptomatum in his libris contemplabimus, eundem sequentes disputationis ordinem, quem de ipsorum differentiis proposuimus. Sunt igitur symptomatum genera in totum tria. Quorum de eo primum disputauimus, in quo laesam esse actionem diximus. Ita nimirum intelligere lectorem censentes, etiam si prorsus perijt. Cum autem duplices genere actiones sint, aliae naturales, aliae animales, ab animalibus incepimus, easque trifariam diuisimus, in sentientes, motiuas, & quas appellauimus retrices. Ergo in sentiendi actionibus, triplex incidit symptomatum differentia. Vna cum ipsum primum sensus instrumentum est male affectum, altera cum sentiendi facultas, & tertia cum aliquid eorum quae primo sentiendi instrumento subseruiunt, male habet.

De symptomatum causis in sensu visus.

Cap. 2.

Veluti in oculo primum sentiendi instrumentum, crystallinus est humor. Quippe quem solum a coloribus alterari monstratum est. Sentiens uero facultas, quæ a cerebro per neruum inde porrectum ad crystallinum peruenit. Ad subscriuendum autem huic, reliquæ omnes quæ in oculo habentur particulae sunt conditæ. Itaque etiam uno quolibet ex prædictis male affecto, uel male uidebit animal, uel profus non uidebit. Ac crystallini quidem humoris morbi in octo temperamentis consistunt. Facultatis autem morbi, in eo quod uel neruus, uel cerebrum male sit affectum. Sunt porro & horum utriusque, ut similes particulae sunt, octo morborum genera: ut instrumentales sunt, tum obstructiones, tum alienorum innixus, siue compressiones, aliaque quæcumque ex humorum influxu, molem præter naturam attollunt. Vnitatis uero diuisio, super omnia quæ prædicta sunt, tum simularium, tum instrumentalium particularium communis est affectus: non cerebro modo aut neruo, sed etiam crystallino humori incidere potens. Huic autem trans ferri, ac sede moueri instrumentalis morbus incidit. Quamquam translatio, siquidem ea uersus angulum maiorem minoremue est facta, nihil quod æstimandum sit, incommodi affert. Sin sursum deorsumue inclinatur, duplicia quæ uidentur omnia apparere facit. Atque hi quidem sunt, tum primi uisus instrumenti, tum eorum quæ illi facultatem subministrant, morbi. Eorum uero quæ usum aliquem ei conferunt, hi si uel in foramine rhagoidis, uel etiam eo qui inter hoc & crystallinum est loco, humor spiritusue tantus constiterit, quantus primo uisus instrumenti ad internoscenda sensibilia sit impedimento. Ad eundem modum corneæ quoque; tunicae particula ea quæ pupillæ antestat, uisum impedit, siue ea per se, siue alia quapiam ratione a naturali habitu est remota. Ac foramen quidem rhagoidis, quatuor modis a naturali statu mutatur. Nempe uel ampliatum, uel imminutum, uel in aliquam partem detortum uel ruptum. Verum ampliatio siue a natali sit, siue post accedat, semper uisui incommodat. Imminutio quæ utique; a natiuitate incepta, acutissimi uisus est occasio; quæ uero post incidit, mali. Reliquorum uisus neutrum, neque; si a natiuitate, neque; si post incidit, quicquam quod æstimatione dignum sit, uisui officit. Tam enim subinde uidimus ex parua rhagoidis prociencia, detortam pupillam, postquam cicatrice est inclusa, nec tamen hominis uisum fuisse impeditum: ubi. si ante se corneæ particulam splendidam habuit. Atque hæc quidem experientia ipsa docuit. Sane causa propter quam amplitudo foraminis ad perspicaciam uisus semper sit noxia, angustia non semper, æstimatione non indigna est. Videtur autem mihi neruus is qui a cerebro ad oculum pertinet, quem ideo porum, siue meatum Herophilus appellat, quod eius solius foramen clare cernitur, sensibilis esse spiritus uia. Eoque; ubi altero oculo conuenimus, alterius pupillam dilatari contingit. Tanquam in unum solum commeante spiritu, qui prius in duos est dispersus. Itaque; etiam hoc maxime signo intelligitur, an suffusi compuncta suffusione uisum recepturi sint, an non. Quippe quibus altero oculo conuenitibus, alterius pupillam dilatari contingit, ijs si compunctio administratur, recipiendi uisus fiducia est. Quibus non dilatatur, horum nemo unquam reuidit, neque; si minimo cum dolore, ac commodissime ijs est administrata compunctio. Ex ijs omnibus liquet, confluere ad oculos a cerebro spiritum animale, tum in crystallinum ipsum humorem, tum uero locum omnem qui illi antestat, quem scilicet rhagoidis foramen determinat. Vbi igitur amplior reddita est pupilla, siue id ex prima statim formatione, siue postea contigit, parum commode tota animali spiritu impletur. Fundi igitur dissoluique; ac dissipari cogitur. Sicut contra in minore pupilla colligitur, constringitur, ac densatur. Atqui demonstratum in libris de particularum usu est, eius collectionem ac constrictionem, ad sensus bonitatem illi conducere: contra, dissolutionem ac dispersionem ad sensus noxam cedere. Qui igitur sit quod pupilla morbi uitio, non natura minor reddita, multo deterius efficitur quam mediocris? An quia uisiosus affectus sequitur, quorum culpa necessario peius cernit oculus sic affectus, non propter pupillæ angustiam? Quinam igitur hi sunt affectus? nam hoc etiam disputatio requirit. Vnus quidem ipsius rhagoidis tunica tantum, alter humoris tenuis qui medio loco inter ipsam rhagoidem & crystallinum humorem habetur, effusi. Ac tunicae quidem solius affectus, extensio relaxatioque; sunt: qualis utique; in extrinsecus positis articulis subinde cernitur, cum ligamenta redundanti humore sunt persusa. Humorum uero uitium in defectu consistit: cuius occasione rhagoides uacuato interno eius loco in se concidens, contrahitur ac rugatur, atque; idcirco pupillam imminuit. Deterius ergo aut nihil omnino ex talibus affectibus cernere contingit, non utique propter pupillæ paruitatem, sed propter humoris desiderium. Monstratum enim est in his quæ de visu, tum in libris quos de utilitate particularum, tum quos de Hippocratis & Platonis placitis scripsimus, crystallinum humorem munimento aliquo indigere, quo externum splendorem sine offensa sustineat. Vnum igitur munimentorum eius & is humor est, cum eo etiam quod substantiæ crystallini humoris non nihil conducit. Vbi igitur parcius redditus hic humor est, & siccius efficitur ipse crystallinus, utpote iam humore a quo largiter imbuatur, defectus: & rhagoides tunica in se concidens, spatium quod inter ipsam & crystallinum interest, angustius efficit. Itaque; sit, ut cum cogatur crystallinus humor paruo interstitio cum externo splendore commercium habere, persimilem pariatu affectum, ijs qui solem nictando contuentur. Horum enim aliqui occæcati sunt: omnes uero ita læsi, ut uix recuperarent pristinum uisum. Quippe monstratum nobis est, fieri non posse, ut splendidam lucem inoffense toleret uisus instrumentum: eoque; factum esse ut rhagoides tunica quæ nigra simul & cœrulea est, illi sit præterita. Quod scilicet hi colores uisum, ubi a splendida luce laborat, maxime consolentur. Atque; hæc

* εὐστῆτος. ἰ. ἀμπλῖτος.

A. l. 3. f. 3. t. 4. c. 15 p. 430. D

A. l. 3. f. 3. t. 4. c. 9. p. 428. D

A. l. 1. f. 2. d. 1. c. 13. p. 76. E

A hæc quidem causa est, cur imminutus is qui in pupilla est humor, tum deterius cernendi, tum foraminis rhagoidis tunicae minoris reddendi sit occasio. Eoque; maxime infanabilis est eiusmodi oculorum morbus. Alter affectus qui propter humorem rhagoidis, minorem reddit pupillam, minus illo est noxius. Difficilius namque; est simularium corporis particularum cuius, cum siccata est, humiditatem restituere, quam eam cum humecta est, siccare. Atque; hæc quidem medendi rationem quodammodo iam attingunt. Dicamus autem quod a primo est propositum. Mala quidem est pupillæ paruitas quæ præter naturam accidit, bona quæ connaturalis est. * Laxitas autem eius nec quæ naturæ lege habetur, bona est, nec quæ præter naturam est. Ceterum minus mala est quam angustia. Quippe laxitatis generandæ causa, (ut sic dicam) coniuncta, tensio rhagoidis tunicae est. Sicuti paruitatis, eiusdem relaxatio. Quoniam autem dupli ratione tenditur, cum utique; ex sua natura id patitur, uel siccata ut corpus simulare, uel humecta ut instrumentale: siccitas quidem eius difficile sanabilis est, humiditas non etiam. Siquidem phlegmonæ & scirrhii, siue durities sensu carentes, & abscessus, & alij id genus morbi, instrumentalium sunt partium, ex superuacuis humiditatibus oriundi. Quos omnes si in rhagoide consistant, peritus medicus non magno negotio superabit. Sane accedit rhagoidi nonnunquam etiam ex accidenti tensio, a multitudine scilicet subiectorum humorum nata. Quippe cum ueluti uter uesicae, ijs quæ inter ipsam & crystallinum humorem aceruantur est impleta, in omnem partem distenditur. Quoniam autem non solum qui in foramine rhagoidis sint, morbos disputatio percensuit, sed etiam aliquos ipsis rhagoidis commemorauit, superque; qui tenuis sub ea sint humoris: sequens fuerit, quæ reliqua in ipsis sunt perfecti, quorum uitio uel impeditur uisus, uel omnino aufertur. Ergo ex ijs qui in tunica rhagoide consistunt, ac uisui obsunt, unus adhuc morbus restat, tam simularium quam instrumentalium partium communis. Is est unitatis diuisio. Quæ utique; in hac particula, tum uulnus est, tum ulcus. Cum igitur tale uirium magnum est, ita ut & ualenter diuidatur rhagoides, & profundatur extra eam tenuis humor, ac iam corneam contingat, necesse est incidant hoc casu incommoda duo: tum ut concidat super crystallinum humorem tunica rhagoides, tum ut spiritus a cerebro in pupillam totus non perueniat, quoniam per uulnus effluat. Quod autem non solum ambo hæc coeuntia impedimento uisui sint, sed etiam eorum alterum, ijs qui prædicta non negligenter legerunt, manifestum arbitror. Mihi uero tempestiuum iam fuerit ad tenuem humorem conuerti, de quo supra dictum hæc saltem est, quod siue eius plus siue minus iusto est, uisum lædit. Quod autem etsi aut crassior aliquando sit consistentia, aut colore quodammodo alieno, sic quoque; symptoma aliquod circa uidendi actionem excitabit, id dictum prius non est, sed iam eius dicendi est tempus. Ergo hic humor si crassior quam prius erat, est redditus, tum perspicaciam uisus adimet, tum ne longinque uideatur efficiet. Ita ut nec quæ longe posita sunt cernantur, nec quæ prope sunt admota, exacte perspiciantur. Sin uehementer crassus est factus, ueluti in suffusionibus euenit, utique; uidere hominem prohibet. Quod si totum foramen a crasso illic consistente corpore obtenebratum non sit, sed aliqua pars eius pura supersit: utique; per illam, quæ extrinsecus sunt, singula per se sola nihilo deterius quam ante uidebuntur, non tamen similiter uno tempore multa: quod scilicet angustior quam ante factus sit uisionis conus. At si in pupillæ centro exigua suffusio consistit, partibus quæ circa sunt manentibus puris, omnia ijs qui sic sunt affecti, ueluti fenestras habere uidentur. quippe quod in medio non cernitur, quasi excisum uidetur. Iam si diuisa, nec inter se coniuncta crassa corpora in iam dicto humore fluitant: ijs qui sic se habent, tanquam culices quidam foris obuersari uideantur, imaginatio præbetur. Sæpenumero uero ex crassiore quoque; humoris consistentia, tanquam idolum aliquod sibi appareat, imaginantur. Porro eiusmodi idoli apparitio postquam a somno surgitur, plerumque; incidit, potissimum pueris, & ijs qui pluscum uini biberunt, aut alias capite sunt impleto. Quod si colore immutatus sit humor, qui inter crystallinoidem, & rhagoidem habetur, si quidem ad fuscum inclinatur, ueluti per nebulam fumumue hominem uidere faciet: sin ad alterum ullum colorem uergat, eius nimirum phantasiam uisibilibus impartietur. At si inæqualiter uel à naturali consistentia, uel colore recessit, quæcumque; eius pars sic affecta, ad pupillæ locum peruenerit, similem etiam sibi imaginem in uisibilibus representabit. Quippe illius, tum colorem, tum consistentiam, tum figuram foris se uidere homo putabit. Ex hoc

D symptomatum genere, sunt, tum ea quæ suffusi imaginantur, tum quæ de ijs quibus uel sanguis ex naribus profluxurus est, uel qui uomituri sunt, ab Hippocrate sunt scripta. Iam uero quibus adeo peractus sinecessusque; uisus est, ut eum ne uel minimum sensibile fugiat, exhalationes uero quæpiam a uentre ascendant, potissimum ubi non probe cœcoxerunt, similia ijs quæ suffusis symptomata incidunt. Quippe purissimus natura tum crystallinus humor ijs est, tum hic ipse aquosus de quo nunc agimus. Magnitudo autem symptomatum in his, pro magnitudine passionis semper respondet, non solum in ijs de quibus paulo ante agebam, sed etiam in omnibus quæ prædicta sunt. Verbi gratia. Simularium partium intemperies si parua sunt, parua noxam actioni afferunt: sin maiores habentur, actioni ad portionem nocent. Sicut quæ plurimum a naturali statu excesserunt, omnino actionem tollunt. Aeq; uero & quæ de qualitate & consistentia & colore aquosi humoris sunt dicta, si paululum a naturali statu sunt mutata, parua etiam actioni afferunt noxam. Sin longius recesserunt, pro modo uitij sui etiam actioni incommodant. Sicuti cum plurimum a naturali sunt aliena, omnino actionem adimunt. Ad eundem modum & quæ de rhagoidis ruptura, & pupillæ magnitudine sunt dicta, uel paululum aliquid actionem impediunt, uel amplius, uel omnino. Simili modo & animalis spiritus uel ad unguem purus est, qualis ether, uel

vel nebulae ritu humidus ac turbidus. Præterea in modo substantia, uel plus eius habetur, uel minus. **E** Ac si quidem multus est & æthereus, etiam quæ longissime absunt, uidet, ac perfecte discernit. Sin paucus est & purus, quæ prope sunt exacte dignoscit, quæ procul absunt non uidet. Quod si humidus simul multusque est, longissime quidem uidet, sed non exacte. Sicuti etiam si humidus simul exiguusque est, nec exacte nec longissime uidet. Et de hoc quidem, ut ad rem propositam, hæc abunde. Corneæ uero tunice pars quæ pupillæ antestat, & cum crassior, & cum spissior, & cum humidior est facta, uisionem lædit. Ad eundem modum si colorem suum mutauit, & si ulcus maiusculum in se habet, & si quid eorū quæ extrinsecus illi præiacent inactum, obscuritatem affert. Ac crassior quidem & spissior cornea hebetudinem uisus creat: humidior autem siue ut instrumentum est, siue ut simile corpus, non solum uisus hebetudinem affert, sed etiam ut quasi per caliginem, uel nebulam, uel halitum quempiam, uel fumum cernatur efficit. Si uero humores non multi, sed colore mutato sint, pro eorum natura error in uisu respondet. Proinde qui regio morbo laborant, pallida omnia uidere se putant. Quibus autem ex plaga ruptæ recenter sunt in prima tunica uenæ, rubra. Ulcus uero maiusculum, non solum eo quod superuacuum contrahit humorem uisionem lædit, sed etiam quod exiguo interstitio crystallinum cum externo lumine committi cogit. At si descendat introrsum quod ante pupillam est ulcus, etiam aliquid aquosi humoris foras effundit. Proinde is qui sic est affectus, in summum cæcitatæ discrimen adducitur. Eoque fit ut qui in parte corneæ quæ pupillæ præceditur, uulnus acceperunt, si id uulnus introrsum descendit, magna ex parte occæcentur. Ceterum incredibile quiddam nec fieri uulgo solitum in puero uidimus, qui stilo in pupillæ loco fuerat compunctus. Nam cum statim effluxisset aquosus humor, tum pupilla ipsa minor est reddita, tum tota cornea apparuit rugosior. Ceterum sanatus, postea recte uidit, collecto scilicet paulatim eo qui effluerat humore. Verū hæc rara sunt. Cæcitates autem eiusmodi uulneribus plerumque succedunt. Sicuti etiam omnibus iam dictis causis, ubi scilicet plurimū sunt inacta. Nam siue uehementer spissa, siue ad summū crassa, siue immodice humida, cornea est effecta, omnino tenebram uisioni offundit: ita ut qui sic est affectus, prorsus non uideat. Et quid quæso miri si prædictorum singula cum inacta sunt, uisum animali adimunt, ubi ipsa sola cornea rugata aliquando similem noxam affert? Incidit hoc uitium, ijs qui ad ultimum peruenere senium. Sane consideranda hoc tempore diligenter est pupillæ magnitudo. Quippe quæ si minor est facta, etiam aquosus humor in ijs est imminutus. Sin æqualis sibi permanet, corneæ solius uitium est. Verū eiusmodi discrimina præsens opus non requirit. Corneæ uero tunice morbi, si magni sunt, prorsus uisum impediunt. Et maxime cum uel phlegmone uel suppuratione laborans, uel insensibili duritie obsessa, aliudue tale quippiam passa, ueluti instrumentalis pars, humidis morbis afficitur. Ac corneæ quidem tunice morbi qui uisum uident, tales & tot incidunt. Membrana uero adnata ubi phlegmone laborat, ex accidenti uisus actionem impedit. At in ijs quæ Græce uocantur chymoses, præterea in pterygijs, non ex accidenti, sed iam ex prima ratione, pupillam obtenebrant. Ad eundem modum magna palpebrarum phlegmone tumoresque, si qui super has præter naturam orti, eo magnitudinis uenerunt, ut pupillæ umbram offundant. Atque hæc omnia aut non uidendi, aut male uidendi sunt causæ.

De symptomatum causis in auditu sensu.

Cap. 3.

ET de oculis quidem satis hæc sunt. Quippe exempli magis causa, quam ut singula membratim persequeremur, de his disputauius. Cum sit mihi institutum ad præsens per generiores sermones, methodum indicare, qua usus quispiam, symptomatum causas inueniat. Quoniam autem non solum methodos ipsas nouisse oportet, sed etiam multifariam in particularibus exercitari, quod facere omnibus in promptu non est, idcirco qualem fieri modum exercitationis oporteat, in oculis nunc ostēdi. Ergo ad eius exemplar, reliquæ sentiendi potentia sunt ad eundem, æstimandæque, in unaquaque, tum primum eius instrumentum, tum cetera quæ illi usum aliquem præsent. Ad hæc discernendum, ceu paulo ante est dictum, quoniam ipsius potentia laborantis sint morbi, quoniam instrumentorum cuiusque, cuius culpa lædi functionem contingit. Si quidem audiendi grauitas, & surditas, aut propter aurium ipsarum particulam aliquam, aut propter neruum, qui in has a cerebro pertinet, aut propter cerebrū ipsum, in ea parte læsum, unde neruus exoritur, animali incidit. Atque in neruo quidem & cerebro uitia sunt, similiter ijs quæ in oculis. Quæ uero in reliquis particulis sunt, ad portionem quidem, non tamen omnino similiter lædent. Quam enim habet in oculo crystallinus humor rationem, hanc habet in auribus, audiendi meatus finis, ubi neruo dilatato coniungitur. [Omnia uero quæ extra hunc in anfractu meatus sunt, ijs quæ prædicta in oculo de rhagoide sunt ad portionem se habent.] Itaque etiam morbos eorum huc transferri ex illis conueniet. Similium quidem corporum, qui in intemperie & cōtinuitatis solutione consistunt. Meatus autem ipsius, obstructions, siue hæc tumoris alicuius præter naturam ipsarum particularum occasione, ipsum meatum obstruant, quemadmodum abscessus, & phlegmone, & insensibilis durities, & œdema, siue propter tumorem aliquem acquisitum: uel denique quilibet præter naturam sit, qualis in meatu sæpe oritur, porosa quapiam in eo carnosaque substantia enata. E numero eorum quæ meatum obstruunt, & sordes sunt quæ in auribus colligi solent.

De symptomatum causis in gustu & odoratu.

Cap. 4.

TAnquam igitur in ijs particularum ratio symptomatum indicauit causas, ita & in lingua & naso indicabit: modo in ijs quoque tum primam sentiendi particulam, tum reliqua, quæ totum instrumentum

F

A.1.3.f.3.t.4
c.18.p.430.f

G

* A. ibidem.

A.1.3.f.1.t.1.
c.2.D.p.134.

A.1.3.f.4.c.1
p.412.F

† Copus huius loci ita uerit. partes uero oēs in meatu anfractu extrinsecus consistentes itidem proportionem huic respōdēt ut nuper dicta oculorum pres humor crystalloidi.

A.1.3.f.2.t.6.
2.p.393.A

Atum complent, nouerimus. Monstratum enim est linguam eo quod duabus facultatibus, sensui uoluntati que subseruit, duas quoque actiones habere. Nunc autem eam ueluti sentientem consideramus. Odoratus uero sensorium ipsos cerebri esse uentriculos indicauimus. Ac gustandi quidem sensus symptomata sunt, tum omnino nihil saporum sentire, tum non legitime sentire. Cum autem non legitime sentire, (ut monstratum est) dupliciter intelligatur, alias cum diminute sentitur, alias cum uitiose: diminute quidem gustare, in uisu amblyopiae, id est uisus hebetudini, in auditu barycoia, id est audiendi difficultati portione respondet. Vitiose autem gustare, est ueluti cum oculis, colore, figura, magnitudine, uel situ mutata uidentur. Hoc in auditu, obauditio nominatur. Porro morbi prædictorum symptomatum, uel quæ in gustandi actione, uel quæ in potentia incidunt, partim in simili linguæ substantia & tunica qua inuoluitur sunt, partim in neruis mollibus, partim in loco cerebri, illo præsertim, unde hi nerui originem habent. Ac reliqui quidem prædictorum omnium morbi in manifesto sunt. Lingua uero uitiose saporos sentire solet, cum extraneo humore est impleta. Quo casu quæ gustantur omnia uel falsa uidentur, uel amara, uel alia quapiam aliena qualitate dicibili indicibiliue affecta. Tanquam enim in suffusus uisua uis foris se cernere iudicabat, ea quæ in ipsis oculis inerant: itidem gustandi facultas ea quæ sunt in lingua, sensibilibus imputat. In arquatis quidem bilis amarorem non linguæ esse ipsius, sed eorum quæ gustat deputans: in alijs uero quibusdam affectibus saluginem acoremue edulij ipsi inef: imaginans: scilicet succo qui extrinsecus accessit, uitiosum linguæ succū, qui prius quieuerat, excitante mouenteque: gustandi autem uel non eum qui accessit, sed eum qui in se redundat, sentiente. Raro sane accidit, sed tamen aliquando, ut lingua ex gustandi perfectione priusquam aliquid gustet, succos quos in se habet, sentiat. Simile huius symptoma est, ubi in stomachicis affectibus, suffusionis imaginatio oculis incidit, uel sonitus auribus cum nihil extra sonet, sed motus ipse circa cerebri membranas imaginationes creet, uel odoris in naribus, ab succo aliquo in his contento. Sed quoniam de naso meminimus, qui duplici facultati ueluti lingua subseruit, (Quippe qui & odoratus instrumentorum & respiratus ueluti finis quidam est,) non alienū sit de hoc quoque, sicut de prædictis egisse. Si enim accidit in eo morbus aliquis, qui eius meatum uitiet, aut deterius sentiet odores odoratrix uis, aut omnino non sentiet. Ergo si uel uehementer sit contusus, uel polyo uel tumore aliquo præter naturam labore, spiritus uiam occludet. Huius generis est & si qua circa internā eius membranam incidit phlegmone. Quinetiam quæcunque in aliqua parte ossium colatoriorum, aut etiam in cerebri inuolucris, aut ipsis ossium foramentis obstruunt, hæc quoque odoratricē uim impediunt. Atque hoc magis si in processibus cerebri, qui ad has perueniunt particulas, fiant. At in catarrhis & coryzis & denique ijs quibus ab æstu, frigore, uel humore oppleti priores cerebri uentriculi sunt, non locorum modo qui istis habentur obstructio fit, sed etiam tum spiritui ipsi qui in uentriculis est, tum cerebro, quod hos continet, intemperies quædam accedit. Iam compressiones & diuisiones notabiles cuiusuis prædictarum particularum, tum non legitimum odorabilem sensum, tum odoratus priuationem inducunt. Vitiosus uero erransque sensus hoc loco fit, propter uitiosum aliquem qui in eo continetur succū, qui. mali odoris aliquid exhalans, ascendentes ab admotis corporibus ad odorandi facultatē halitus obturbat. Taleque est in hac facultate hoc symptoma, quale arquatis in gustatrice accidere est dictum.

De symptomatum causis in sensu tactus, ac cur seorsum uel sensus uel motus aliquando deperdatur.

Cap. 5.

Quoniam autem de sensibus qui in proprijs & sibi addictis animalis partibus exercentur, abunde diximus, age nunc de eo qui omnibus qualitercunque sentientibus est communis, (quem utique tactum uocant) agamus. Sunt igitur huius quoque ad aliorum portionem symptomata. Vitiosum autem is non proprijs appellationibus, sed communibus, sicut etiam prædictorum aliqui. Neque enim aut in gustatrice, aut in odoratrice uis, tale aliquod nomen habemus, qualia sunt in uisua uirtute, amblyopia, id est uisus obtusus, & cæcitas, & parorasis quædam, id est uisus prauitas. In auditrice uero, barycoia, id est grauis auditus, & surditas, & obauditio, siue obauditus. Nihil enim hoc in loco interest, quibusnam quibus pro arbitrio utatur nominibus. At hæmodia siue dentium stuporis, tum nomen, tum symptoma unius tangendi est uirtutis. Ceterum hoc tam in ore quam in dentibus post acidos & acerbos cibos, incidere maxime consueuit. Torpor uero qui ex tam motus quam sensus difficultate est compositus, in toto corpore & maxime in artubus, manifeste uidetur a frigore & compressione neruorum corporū incidere. Ad hæc etiam a torpedinis marinæ contactu. Si autem sua sponte nulla tali causa præcedenti incidat, omnino uita deses, & ciborum uel crassorum uel lentorum abundantia, uel consuetæ alicuius uacuationis suppressio necessario antecessit. Ac continens quidem, siue cōtentia, siue proxima, siue quomodocunque alio uocabulo libeat appellare, huius symptomatis causa est, talis quispiam in neruo affectus, cuius occasione a principio ad ipsum uirtus transmitti prohibetur. Porro prohibetur, si quidem meatum aliquem neruus habet, qualem qui ad oculos descendunt, manifeste habere cernuntur, uel ex obstructione, uel compressione: si autem non habet, ex constipatione uel frigore uel compressione. Atque quod animalis quidem uirtus, si quidem meatum aliquem tanquam certam uiam a cerebro per neruum habet, hoc obstructo impediatur, cuius arbitrator pateat. Quinetiam quod compresso extrinsecus neruo, angustia meatui eius continget, ne id quidem ullum lateat. Quod autem & si nullus sit meatus, sed tanquam per aquam uel aerem solis radij transeunt, sic principij uis per ipsum corpus neruorum permeat,

cum hi ad crassiores habitus sunt mutati, transitus impeditur, nec id mihi longis probationibus ege-
re uideatur, recordanti praesertim ea quae in aqua & aere eueniunt. Quippe in aere nebula & fumus &
nubes, in aqua lutum & limus, solis splendorem, quo minus per ea syncerus procedat, impedimento
sunt ac uentant. Ad eundem igitur modum & neruus, si crassiore habitu & duriore quam pro sua natura
sit redditus, uirtutis transitum prohibebit. Sane crassiore habitu erit, si uel glutinosus, uel crassis alatur
succis, uel uiolento frigore sit stipatus. Si autem a duro aliquo corpore quod illi extrinsecus innatur
pressus sit, ne sic quidem uirtutis transitum non morabitur. Proinde nerui qui uel funicularis, uel mani-
bus sunt constricti, & qui ab externo aliquo, quod uel phlegmone sit obsessum, uel cum sensus noxa du-
ratum, (scirrhum uocant) premuntur, & qui aut luxatis aut fractis ossibus angustantur, omnes princi-
pio quidem torpent: postea uero omnino sensus motusque expertes fiunt. Et uocatur quidem eiusmodi
neruorum uitium Graece paralyticum, id est [neruorum] resolutio. Quae cum in eodem genere cum torpo-
re sit, magnitudine certe ab eo differt. Ac si in omnes incidat neruos, illico totum corpus sensu motuque
priuat, ac mortem celerem respiratus priuatione infert. Si igitur spinalis medullae principium sit laesum,
particulis quae in capite sunt solis quoad uiuit homo, tum sentit, tum mouetur. Sin in cerebro ipso lae-
sio incidat, statim omnibus partibus impotens insensibilisque efficitur. Viuit autem uteruis horum tanto
tempore, quanto uiueret si angina praeretur. Quibuscunque uero spinalis medulla infra neruorum
exortum, qui pectus dilatant est laesa, siue uertebra aliqua loco suo mota, siue etiam aliter, si magna qui-
dem est laesio, insensibiles immobilesque omnibus quae infra sunt partibus statim fiunt: sin parua est no-
xa, torpent hi, non tamen moriuntur, propterea quod respiratio ipsa illaesa manet. At brachiorum sensus
ipsi quibus spinalis medulla circa quintam uertebrae est uitata, totus simul cum motu amittitur. Qui-
bus autem circa sextam, non totus: quippe primae brachij partes illaesa perstant. Iam multo etiam mi-
nus eius desideratur, si circa septimam uertebrae male sit affecta. Quod si circa octauam sit laesa, quam
minimum eius requiritur. Ac si quae post hanc habetur, iniuriam est passa, prorsus nihil mali brachij
accedit. Ceterum quibus spinalis medulla in collo est uitata, ipsa omnibus uox admittitur. Quibus circa
dorsi uertebrae est laesa, ipsa utique non tota: uerum quantum eius, secundum unamquamque, definitum in
ipsis est quae de uoce scripsimus. Nunc enim mihi uideor plura quam pro instituto dixisse. Neque enim omnia
symptomata mebratim persequi, hoc in opere est propositum, sed ea in generales causas reducere.
Illud ergo generatim mihi de omni sensus laesione sit dictum, quod a quibus neruis ualentibus suppedita-
ta sibi uim habent, ab ipsa male affectis laeduntur. Quod si quis cuiusque nerui nosse uim studet, eorum
qui ad respiratum conducunt, in libris qui de respirationis causis inscribuntur uim discat: eorum uero qui
ad uocem, in opere quod de uoce habet titulum. Ergo de his alibi scrupulosus est proditum. Qui autem colli,
capitis, abdominis, brachiorum, & crurum partibus nerui subministrant, non alij modo ante nos non
incommodum prodiderunt, sed ipsi quoque in libris de dissectione administranda scripsimus. Ac proposi-
tus quidem nobis sermo erat de symptomatis quae sensus comitantur. Quoniam autem partes quae per
neruum aliquem uoluntarie mouentur, eadem protinus sensum quoque per eundem possident, duplicem
ipsa noxam ex nerui iniuria necesse est accedere, alteram sensus, alteram motus. Qui igitur sit, quod uiden-
tur particulae quaedam ad uoluntarias quidem functiones resolutae esse, & tamen sentire? Rursus alij mo-
ueri quidem, minime autem sentire? Sane in lingua & oculis nulla sit dubitatio, propterea quod haec du-
plici neruorum genere sunt praedita. At in quibus membris duri tantum nerui sunt, in ipsis distinguendus
sermo ad hunc modum est. Si cute ablata, subiectus ei nudus musculus immobilis appareat, tangentem
tamen sentiat, paruam illi noxam incidisse est putandum: utpote per quam minime stetit quin tantum
animalis uirtutis ceperit, quantum ad sentiendum quidem esset satis, ad musculum mouendum non
satis. Consistit enim in patiendo magis, quam agendo, tangendi sensus, itaque etiam parua uirtute
perfici potest. Musculorum motus, cum agendo, non autem patiendo obeatur, (totum namque cor-
pus ab hoc transfertur) multa eget animali uirtute. Contra uero nunquam deprehendas musculum
ullum moueri, ut idem non sentiat. At si superiacens musculo cutis sensum amisit, ipse autem mouetur. H-
tur, nihil est quod mirere. Veluti nec si duorum musculorum alter moueatur, alter moueri non possit,
aut altero sentiente, alter sit insensibilis. Sicut enim in ipsis alterius laesum neruum esse, alterius integrum li-
cet: sic is qui in cutem dispergitur, iniuria affectus esse potest: qui autem in musculum, minime esse affe-
ctus. Contraque qui in cutem spargitur, nullam esse passus iniuriam: qui in musculo est, non esse noxae
expers. Ac de propositis symptomatis, haec satis.

De causis delectationis & doloris in unoquoque sensu. Cap. 6.

Delectatio autem & dolor omnibus sensibus contingunt, non tamen pari euidetia, sed in oculis minus
quam in ceteris euidenter: in tactu autem & gustu, maxime luculenter: ab ipsis deinceps in odoratu, &
post hanc in auditu. Quenam igitur est tum omnium ceteris, tum cuiusque causa propria? Sane ceteris ea est,
quam Plato in Timaeo reddit sic scribens: Violenta passio quae praeter naturam est, cum simul multa &
celeriter sit, dolorem affert. Ediuersum, quod ad suam naturam uniuersum & celeriter redit, iucundum
est. Quod autem sensum & paulatim sit, sensum latet. Atque ita quidem Plato. Hippocrates uero
eo antiquior, his inquit quibus natura alteratur & corrumpitur, dolores fiunt. Quippe illud, (Corrum-
pitur) celeritatem simul ac magnitudinem mutationis indicat. Sane tactui accedunt magnae mutationes
naturae, a frigidi calidique uiolento contactu. Praeterea ab ipsis quae quassandi, uel secandi, uel distendendi,
uel

A. l. 3. f. 1. t. 2.
c. 1. p. 348. F.

A. ibidem.

A. l. 1. f. 1. d. 1.
c. 19. p. 77. B.

A. ibidem.

uel exedendi uim habent. Quippe humidum & siccum, si absint calefactio & refrigeratio, citra uiolentiam
corpus contingunt. Id quod opus de simplicibus medicamentis qui reuoluet, facile discet. In his
enim illud monstratum est, frigidum alia ratione oblectare, quam calidum. Quinetiam ipsum in substan-
tiam diuellendo, dolorem afferre. Videntur autem & quae quassant, & quae tendunt, dirumpendi corpo-
ris periculum afferendo, dolorum causae esse. Non secus autem & quae pungunt, & quae diuidunt. Neque
enim postquam aliquid diuisum ruptumue est, dolorem infert: sed in ipso, (ut sic dicam) fieri, talia omnia
doloris causae euadunt. Nisi tamen ex accidenti aliquo, eos qui sic affecti sint, dolor sequitur: alias
quidem acri humore exulceratum corpus mordete, alias phlegmone superueniente. quae ipsa quoque
nunquam non distendendo contristat. Non raro uero etiam caloris iniuria, uel humorum acrimonia.
Diuellitur autem & gustus instrumentum, quatenus utique tactus est particeps, a iam dictis: quatenus ue-
ro gustus est proprium, ab acidis, amaribus, acerbis, & acerbis succis: propterea quod horum singuli, sicut
monstratum est, continuitatem diuidunt. Contristant uero & olfactum, qui a iam dictis succis exhalant
halitus: quod hi quoque continuitatem distrahunt. Auditum uero infestant, uox aspera & maxima & ce-
lerrima. Quibus etiam in terribilibus tonitribus in idem coeuntibus, aliqui auditus sensu omnino
priuati: ipsius instrumentum soni uiolentia diuiso. Iam uero ipsum uisum maximi splendores nimia se-
cretionem, non infestant modo, sed etiam corrumpunt. Est autem ipsa quoque secretio ex diuidentium ge-
nere, uideturque omnibus sensibus commune, infestantem passionem ex secretionem ac diuisione conti-
nui unitique corporis tum excitari, cum ea uel uniuersa uel magnis portionibus & celeriter, quod Graece
athroos uoco, incidit. Hoc autem & Plato profecto uoluit, cum dixit molestum sensum, ex passionem
tum uiolentia, tum quae magnis portionibus cum celeritate sensibilibus corporibus incidere, proueni-
re. Neque enim refert an molestum, an triste, an dolorificum, an dolorosum, an laboriosum appelles: sicuti nec si
passionem ipsam, molestam, an tristitiam, an dolorem, an doletiam, an laborem. Atqui perspicuum
est Platonem ipsum pro eadem re dictis nominibus omnibus promiscue usum, & in Timaeo & in Phile-
bo, praeterea & in aliis libris sicuti quod est ipsius sermo incidit. Quod autem & Hippocrates eiusdem sit
tum in nominibus ipsis, tum rebus sententiam, non solum ex ipsis constat quae paulo supra sunt dicta, sed
etiam ex omnibus libris quos scripsit. Ac quod contristat quidem in omnibus sensibus ad hunc modum
prouenit: iucundum uero quod illi est contrarium, contrariis ex causis. Quippe eius quo diuelli peri-
clitabatur, reditus ad naturam simul & celeriter factus, uoluptatem affert. Idcirco oculis iucundissimum
spectrum caeruleum est: sicuti e diuerso, grauissimum tristissimumque quod splendidum simul albumque
est, quemadmodum sol. Proxima his sunt, inter ea quidem quae contristant, album: inter ea quae delectant
fuscum. Illud quidem quod substantiam eius segreget simul ac resoluat, hoc quod citra uiolentiam con-
greet. Neque enim profecto sola congregatio satis est, cum sic nigrum quoque iucundum esset, nunc au-
tem sic non est. Cum enim uisionis substantiam sit contrarium, uiolentius eam cogit, quam ut eam ad na-
turam reducat. At uero quod nigerrimum est, eo quod splendidissimum est, minus infestat. Non utique
quod contrarium minus sit triste, quam excessus qui est in genere cognato, (Quippe hac ratione magis
contristaret nigrum, quam quod est splendidissimum.) sed quod uisus instrumentum sit splendidum.
Talis uero substantia omnis, subtilium, nigrum uero semper crassarum. Est autem perpetuo
quod tenuium est partium, magis actiuum natura, quam id quod est crassarum. Ergo cum inter se com-
mittuntur quod tenuium partium est, & quod crassarum, remissius agit quod crassum est, in id quod te-
nue, quatenus scilicet id a tenui potius pati est natum. Ita igitur & sol uisum offendit, quod cum magis
tenuis substantia sit, facile eum segreget. Ac cognatione quidem substantiae, minus contristat, quam ea
quae sunt contraria: sed cum actionis uehementia sit uiolentior, hoc ipso celeritatem quoque ad uisus no-
xam obtinet. Quod enim in minimo tempore uisus noster a solis splendore patitur, id non nisi in pluri-
mo sentit, ubi omnino nullum splendorem uidit, sed in profundis tenebris est uersatus. Quippe is quo-
que ad lucem reductus, uidere non potest, eo quod extinctus ad quendam modum crassatusque sit, ac te-
nebrosus effectus. Iucundissimus igitur merito gratissimusque caeruleus color uisui est: si ramentum is a sole
non est digestus. Huic enim cum utique aegrotat, contrarium remedio est: Sicut ei qui fatigatus est qui-
dem, sed iam sanus est, caeruleum aut fuscum saluberrimum est spectrum: utpote quod nec eum segre-
get, ueluti tum album, tum splendidum: nec cogat & extinguat, ueluti nigrum. Ac fuscum quidem ex al-
bo & nigro simul mistis efficitur: caeruleum uero ex albo ac splendido tum coeuntibus, tum in saturum
nigrum incidentibus. Sic enim Plato de ambobus docuit. Ergo hi colores ex contrariis immodi-
cisque mistis, mediis ac mediocres fiunt. Qui & excessum utrumque, quo uisus laeditur, declinant, & medio-
cres ipsius fatigationes recreant: non secus quam morbos qui ex segregatione proueniunt, nigrum.
Sane uoluptas quae ab ipsis prouenit perinde euidens non est, ac in aliis sit sensibus: propterea scilicet
quod nec dolor par erat. Quippe substantiae tenuitas in uisu nec dum segregatur, propter substantiae co-
gnationem, uiolentum aliquid patitur, (quando ad quod ducitur, ipse per se prior properat,) neque
dum congregatur, propter mutationis imbecillitatem, monstratum enim est quod tenuis substantiae
est, id ab eo quod crassum est, languide cogi. Atque ita quidem in uisu se habent uoluptas, & dolor. In au-
ditu uero, iucundissima uox est, quae lenissima tardissimaque est: propterea quod e diuerso infestissima est,
quae asperissima celerissimaque sit. Verum haec sano integroque sensui iucunda tristiaque sunt: fatigato ea gra-
ta sit quae praeter lenitatem & tarditatem etiam parua est. At ei qui iam aegrotat, quae simul & lenissima
&

& tardissima, & maxime exilis est. Atque hac etiam magis, quæ numerosa est. Quippe omnimodum silentium simile quid in auditu est, atque tenebra in visu. Unde etiam in quaestionem venit, contrarium sic luminis tenebra fit, an eius priuatio: sicuti uocis silentium, & motus quies. Voluptas autem euidentior in hoc sensu est, propterea quod substantia est crassiore. Sicut in odoratu adhuc manifestior est delectatio, propterea quod eius substantia est magis crassa. Quantum enim aer splendore est crassior, tantum aere crassior est halitus. Est uero splendoris quidem sensus uisus, aeris uero auditus, halitus odoratus, æque scilicet ut humidæ naturæ gustus, & solidi corporis tactus. Quoniam autem cognati generis cum gustu odoratus est, sola substantiæ tenuitate ab eo dissiens, (est enim halitus humor attenuatus) de amobus simul agemus: a gustu claritatis gratia incipientes. Gratissimi igitur huic succi sunt, cum naturaliter se habet, omnes qui dulces sunt & pingues. Hi namque omnes monstrati sunt, corporis substantiæ maxime consentientes: recenter autem ab aliquo quod contristabat affecto, pingues: quippe qui exasperatum cum maxime leniunt. Iam uero agrotanti, qui in ijs qui affligant, sunt contrarij: crassis quidem, qui attenuant: tenuibus, qui crassant: glutinosos, qui diffeant: exasperantibus, qui leniunt: ad eundem modum calidis, qui frigidi sunt: frigidis, qui calidi: sicut siccis, qui humidis, & humidis, qui sicci. Dictum autem de horum natura est, in quarto de simplicium medicamentorum uiribus. Legendusque non negligeris is liber est, ut qui tum ad cognitionem, tum curationem sit utilis. Siquidem uenter uisceribus uentrisque subseruit: itaque & quales hæc succos requirunt, tales appetit. Porro huic pro discernendi instrumento lingua prostat, ijs scilicet succis maxime gaudens, quos uentriculus desiderat. Huiusce autem societatis, tunica qua uestitur maxime est causa. Ac delectatur quidem lingua diuersis in temporibus, ex succis qui sibi extrinsecus admouentur sane alijs atque alijs. Delectatur autem nonnunquam etiam dulce quod habet in se ipsa, sentiens. Porro dulcis hic succus pituitæ species est. Quoties autem effusum a uenis sanguinem, lingua ut dulce sentit, tale quid patitur, quale ab extrinsecus admotis. At in odorandi facultate, externorum quidem, tum iucundorum, tum tristiu sensus perinde se habet, ut in gustatrice. Halitus uero quos in se habet, graueolentes quidem, ut dictum prius est, aliquando sentit: beneolentes aut in summa iucundos, non sentit, ueluti nec uisus nec auditus. Hi namque sensus cum tenuis substantiæ sint, nulla in seipsis ualida passione afficiuntur. Tactus uero & gustus uehemens quidem tale aliquid, nec ipsi sentiunt, consulum tamen eiusmodi aliquid nonnunquam patiuntur. Lingua quidem (ut dictum est) a dulci in se pituita, quam Praxagoras & Philotimus speciali magis nomine dulcem succum appellant. Tactus uero ipsum motum in se non raro sentiens, quando suis quæ ipsum intus exasperant uel concoquendis, uel diffandis, uel sensibilibus excernendis ad naturam suam reuertitur. Quinctiam qui lassitudine laborant, ubi molli frictione, uel in balneo loti, ab ijs quiescunt euidentem sentiunt uoluptatem. Iam magis etiam sub iam dictis motibus, in fatigatis ipsis particulis, dum ad statum naturalem redeunt, oblectantur. Sane non solum lauando, & molliter cum largo oleo fricando, uoluptas lassatis partibus accidit, sed etiam in maioribus doloribus pertractatio quæ mollis, blanda, & lenis sit, solatium quoddam non exiguum affert. Ceterum talia externa sunt, dicendumque de ijs omnibus deinceps. Quippe de odorabilibus nihil opus est pluribus differamus, cum se cum gustabilibus ad portionem habeant. Delectamur igitur in hoc sensu genere, (ut uno uerbo dicam) dum ad naturalem statum reducimur. Contingit autem id nobis semper per contraria, modo saltem prout consentaneum est, contrarium quis accipiat. Est autem consentaneum in omnibus talibus id accipere, quod primum, & secundum se, nec per alterum interpositum finis sit causa. Non quod græce procatarchon & procatarchicon, [latine externam causam uocant.] Id quod Hippocrates tum in alijs multis nos admonere uidetur, tum cum ait: Est ubi in tetano quod citra ulcus sit iuueni bonæ habitudinis seu quadrato, frigida, ætate media, largiter affusa, repercussum calor facit. Calore autem hæc liberantur. Quippe si quis de ijs inconsideratius iudicet, putabit aliquid eorum quæ præter naturam sint, aliquando per similia percurari, ueluti tetanum a frigida lauacione. Secus tamen se habet ueritas, cum perpetuo talia omnia ad naturalem statum per contraria redeant: sicut etiam tetanus per caloris repercussum. Ac si quidem simul & celeriter id fiat, sanatio cum delectatione perficitur: sin paulatim, insensibilis erit ad naturam reditus. Similiter autem de abitione a naturali statu ad eum qui præter naturam existit, est sentiendum. Quæ enim simul & celeriter fit, & uiolenta & cum dolore omnino est: quæ paulatim, insensibilis. Proinde cum non naturalis affectus qui paulatim in nostris corporibus contrahitur, nullum sui sensum excitet, eius ad naturalem statum reditus, cum uniuersim & celeriter perficitur, non solum sentitur, sed etiam delectationem secum affert: potissimumque qui a maxime nobis cognatis efficitur: cuiusmodi sunt in gustu quidem, dulcia: in odoratu, quæ ijs proportionem respondent: uocantur autem odorata siue odorifera. Egregium uero proprium quiddam habet generatricium particularum sensus, propterea quod etiam facultatem habent ualentissimam, in mari quidem, seminis expultricem: in foemina uero, tum hanc ipsam in testibus & feminalibus uasis, tum attractricem in toto utero. Coniunxit enim natura & cum seminis effusione, & cum eius conceptu, ingentem cupiditatem simul ac uoluptatem. Ceterum offensa redundantis & intus manentis seminis, quod paulatim multo tempore, ac idcirco plus colligitur, quanquam magnopere infestet, sicut alibi dicemus, impar tamen est magnitudini uoluptatis, quæ in uenere sentitur. Offendentis enim expulsio simul & celeriter facta, etiam delectationis magnitudinem celeritati reditus ad naturam, proportionem respondentem habet.

i Codi. græc. ipressi habent ut J. inacer & Leon. trāstulerūt. Antiqui tamē nonnulli habēt xpi τὰδ. τὸν ἐπι μέλλοι ἢ σαυτῶν ἢ σίχα ἀνάλο γον γὰρ. &c. i. atque hac etiā magis omnimodū silētiū q̄ppe hoc &c. & ita uetus interpretēs & Copus uerterūt.

A. l. f. 3. d. a. c. 6. p. 115. B

A. l. f. 1. d. 6. c. 7. p. 51. C

A. l. 3. f. 13. T. 2. c. 7. p. 342. D. E

A. ibidem E

De

De symptomatum causis quæ uentriculo eueniunt. Cap. 7.

A Reliquum autem fuerit de ijs symptomatis, quæ circa os uentris contingunt (cor etiam appellant) differere. Sunt enim hæc quoque ex tactorio genere. Ceterum nullum membrorum aut ita exactum habet sensum, aut ita utrumque principium unum secum afficit, sicut os uentriculi. Nominatur autem in consuetudine non uulgo solum, sed etiam a medicis stomachus. Quæ namque stomachicæ uocantur syncopæ, huius particulæ symptomata sunt. Quemadmodum & cardialgiæ, quæ ab altera eius appellatione nomen sunt sortitæ. Inducit præterea & dyspnœas & apnœas & demorsus * & epilepsias & deliria & melancholias. Atque hæc quidem omnia societatis ratione: inappetentias uero & diminutas uitiosasque appetentias per seipsum. Voco autem inappetentiam cum quis nihil omnino appetit: diminutam uero appetentiam, eam quæ imbecilla est. Porro uitiosarum, aliæ ad immodicam cibi & potus sumptionem sunt deditæ, aliæ ad alienarum qualitatuum desiderium propensæ. Dicendum ergo ordine de omnibus, initio a propriis eius symptomatis sumpto. Sequuntur hæc ipsas naturales particulæ functiones, quarum utique gratia maximos a cerebro requirebat nervos: propter quos etiam excellentiam hanc sensus præter ceteras particulas possidet. Nam quoniam cute tenus unumquodque animal in ambientem aerem digeritur, accidit ut membra quæ sub ea sunt, prima uacuentur: quorum ingenita uis (ut in opere de naturalibus facultatibus a nobis est monstratum) ex proximis sibi alimentum trahit, id scilicet quod uacuat reficiens: deinde rursum illa, ex ijs quæ sibi sunt proxima: sicut quæ tertio loco sunt posita, ab ijs quæ sibi: atque ita semper per continuum, ueluti in choro quoque translatione celeritate facta, ad uenas quæ ad uentriculum pertinent, uacuatio peruenit. Hæc uero & solent pariter, & nata sunt ex uentriculo nutrimentum trahere, perinde ut stirpium radices, quæ in terrâ sunt dimissæ, ab ea. Cum enim hoc opus uniuersum naturale sit, non animale, similiter in stirpibus, & animalibus perficitur. Ac in stirpibus quidem, terra perpetuo paratum largumque alimentum rigantis ritu subministrat, quamdiu cælitus temporum status pro natura se habet. Quando si ex terra squalloris excessu, siccatus est humor, stirpes nutrimenti penuria marcescunt. Animalibus autem, utpote terræ non affixis, præter utique pauca quædam, natura uentrem pro nutrimenti ueluti penam fabricauit, quemadmodum stirpibus terrâ. Dedit autem animalibus & penuriam sensum, quo scilicet ad cibum potionemque proritata, in tempore expleantur: uocaturque eiusmodi implendi desiderium, appetentia. Fit autem ex penuriæ sensu, cum scilicet uenæ ex ipso uentriculo ueluti emulgentes, iugentesque aliquid trahunt. Non ferens autem eum suctum uentriculus: sed ueluti diuulsus, offensæ eius medelam cibum comparat. Quippe uenæ hoc pacto ad obiectos cibos conuertuntur, atque ex ijs nutrimentum trahunt, nequaquam ex uentriculo. Fitque post cibi sumptionem, ut & uenæ simul ad cibos se conuertant, & uentriculus ex ijs, quantum prius per uenas est exhaustum, in seipsum trahat. Ac suctus quidem ipsius sensus, famas est. Reliquorum duorum alterum uenarum suctum præcedit, uocaturque appetentia homonymos cum altera: est autem naturale opus, non animale. Talem uero appetentiam uacuatio præcedit. Existuntque in totum quinque symptomata, ordine quodam sese deinceps sequentia: quorum primum uacuatio est, secundum uacuatorum appetentia naturalis, tertium uentris suctus, quartum eius sensus, quintum appetentia eius animalis, quæ omnium est ultima. Itaque etiam huius actionis amissio, aut eo accidit, quod sensus suctus sit amissus, aut eo quod suctus non fiat, aut eo quod corpus non uacuetur. Ad eundem modum exiguæ & languidæ appetentiæ erunt, non perditis ijs quæ diximus, sed prope ut pereant perductis. Vitiosæ uero appetentiæ quæ quidem in quantitate modum excedunt, uocanturque a quibusdam caninæ, tunc existunt, cum uel acidus quispiam uitiosus succus uentriculum mordet, uel totum corpus immodice digestum, inops alimenti redditur. Vitiosus namque succus, qui frigidus est, simile suctui morsum infert: appetentiam uero proritat, naturalis affectus similitudine: alimenti autem non potus desiderium excitat, propter frigus. At uitiosus succo qui salis & biliosus sit, uentrem mordente, potio magis quam cibum appetitur. Præterquam enim quod calefiat, sicceturque ab eo uentriculus, quæ utique fitis causa sunt, etiam liquari fundique tum in eo, tum uenis succos contingit. Fundendorum autem succorum

D symptoma, ea quibus continetur implet, quemadmodum (arbitror) frigiditas uacuat. Itaque non parum ad esuriem, frigiditas eorum quæ in uentre habentur, confert: cum & corpora eorum tunicasque uacuet, & cogendo constringendoque ad appetentiam irriter. Non esuriendi uero continens in primis causa est caliditas, ut quæ solida corpora laxando resoluat, atque ad tractum imbecilliora reddat: liquida, liquando amplius extēdat. Atque una quidem caninæ appetentiæ causa est, uitiosus is succus qui acidus est: Altera (ut dictum est) amplior per totum corpus uacuatio, quæ uel caloris robore, uel retentis facultatis imbecillitate sit illata. Proinde in priore affectu accidit, ut plurima sumptorum incidat deiectio: in secundo, ceu qui ex uacuatione habitus sit conflatus, alimentum in corpus digeri. Atque immodice quidem & appetentiæ & famas ob hæc fiunt. Vitiosas autem qualitates concupiscunt hi, quibus uentris tunica uitiosum aliquod excrementum imbiberunt. Solet id maxime mulieribus, quæ uitiosi sint succi, cum grauidæ sunt incidere: uocaturque affectus græce citta, [picationem aliqui latinè appellant.] Appetunt autem sub hoc affectu, acida maxime acerbaque: aliquando uero acria, sicut nonnunquam uel terram cimoliam, uel testas, uel extinctos carbones, taleque aliquod alienum edulium. Porro sic afficiuntur eorum pleraque; usque ad secundum & tertium mensem. In quarto uero desinunt, partim uomitione uacuo uitioso succo, partim tempore concocto. scilicet muliere ipsa præ cibi auersione, exigua comedente: partim etiam abundantia ipsa humorum uacuata. At primis duobus mensibus partim sanguinis in foetum

* Hæc dictio non est i Codi. antiquis. nec ceteri interpretes uidentur eam habuisse, sicuti sane superflua est.

SECUNDA CLASSIS.

C attrahitur

corporis concussio ac uibratio [Vocetur si libet concutiens rigor.] Quippe quæ omnia musculorum E genus, uel solum, uel magis quam ceteras partes tentare uidentur. Exactius autem id sciemus, si prius eorum notiones distinxerimus. Ad præsens enim quatuor memorauimus appellationes, conuulsione, tremorem, palpitationem, & quod rigos græce dicitur. Qualia uero singula symptomata sint, quæ hæc uocabula signent, a nullo me priorum definitum inuenio. Sed alij ad morborum substantias quibus superueniunt, statim se conferunt. Alij ea distinguere aggressi, in interpretationibus suis falluntur. Quod facile intelliget, qui lectis quæ a nobis traduntur, euoluere libros eorum uolet. Neq; enim difficile est ubi ueritatē noueris, quæ parū recte sunt dicta, deprehendere. Ergo de his oibus proximo agetur libro.

GALENI DE SYMPTOMATVM CAVSIS

LIBER SECVNDVS.

Thoma Linacro Anglo interprete.

ARGVMENTVM LIBRI.

Causæ symptomatum declarantur, quæ motum animalis, & principem functionem solent deprauare.

Quotuplicia sint deprauati motus symptomata.

Cap. I.



ONVVLISIO igitur, & tremor, & palpitatio, & rigor [qui scilicet totius corporis est, concussio uibratioq;] præterea horror, & singultus, & tussis, & ructus, & sternutatio, & pandiculatio, & oscitatio, & stridor seu strepitus, tryfmon Græci uocant, omnia motum illegitimum pro communi genere habent. Dissidēt inter se uno primoq; potissimum, quod alia eorum naturæ sunt opera, quæ tamen a morbosa quapiam causâ uiolenter mouerē sit coacta: alia morbosos comitantur affectus, natura ad eorū generationem suppetias minime ferente: alia sunt ubi ad opus efficiendum simul coeunt & morbus & natura. Naturæ G nomen in hac disceptatione pro omni facultate quæ animal siue uoluntatis nutu, siue citra hūc, regat, intelligas uelim. Quippe hoc loco omni causæ præter naturā cuius uitio læditur & corrumpitur animal, totum illud facultatum genus, cuius beneficio seruat, ex aduerso opponimus. Eiusmodi ergo facultatis opera sunt, sternutatio, tussis, oscitatio, pandiculatio, & singultus. Vnius autem morbi opera sunt, palpitatio & conuulsio: sicut amborum, morbi facultatisq; coeuntium, tum torpētium omnium motus, tum ceteri quos edunt ii quorum nerui adhuc resoluuntur, nōdum autem sunt resoluti. quibus etiam adnumeratur tremor. Atq; hæc quidem nunc nobis propositi symptomatum generis primæ differentiæ sunt: quarum cuiusq; propriæ quædā deinde habētur, de quibus nunc agendum, a motibus iis quos naturalis aliqua uis ciet, auspicias. Sane societas quædā istis est, cū iis qui oīno pro nature lege se habent, quā utiq; ut quæ sit eorū generatio doceā, necesse est prius exponā. Igitur cū quatuor facultates sint, quibus omne nutriendi munus in nutritis corporibus administratur, prima quæ ad se quod utile est trahat, altera quæ id retineat, tertia quæ alteret, quarta quæ quod excrementum est, expellat, quandiu pro nature lege animalis actiones obeuntur, nullus earū motus symptoma est. Cū uero subsistit in corpore aliquid quod alienum a natura sit, ubi id expultricium uirtutum aliqua abiicere niti- H tur, aliquando insensibiles omnino earum motus sunt, aliquando sensibiles euadunt. Ac de insensibilibus quidem post agetur.

Quæ symptomata deprauati motus naturæ, quæ morbo, quæ utriq; ascribantur: & præsertim de tremore & palpitatione agitur.

Cap. 2.

DE sensibilibus uero quoniā cū uoluntariis consortio habent, cōis a me doctrina tradetur. Ergo uoluntariæ functionis læsiones sunt neruorū resolutio hoc est paralyfis, conuulsio, tremor, & torpor. Variant aut horum singula in particularibus instrumentis, nō speciē modo, sed etiam nomē. Quippe spirandi instrumentorū paralyfis, apnoea uocatur: eorum uero quibus uox fingitur, aponia: at linguæ paralyfis nullū nomen habet, ipsa tamen nihilo secius loquelam, quæ uolūtatis non leue est opus, prorsus adimit. Contra uero ischuria, apnoea, atq; aponiæ simile quid indicare uidetur. Ceterū uoluntariæ actionis amissio non est, sed naturalis: quippe quod lotiū præter uoluntatē fluat, uolūtariæ actionis est culpa: inuolūtarius effluxus, actionis uoluntariæ. Porro demonstrabitur uberius de iis omnibus in libro de Muscul. motu. Atq; ita quidem paralyfes uaria specie sunt. Cōuulsiones uero ad hunc modum. Dentū inuita concussio tryfmos græce dicta, musculorum mandibularium est conuulsio: quam uero illosin Græci uocant, præterea strabilifini, eorum qui in oculis habentur. Veluti etiam gonorrhœæ alia est differentia: siquidem rigida pene fiat, uelut quædam conuulsio est: si non rigeat penis

† Copus fidelius. Sunt qui singultū quoque cōuulsio- nis spēm esse arbitrantur. Atq; duplex inspirantiū reuocatio non nūquā ob musculorū inspirationem facientium cōuulsione fieri solent.

A penis, ad retentricis facultatis imbecillitatem referri debet. † Non desunt & quibus uideantur tum singultus, tum duplex inspirandi aeris refractio, aliquando ex conuulsione musculorum, qui inspiratum faciunt, prouenire. † Est & expiratus species quædam ex conuulsione proueniens, quæ musculorum qui expiratum efficiunt, conuulsionem sequitur. Appellat hanc Hippocrates spiritum inter exeundum offendentem. Quod autem apoplexia totius corporis sit paralyfis, & epilepsia totius corporis conuulsio, supra est dictum: nec minus quod torpor leuis quædam sit paralyfis. Sanè torpore laborantiū particularum, non parua in excessu defectuq; differentia est: propterea quod id symptoma ex morbo & facultate est mistum. Quippe si morbus uirtutem prorsus superat, omnino membrum sustinere non ualet: si uirtus uincit, haud quaquā impeditur. At si ueluti pugna quædam eorū est, mouetur quidem membrum, sed ægre. Ac si iubeas, cum læsum membrum extendunt, ut id extensum seruent, nequeunt. Decidit enim naturali pondere propter imbecillitatem sustentis id uirtutis, deorsum. Quod enim attollit ac sustinet, uirtus est: quod deorsum fertur, ipsum brachij crurisue est corpus. Causa uero huius rei reddita prius est, ubi de sensibilibus actionibus egimus. Ostendimusq; neruum uel frigidum, in torpore & paralyfim adduci. At conuulsio in eandē dispositionē neruos musculosq; ducit, in quā cū pro nature lege se habebāt ab animali uirtute ducebantur: siue igitur ad principium tēsis siue status influxu impletis musculis uoluntarij motus erant obiti, hæc eadem in conuulsione accident, tum spiritu flatuoso in musculis gigni potēte, tum multis qui tensionem creent (è quorū numero phlegmone est) affectibus. Quorum caput (sicut Hippocrates dixit) duplex est, impletio uacuatiorq;. In phlegmonarum generis uitij, impletio: in ardentissimis siccissimisq; febribus uacuatior. Porro quod impletis uacuatiorq; plus iusto neruosis corporibus, tendi eis omnibus contingat, docent non in postremis quæ in instrumentis musicis intentæ sint chordæ. Quippe quæ siue in humidam & humectā, siue in siccam & squalentē domū tentæ sint repositæ, rūpuntur: ideoq; eas artifices, priusquam reponantur, laxant. Propter hoc igitur dictū est cōuulsionem motū ex solo fieri morbo, immobilitati quæ in paralyfi uisitur, non dissimiliter, ut quæ ipsa quoq; morbi occasione incidat. At morio, & immobilitas in animalibus, secundū naturam sunt, ubi sublātū quis brachium immotū seruare potest, uterq; ab animali sit potentia. Quod si sanū brachium super solidum aliquid reclinans omnem musculorum relaxet actionem, nec propter morbum, nec propter uirtutem eo casu quiescit brachium, sed quod animalibus naturale est, pondere. Ita trium quietum, ea quidem quæ in paralyfi cernitur, à morbo solo sit, obligata (ut sic dicam) eo tempore uirtute: quæ uero in membro, cum extensum est, habetur, a potentia: quam uero ultimo loco posui, à neutro: non ignorantibus scilicet nobis quæ in libris de musculorum motu de extento brachio sunt dicta, talem habitum ipsa re uera exactiorum motuumq; esse genere: motum præterea hunc tensionem à nobis nominari dictum est. Ac talis quidem habitus, alio quidem modo motus, alio immobilitas dici potest: Reliqui duo, nullo modo participes sunt motus: æque ut reliqui duo motus & conuulsio: quæ & uoluntarius, nullo modo ad immobilitatem attinent. Præterea dictum est porrectum extensumq; brachium ex duobus æque ualentibus administrari motibus, uirtute scilicet id sursum attollente, & naturali pondere contra pēssum trahente. Ad eundem modum tremor quoq; ex duobus constat motibus, & eo qui pondere brachium deicit, & eo quem uirtus attollens contra opponit. Ac in ualente quidem brachio, ne uel minimum quidem uincitur uirtus à pondere, sed potentior membri deorsum nutu, sustinet id, tantumq; in sublime attollit, quantum ille deorsum trahit. In tremore uero inuita uirtute, membrum ruit deorsum: licetq; liquido cerni eorum pugnam, nec uirtute membrum decidere sinente, ueluti in paralyfi, nec pondere permittente uirtutem id sublātum seruare: ita ut cū ualens erat. Inuicem igitur uincente uictaq; potentia, mutuoaq; semper contrarijs succedentibus motibus tremor efficitur: estq; compositus motus, qualis est arteriarum pulsus. Verum in his sensibiles motuum quietes, dilatationem à contractione dirimunt: si tamen non adeo frequens pulsus est, ut in ijs, qui propterea quod formicarum motum æmulantur, formicantes dicuntur. † Hic enim nullam inter contrarias motus sensibilem quietem inuenias. Neq; enim uicissitudo motus, ab una perficitur natura, sed ex pugna uirtutis & ponderis corporis. Ceterum ut maxime hunc motum alteri cuipiā qui in corpore habeatur affimiles, formicantis pulsus est non abfimilis. Tanquam enim in hoc arteriæ motus, in minima spatij intercapedine agitur, sic in tremore animalis particula, quæcunq; ab imbecilla uirtute mouetur. Patet ergo huius quoq; symptomatis generatio: & quod omnino cū conatu sit mouendi, & cū uirtutis infirmitate. Sunt qui putent uoluntatem à tremore non esse inseparabilem, uidentes uidelicet totum interim caput tremulo motu agitari, sine uoluntate mouendi. Sed hi ignorant quod etiam in custodia quauis particula recta, tū uoluntas agit, tum tenduntur ab ea musculi, non aliter q̄ in alijs actionibus tenderentur. Sane hoc in lib. de Muscul. motu à nobis demonstrabitur. Sed & nūc nō exigua potest inueniri indicia, & quod uoluntas in tremoribus agat, & quod imbecillitatis culpa rectam custodire partem non ualet. Illum enim cui caput tremat, si super molle aliquid supinum reclines, non amplius tremet. Ad eundem modum si quis scribens secansue aut aliud quippiam factitans tremat, si manus ab opere abstineat, tremere iam desisset. Pari modo si quis cruribus cum ingreditur, sit tremens, si ingredi desinet, non tremet. Videas enim non raro robustissimos iuuenes, ubi maximum aliquid onus humeris imposuerūt, cū progrediuntur, cruribus tremere: ubi progredi desierūt, aut onus abiecerūt, statim

A. l. 3. f. 1. c. 7. p. 33

At exantiq; Codi. Clarius, hic uero (id est in tremore) nullā inter contrarios motus sensibilem quietem inuenias neq; n. uicissitudo motuū ē, quæ ab una perficitur natura: sed pugna uirtutis & ponderis, & ita etiā uerus interpret. A. l. 3. f. 2. c. 1. p. 401. C

tim a tremēdo liberos. Quippe cum graue leueq; ad aliquid referantur, fuerit nimirum & onus adeo E magnum, ut etiam fortissimo sit graue. Ac ualidam quidem uirtutem maximum onus uincit: Quæ uero ualida non est, hanc non maximum modo, sed etiã paruum superat. Quod si adhuc sit infirmior, ipsum eius insitum corpus oneris ritu graue erit, Eoq; fit, ut senes, omnes si quando maiorũ uirium opus moliantur, statim particulis his quibus agunt, tremant. Sic etiam qui ad præaltum aliquem præruptumq; accedit locum, cruribus tremunt. Deicit enim uirtutem timor. Non secus etiam serpentem quis conspexit fugiens, tremens redditur. Quid qui formidabilem magistratum adit, nonne toto corpore tremunt? quem si loqui iusseris, ne uocem quidem non tremulam edet. Tãquam igitur animi affectus, ubi debilitatem motrici facultati intulit, tremulos facit, sic & corporis morbi cum uires labefactant, tremoris symptomata inducunt. Ac primum quidem maximeq; uirtutem lædunt, morbi qui in intemperie consistunt. Quippe cum senium quoque propterea quod intemperies quædam est, ad frigidius siccusq; conuersa tremoris affectibus facile tentetur. Corripiuntur iis non minus & ex iuuenibus ijs, qui uehementer sunt refrigerati, & qui uino meraco se ampliter impleuerunt, uel multis cruditatibus laborarunt, uel longo tempore cibis repleti, in exercitatu ociosiq; omnino exegerunt. Sunt & qui ex frigida intempestiue hausta tremebundi sunt redditi. Quippe talia omnia frigidam intemperiem creant, nõ raro quidem, in toto corpore, & ipso neruorum principio: interim uero, in quibusdam partibus, quæ scilicet & imbecilliores natura sunt, & ad noxam ceteris magis opportuna. Tã crassi glutinosiq; succi, cum uirtutis uiam sic obstruunt, ut parcius influat, tremoris causæ sunt, potissimum cũ profus obstruxerunt, ac neruorum aliquorum partes uilas resolutas laxasq; reddiderunt: quippe reliquæ fibræ ualenter musculum intendere non ualent. Vbi tamen humores qui uirtutis uias per neruos obstruunt, non penitus sunt impacti, sed concuti & dimoueri uirtute uiolentius se ingerente possunt: eiusmodi motus existunt, quales in paralyti incipiente nonnunquam accidere prius diximus, membro, scilicet, aliquando exaltato, statimque decedente. Siquidem cum excitata collectaq; uirtus uehementius se iniiciens neruorum obstructions amolita fuerit, membrum mouetur: rursus autem humoribus in priorem locum confluentibus decedit, immotumq; manet, quoad rursus secundo uirtus uniuersa irruens humores qui eius uias occupant, dissipet. Verum de iis hæcenus abunde. Palpitatio autem dilatatio quædam præter naturam in particula est. Fit autem in omnibus corporis particulis in quibus dilatatio distentioq; accidere possunt. Non enim profecto os cartilago uel unquam palpitant, propterea quod dilatari non possunt. Ergo in cute sæpe incidit, nonnunquam uero etiam in subiectis illi musculis: non in potestremis autem in uentriculo, uesica, utero, intestinis, iecinore, liene, & septo transuerso, unoq; uerbo in omnibus quæ distendi dilatariq; possunt, ita ut tum arteriis tum cordi ipsi uideatur incidere, aliusq; in his præter pulsus motus esse. Est igitur passio hæc neq; uoluntariæ uirtutis propria, nec instrumentorum ad hanc spectantium, (Cuiusmodi sunt tremor & conuulsio.) sed ceu modo dictum est, omnibus corporibus quæ dilatari possunt incidit. Porro ea sunt omnia, quæ naturaliter sunt mollia, ita ut tum dilatatione sui tolerare, tum rursus in se fidere possint. Sane causam huius symptomatis ab iis quæ manifestissime apparēt indagari cõueniet: nempe palpitationibus iis, quæ in palpebris, superciliis, fronte, malisq; contingunt. Cernitur enim in iis cutis exaltari inflariq; ad eum modum quo arteriæ dilatantur. Ergo quod in iis quæsitum est, utrum ne ex sese dilatata, unã cum dilatando trahant quod se implebit, ueluti fabricorum folles, an utrium ritu cum implentur dilatantur, idem primum definiisse in palpitationibus quoq; particulis conueniet. Videtur autem quæstio genere quidem similis esse, ei quod in arteriis quæritur, facilitate autem inuentionis dissimilis. Neq; enim sicut arteriis, quæ semper & secundum naturam pulsant, rationabile est uim aliquam ineffe innatam quæ id efficiat, ita etiam particulis quæ palpitant: quippe & semper iis ineffet, & cum ianã essent præcipue. Quãdo itaq; talis uis neq; semper neque bene habentibus ineffet: liquet eas ex seipsis non dilatari. At uero si non ex se, omnino ab aliqua quæ in ipsas influat substãtia. Porro hanc unam e duabus esse credibile est, uel succum quempiam uel aereã aliquã naturam. Ac quo minus succus sit, repugnat palpitationis tum motus, iam solutionis celeritas: H ut quæ & illico fiat, & statim desinat. Succus autem nullus aut ita celeriter influit, aut refluit, potissimum in iis quæ modo memorauimus circa faciem partibus: utpote in quibus cutis super nuda, propemodum extenditur ossa. Ita necesse est causam unde palpitatio exoritur, aereã esse substantiam. At uero si hæc tum exigua, tum subtilium esset partium, facile per corpus transfueret. Non alienum igitur a ratione est, substantiam quandã crassarum partium halituosamq; esse, tum quãtitate, ut ad locum in quo cõsistit semper satis magna. Ergo dilatatur (ut uerisimile est) attolliturq; ac inflatur partem, quoad trusa & cõpulsã ad sui generis perspiret substantiã: simili. scilicet effectum, ei qui dum coquantur succi, uisitur in bullis: nisi quod bullæ hic rumpuntur: palpitans corpus ob firmitudine nõ rumpitur, sed attollitur quoad flatu per id extrudatur ac transeat. Decidit rursus in pristinã sedẽ, ubi totus uacuatus est, & exiit. Rationabiliter autem iis quibus refrigerata est aliqua particula, palpitationes accidunt. Quippe quod ab ea sub naturali ipsius statu attenuatũ, oinoq; per naturalẽ aëalis calorẽ concoctũ, effluxit: id nunc ubi ea propter frigus redita est imbecilla, & halituosius & crassiorum partium efficitur. Ita nec facile sicut prius perspirat, sed cohibetur a cute, & transitus angustia impeditur, in uia tardatur. Quod si ipsa quoq; cutis sit delata, utiq; duplabitur symptoma: scilicet ad crassitudinẽ transluentis substãtiæ, angustia quoq; uiarũ accedente. Atq; ita quidẽ in palpitationibus distenditur cutis. Simili autem modo & musculi, cũ nõ dissimile in iis excrementum

A. l. r. f. 2. d. 1
c. 11. p. 76. E

A. ibidem.

*κατεργασ
μενον αμυλο
idest accur
te cõfectum

A mentum colligitur, dilatati aliquando totum membrum attollunt. Distat tamen manifestissime is motus à motu conuulsionis, quod membrum neq; profus extenditur, neq; inflectitur. In palpitationibus enim membrum, nec quod notabile sit, extenditur, nec inflectitur: concutitur autem quodammodo huc atq; illuc, quoad musculus palpitare cesset: ad eum sane modum motu obito, quo etiam in tremore: eo autem differente, quod per magna fiat interualla, cum tremor incidit per exigua. Siquidem palpitans musculus cum satis notabili magnitudine est, dum dilatatur, totum sæpenumero membrum secum attollat: cũ contrahitur, ueluti rei inanimi deorsum ferri permittit, ita ut totus motus præter naturam sit, non autem sicut in tremore, mistus quodammodo & compositus. Sane qualis est palpitantium membrorum motus, paucus simul tardusq; & rarus: talis ijs qui concutientem rigorem patiuntur, numerosus densusq; ac celer incidit. Intellego numerosum, ipso motuum numero: celerem autem, ipso motus impetu: densum, ipsa breuitate quietum. Est autem motus hic non utiq; sicut palpitatio & conuulsio totus præter naturam, sed alio modo, nempe quo tremor. Est igitur ipse quoq; mistus quodammodo ex causa quæ præter naturam sit, & animalis uirtute: habeturq; in hoc uirtutis plus quàm in tremore. Immo uero (si fateri uerum oportet) motus omnis insitæ illius est uirtutis, quam nos excreticem & expultricem nominare solemus. Quod hanc uirtutem ad uiolenter mouendum proritat & cogit, id causa est præter naturam.

De motibus quæ symptomata sunt ob causas quæ naturam cogunt.

Cap. 3.

Quisquis igitur huius uirtutis functiones, dum sanum integrumq; animal est, nouit, estq; alioqui prudens, huic longiore sermone opus non est: qui nec illas nouit, & mentis est hebetioris, huic suaserim, si quidem ei ueritas omnino cordi non est, ab hoc libro abstineat: sin ueritatis est cupidus, eamq; magnificat, ubi naturalium uirtutum cõmentarios prius adierit, & se affatim in ijs exercuerit, ad hunc librum se conuertat. Si. n. nihil horum fecerit, nec demonstrationem eorum quæ à nobis dicuntur intelliget, nec eorum quæ prius dicta sunt, quod sine ulla demonstratione est positum aduerter. Ac mihi quidem statutum est, nullã in hoc opere opinionem refellere. Licet autem ei qui uolet. xxiiij. Athenæi libro prælecto, causas, quas priores eo tã medici quàm philosophi de affectu quẽ nos concutientẽ rigore cũ uenia uocamus, attulerunt, quã absurdã fuerint intelligere. (Refellit. n. eos oēs Athenæus.) Licet ibi ne & ipsam Athenæi opinionẽ examinare, quæ ut probabilior superioribus est, ita nec ipsa uera est. Verũ cui ueritas est curã, is hæc scio quemadmodũ exposui facere tentabit. Ego uero ueluti cũ ijs agam qui ea quæ de naturalibus facultatibus scripsimus legerunt, pauca loquar, sed si prius ad memoriã reuocauero quæ de utero, uentriculo, intestinis, ac uesica in ijs demonstrari. Siquidẽ mōstratũ est uteros nullo alio modo ad foetũ edendũ se cõparare q̃, per expultricis facultatis actionẽ. Quippe qui rũ foetus grauitatẽ, rũ sui distentionẽ nouẽ mēsisibus pertulerũt, atq; ita ad unguẽ toto hoc tpe conuulsi ore fuerunt, ut ne styli quidẽ mucronẽ reciperet, ij absoluto in ipsis foetu, ad eius expulsionẽ se cõparant, diuersa omnino cõstitutione affectus. Etenim collũ eorũ quod prius se constrinxerat tantum aperitur, quãto foetui facilis præterit exitus. Tunica autẽ quæ q̃ maxime prius fuerat distenta, undiq; cõtrahitur, ac foetũ extrudũt: ita ut q̃ celerrime per uteri ceruicẽ excidat. Sane eadẽ uirtus quæ sic de foetu est sollicita, ut nouẽ mensũ spatio eius sustineat p̃odus, atq; ut absolutus tuto emittatur, prouideat: si circa tertium quartum ue, aut aliu mēsem foetus ẽ corruptus, statim eũ eijcit. Tum quoq; similiter collũ adape riens, sicuti cum pariendi tempus instabat, aperuit. Quippe præfinitum illi claudendi se aperiendiq; tempus est, non certi alicuius temporis circuitus, sed ipsius usus occasio. Ad eundem modum mōstratum est uentriculum quoq; inferius os suum post cibos claudere, nihilq; finire abire, priusquam plane sit concoctum. Si tamẽ eum nihil aliud intermittere actionem cogit, quemadmodum uterum foetus corruptela: quippe similis affectus uentriculo incidit, ubi cibi in eo sunt corrupti. Immo uero non raro simul ac sunt deuorati, si. sita uel uitiosi sunt, uel copiosi, ut eos ferre non possit. Atq; idcirco quæ quidẽ in se sluitant, per uomitiones eijcit: quæ deorsum uergunt, ad exitum qui illic habetur, detrudit. Sed & citra cibos uentriculi uis sæpe impetum ad uomitum capit, aut bili urgente, aut mala pituita, aut

D alio quoque eiufmodi succo sanie uel infestante. Est enim in quaq; animalis particula facultas, quæ, quod præter naturam in ipsa est collectum, expellat, ueluti in propria de eiufmodi facultate disceptatione est demonstratum. Satis nanq; est ad præsentis disputationis claritatem, ea demum ex huiusce facultatis operibus retulisse, quæ de utero & uentriculo sunt dicta. Quippe qualis est cum euomitur, expultricis in uentre facultatis actio: talis est cũ tussitur, in pectore & pulmone. Sane nullum animal aut nauicare, aut uomere, aut tussire docetur. Immo longo sæpe à natali usq; spatio integra sanitate fru entia, tam alia complura animalia quàm homines, nec uomitum experti sunt, nec tussim, & tamen ubi contristans aliqua causa, uel os uentris, uel spiritus uias occupauit, illico & tussunt & uomunt. Et in uomitu quidẽ sic mouet uentriculus, sicut in partu uterus. In tussi uero aliter fit motus. Neq; n. potest pulmo tali motu quod contristat expellere, sed inuenit sibi natura aliud remedium, magna solertia. Quippe cum externus aer in asperas arterias trahatur, quæ & carthilagineæ duræq; sunt, nec contrahi circa id quod continet possunt, incitatum hunc excogitauit spiritus exitum, quã uocant tussim. Cuius generis & sternutatio est, ad persequenda protrudendaq; ea quæ nares offendunt, instituta. Quæ ipsæ quoq; respiratus sunt uia: à natura inuentæ. Quippe expurgat spiritus sibi ipsi uiolenter & cum impetu delatus uias, non aliter quàm tibias & fistulas expurgant harum opifices. Ac qualis quidẽ mouedi modus sit, quo hoc fiat, in progressu docebit. Quod ad rẽ propositã ẽ utile, iã accipiamus. Nepe q̃ eiufmo-

SECUNDA CLASSIS.

C 4 di motus

di motus naturæ quidem opera sunt. Sed tamen propter causas quæ naturam moueri sic cogunt, sym-
ptomatis quæ præter naturam sunt, adnumerantur. Atque intestinorum quidem & uteri & vesicæ expul-
tricis facultatis similes motus sunt, siue quid eorum quæ secundum naturam, siue quæ præter naturam
sunt, expellitur. Quo minus symptomata ab iis clare discreta sunt. At quæ in tenesim, & dysenteris, &
lienteris excernuntur, symptomata sunt: ueluti (arbitror) & quæ in stranguriis & in urinæ diarrhœis.
Quod si quis exacte loqui uelit etiam uentris crepitus, & stridor, qui tryfmos Græce dicitur, & ructus,
& uentris murmur, aliaque id genus, de quibus etiam proxime dicitur.

De tussis & sternutamenti causis. Cap. 4.

Verum in uentre manifestius est, id quod in uomitibus cernitur: multique hos non naturæ opus, sed
symptomata esse dicunt. In tussi uero & sternutatione, clarius quidem est quod in tussi notatur.
Sternutatio uero non similiter uidetur præter naturam esse. Ceterum sunt non hæc modo, sed etiã tuf-
fis, & uomitus, & diarrhœa, taliaque omnia ex illo symptomatum genere, in quibus causa aliqua quæ præ-
ter naturam sit, ad tales actiones naturam extimulat. Quamquam mouendi modus nec in omnibus idẽ
uifitur, nec ab eadem facultate fit, sed circum ea quæ ab utero, intestinis, uentre, vesicæ uero excernuntur
ipsæ particulae se contrahunt: ad eum modum id quod in se continent, extrudentes, quo manus nostræ
aliquid exprimunt. Facultas autem quæ motum iis præstat, una è quatuor naturalibus est. Verum cum
in alperis arteriis contineatur corpus quoddam cartilagineum, durumque substantiæ, quod idcirco constringi
circa id quod intra se habet, non ualet: natura spiritum cum concitato impetu extra deferri subigit,
ac tussim mouet. Ea fit per eadẽ instrumenta, per quæ magna & uehementes spiritus expulsionones, (quas
efflationes nominamus,) efficiuntur: sic ut tussis nihil sit aliud, quam uehementissima quædam efflatio,
quo plurimus simul celerrimeque foras actus spiritus, attrahat propellatque suo impetu, quæ uias suas ob-
struunt. Cumque primo aggressu pellere quod offendit non ualet, bis terque se iniicere in id non grauatur.
Fitque uoti plerumque compos, ubi, scilicet spiritus ipse cum uehementia deferretur, tum quæ obstruunt con-
tumacia ad propellendum non sunt. Talia sunt quæ nec aquosæ, nec glutinosæ substantiæ sunt. Aquosa
nanque propter tenuitatem, potius a spiritu diffecantur, quam ultra deferuntur: glutinosa pertinaciter ar-
teriae adherent. Quoties igitur spiritus cum eiusmodi humoribus contendit, omnino sæpe uolenter
se iniicit, fiuntque ex eiusmodi humoribus plurimæ tussis, & uehementes, nec sine magno nixu. Porro
eos humores qui in arteriis contumaciter hærent, & qui difficile reiiciuntur, magis expediunt ster-
nutationes: utpote in quibus maior etiam est spiritus impetus, quam in tussi, causa uero generationis
altera. Quippe propter ea quæ in naso, non propter ea quæ in arteria aspera offendunt, emittitur in iis
spiritus uehementer. Emittitur autem cum eo, etiam ex prioribus cerebri uentriculis aliquid. Atque id
circo tussis quidem, caput nihil iuuat. Sternutationes, (si tamen ex catharro non fiunt) maximum re-
medium capitis halitu repleti sunt. Nec mirum uno impulsu tum a pulmone, tum a capite spiritum emitti.
Mostratum enim est, ubi de iis differuimus, caput quidem, pectori motus principium tradere, pectus
autem pulmonem & dilatare & contrahere. Cui igitur quæ in naso offendunt, per se qui properat, utriusque
emittendi spiritus uis simul utitur: altera quidem ea quam ipsum per se facit, altera quam per neruos,
ueluti per quædam longa brachia, quæ in pectus descendant, (Quippe per hos id contrahit:) halituo-
sum autem spiritum per colatoria ossa, ipsum per se exturbat. Atque hæc quidem symptomata, uoluntaria
sunt facultatis. Vomitus autem quamquam ad portionem horum se habet, naturalis facultatis est
symptoma. Ueluti autem uomitiones nauisæ præcedunt, ita tussim, quod cerchnos Græce dicitur. [Est
autem non tussis, sed exiguus quidam ad tussendum impetus.] Præterea sicuti nonnulli nauisearunt,
nec tamen uomuerunt, ita nonnullis symptoma modo dictum incidit, nec tamen tussis propter causæ
paruitatem est secuta. Quippe interim ex parua faucium aspredine, interim uero ex tenui aliquo exi-
guoque profusus humore contingit. Perpetuo enim spiritus quicquid illi sit obstaculo, reuicere id per tuf-
sim conatur. Est autem id uel humor aliquis a capite descendens, sicut in catarrhis: uel in asperis arte-
riis aliquid collectum, ueluti in peripneumonia, & pleuritide, & gibbi iecinoris phlegmone: uel faucium
asperitate. Extra enim hæc sunt ad portionem eorum quæ a capite destuunt, quæ bibentibus edentibusque
nobis in arterias delabuntur. Est & aliud tussis genus ex instrumentorum spirandi ortum intemperie,
quod agnouerunt quidem etiam Pneumatica sectæ probatissimi, quorum est & Athenæus. Necessita-
tem tamen propter quam ex intemperie tussis oriat, alii eorum omnino ne conati quidem sunt red-
dere, alii in seipsum impingere spiritum aiunt, alij etiam obscuriore quam hoc, uerbo uisi, putant se ali-
quid dixisse. Sunt autem non tam quod causam ignorarunt accusandi, quam quod pulchrum theoremata
& suo studio dignum inuenerunt, laudandi. Fit igitur ea tussis spirandi organo perfrigeratis, nihilque
in ea expuitur, nec est omnino uiolenta, sed adeo parua ac sine ui, ut eam cohiberi & generationem eius
uel plurimum, uel omnino prohiberi liceat. Ac uiolentæ tussis spiritus cohibitione non uincuntur.
Porro cuiusmodi res sit spiritus cohibitio, sæpe mihi in aliis est dictum. Tussim autem ex intemperie nõ
solum in præsens fieri spiritus cohibitio prohibet, sed etiam eam sanat: modo ne admodum sit magna.
Augeatur nanque in spiritalibus spiritus cohibitione, calor, permeatque spiritus uolenter a pectore
pressus, ac compulsus per omnes angustos meatus, quibus utriusque peractis, æquantur omnia, atque in si-
militudinem temperamenti ueniunt.

A. l. 1. f. 2. d. 2.
c. 19. B. p. 77.

A. l. 3. f. 5. t.
c. 3. p. 445.

A. l. 1. f. 2. d. 3.
c. 6. p. 85. C.
† Græci cod.
habent, uel con-
tufam concu-
samque esse uel
tendi &c.

A. l. 1. f. 3. d. 2.
c. 12. p. 122. E

† Interpre-
uerba.

A. l. 3. f. 11.
3. c. 1. p. 4
C.

* At. à se ipsis
aut & ad mo-
rum &c.

A De causis pandiculationis, inæqualitatis, lassitudinum, horroris, rigoris, tremoris, pruritus,
& ceterarum uitiolarum motionum. Cap. 5.

CVr autem ex inæquali spiritalium intemperie tuffiatur, (id enim dixi non admodum commode
a Pneumaticis medicis doceri) ipse reddere tentabo, orsus sicuti congruum est ijs qui aliquid cũ
demonstratione disturi sunt, a rei substantia. Intemperies igitur alias ex nudis prouenit qualitatibus,
ipsis corporibus, aut calidioribus, aut frigidioribus, aut siccoribus, aut humidioribus redditis, aut et
ex horum coniugatione affectis: interim uero una cum disperso in ijs roris specie, aliquo intempera-
to. Atque æqualis quidem intemperies omnino sine dolore est: ueluti indicant & hecticæ febres, & mul-
ti frigidi affectus, ubi æqualiter particulas occuparunt. Fit enim talis intemperies singulis qui sic sunt
affecti, ueluti acquisititia quædam natura. Nullum enim corpus offenditur a propria natura, ueluti Hip-
pocrates dixit: His quibus mutatur corrumpiturque natura, dolores fiunt: non quibus corrupta iam est
& mutata. Inter enim ipsum mutandum & a sua natura recedendum, (quemadmodum in priori libro
demonstratum est,) corpora dolent. Cum igitur in aliquo sensibilibus corporum intemperies inæquali-
s gignitur, tanta est doloris magnitudo, quanta est intemperiei. Atque in acutissimis & uehementissi-
mis febribus dolore afficiuntur solidæ partes, dum a calido quod præter naturam est, mutantur atque
alterantur. Præterea incipientibus morbis plerique homines priusquam febricitant, sentiunt interdum
in tota corporis mole inæqualitatem quandam, quam tamen, qualis sit, explicare uerbis nequeunt.
Ac miramur quidem si quis eorum qui hos libros reuoluerunt, ita fuit fortunatus, ut ipse symptoma
hoc nunquam senserit. Quippe profundus quidam fit sensus in tota corporis mole, ceu dispersæ per eam
rei cuiusdam a natura nostra alienæ. Id autem quod dispersum est, aliquando quidem ueluti subcalidum
esse uidetur, aliquando mordax citra calorem, aliquando utroque modo afficiens, aut sine ijs leuiter
omnes carnes distendens. Atque in omnibus eiusmodi symptomatis, tum inæqualitatem quandam sen-
tire se aiunt, tum pandiculantur, tum omnes corporis particulas distendunt naturæ quodam instinctu:
qualem scilicet dudum diximus, omnibus animalis partibus ad salutem statumque earum conseruandum
a natura datum. Maxime autem distenduntur post somnum, cum in carne halituosum excrementum sen-
tiunt: quod & ex confectione nutrimenti & per cessationem ab eiusmodi motibus est collectum: atque
id uel minimi pueruli sine doctore faciunt. Verum ad talem motum animalia impellit ipsa natura, cum
perspiratum halituosum excrementum molitur. Diuersum ab hoc tristis sensus genus est, quod in lassitu-
dinum affectibus sentitur, siue id post multos labores, siue sua sponte incidit. Ac triplex quidem est in las-
situdinibus sensus utique putantibus qui ijs laborant uel cõquassatum sibi aliquid pulsatumque: uel tedi sibi
unde quaque corporis motem, uel tanquam multa ulcera in ipsis quoties mouentur sint dispersa. Ac
cum tendi quidem corporis putant moles, si citra exercitationem id incidit, lassitudo tenuis sponta-
nea nominatur. Fit autem maxime ex plenitudine quæ corpora in quibus continetur distendat, nec ab ijs
contineatur, [sed transmittatur.] Ac cũ ulcerofo sensu afficiuntur, fit quidem & is, motis magis quæ
scitentibus, nisi si admodum magna lassitudo est. Pungi uero, ceu multas spinas habeant infixas se putat,
cum a mordaci humore symptoma oriat. Tertia lassitudo, sub qua se ostocopo, id est ossium dolore
laborare dicunt, ne minimum quidem motum sustinet. Sentiunt tamen quos ea male habet, manife-
stum calorem unam cum demorsu & tensione, uitioso humore in totam animalis molem ampliter trans-
fuso. Eorum uero qui hac laborant, nemo pandiculari tentat, ut qui omnem motum formident. In
reliquis duabus lassitudinibus, quarum alteram ulcerofam, alteram tenuis nominare solent, fit
etiam talis aliquando motus: cum uidelicet uel exigua omnino sunt, uel ex flatuosis & halituosis ex-
crementis proueniunt. Quippe si ulcerofo lassitudo maior euasit, ne qui ea laborant, motum illum
sustinent: sed dolore ueluti ulcers per corpus sentiunt, horrentque. Quod si augetur symptoma, ad
horroris affectum prope perueniunt: quippe sub hoc horrent prius quam etiam moueantur. Tan-
quam autem cum ulcerofo fit sensus, quoties mouentur, horrent, magisque, si uehementius: sic horro-
ris affectus, cum in motum agitur, concutientem rigorem afficit. Hæc nanque omnia ex mordacibus
oriuntur excrementis. Differunt inter se, tum excrementorum multitudine, tum motu. Præterea
quod excrementorum, alia magis sunt mordentia, alia minus. Et quod corpus laborantis uel non fa-
cile afficiatur, uel facile, uel robustum imbecillumue sit, uel acuti naturaliter hebetisue sensus. Nam
quod acuti sensus est, & imbecillum, etiam ex leuissima causa dolet. Contra quod ualentissimum nec
facilis sensus est, magnam causam ad talis symptomatis generationem requirit. Vtrumque igitur in
ijs solis, an etiam in mouendo aut non mouendo, præterea quod mouetur, in eo quod uel celerius,
uel tardius mouetur, plurima est in symptomatis differentia? Ac mihi quidem sic uidetur: eundemque
hominem sicuti quiescentem quidem solam inæqualitatem sentire, ita motum horrere, & exercita-
tum rigore concutiente vrgeri. Ideoque & medici ijs qui ita laborant, experientia docti, consulunt, ab
omni motu abstineant. Iam aliquos qui cruditate laborant, scimus cum quiescentibus nullo affecto do-
lore: cum balneum fuissent ingressi, aut in sole steterint, horruisse: atque hoc magis, si se exercitassent.
Nam & sol, & balneum, & exercitatio, excrementa quæ prius quiescentibus, calefaciendo, attenuando,
ac in spiritum vertendo, ad motum excitant, quemadmodum & ex animi affectibus ira: ex quibus &
ad motum excitantur excrementa quæ prius quiescentibus, calefaciendo, attenuando, ac in spiritum ver-
tendo. Nec mirum corpus, cũ excrementa quiescunt, minus dolere: cum mouetur, & magnopere angij, &
vibrari,

uibrari, & concuti, horrēs. S. ac rigens, & febricitans: quando etiam dura corpora quæ oculis incidunt, E
conuictibus nobis palpebras, & particulam sub quiete habentibus, uel parum omnino, uel nihil con-
tristant: mouentibus, uix tolerabilem afferunt cruciatū. Sed & citra exemplum, ex ipsamet re inuenias
licet, motam causam, quiescente magis esse infestam: quoties uidelicet agitur per corpora sensibilia, ue-
luti in oculis est propositum. Neq; enim de succis qui in uenis, & arteriis fluunt, est disputatio: sed de iis
qui in carnibus sunt, & toto corporis habitu. Quoties igitur aliquid per hæc uiolenter agitur, ac ad cu-
tim defertur, necesse est dum carnem cutimq; permeat, omnia in quæ incidit pungat, stimulet, diuidat,
ac uulneret. Quod autem omnis mordax & dimota causa, siue ea calida siue frigida sit, animal in horro-
rem ac rigorem ducit, primum quidem ex talibus intellexisse licet. Si sano corpori feruentem aquam su-
bito infundas, aut ignis scintillas in cutias, statim horrore uexabitur. Iam cū ulceratæ particula: caustici-
cum medicamentum imponitur, primum quidem horrent, deinde rigent, mox etiam febricitant non-
nulli. Quid quod tertianæ febres quæ omnium febrium maximè biliosæ calidæq; sunt, omnium maxi-
mè horrore infestantur? Quantoq; synceriores tertianæ sunt, tanto etiam rigor in iis incidit uehemen-
tior. Quinetiam eum qui ardenti febrili laborat, rigor superueniens a morbo liberat, Hippocrates ait.
Quoniam scilicet bilis quæ prius in uenis errabat, a natura decretorie per carnes ad cutim truditur. Er-
go motus eius delationisq; quæ per sensibilia corpora agitur, simul & symptoma & signum, rigor est. F
Quinetiam sudant deinde qui ita obriguerunt, uacuataq; iis bilis, a febre liberantur. Interim uero, ubi
non ad cutim, sed ad interna loca bilis impetum capescit, per uomitiones simul & aluum uacuatur. Nō
raro autem simul intro forasq; eodem die est delata, ita ut & sudata sit, & uomita, & deiecta. Quicunq;
uero rigorem profligandæ ardentis febris salutem esse causam propter frigus putant, (quippe contra-
ria contrariorum esse remedia) omnino falluntur. Iam primum enim si id uerum esset, liceret ipsis rigorem
excitare, partim quidem frigida aqua inspersa aut affusa, partim ægro ipso nudo in frigidum aerem
delato, aut in frigida aquæ labrum demisso. Deinde si per mutationem ad contrarium habitum, iis qui
in ardenti febre obriguerant, solutio accidit morbi, debebant post rigorem febricitare desistere, quod
tamen non faciunt. Adeo enim cum rigent febricitare non desinunt, ut etiam multo grauiore febrili post
rigorem urgeantur, quàm ante. Sed postquam largiter sudarunt, aut flauam bilem uomuerunt, aut per
intestinum deiecerunt, tum febris cessat. Quippe ex ualentiore bilis motu, uehementiorem accen-
di febrim est rationabile. Ac quod homines non solum ex frigidis causis rigore tententur, sed etiam cali-
dis, iam monstratum est. Verum quam ob causam, occasionibus maxime contrariis, idem symptoma
succedat, deinceps docebimus: sed admonitis prius quæ de expultricis facultate monstrauimus. Non
enim ea quæ in amplis instrumentorum capacitatibus sunt expellit, ueluti quæ in uentriculo sunt, & G
utero, & utraq; uesica, & intestinis, & pulmone, & naso, quæ uero in ipsis corporibus excrementa colli-
guntur negligit: sed ab iis quoq; quotidie quicquid superuacaneum est, citra ullam animalis offensam
in sensibili perspiratu euicit: ubi scilicet lege naturæ animalis functiones administrantur. Verum ubi mor-
dens aliquid in iis constitit, ac potissimum quod uehementi agatur motu, & angitur, & id expellere fe-
stinat: eo modo quo maxime licet ex ipso membrorum corpore aliquid euici, scilicet particulis ipsis se-
se contrahentibus, atq; constringentibus: mox unaquaque earum partem excrementi quod in se habet
protrudente. Verum si omnes hoc motu simul motas intelligas, concussionem uibratumq; totum cor-
pus comprehendere intelliges, quales id in rigoribus comprehendere cernuntur. Quippe necesse est
musculis omnibus uibratis, articulos quoq; cum iis una uibrari: quibus sic agitatis etiam extensiones
quasdam inflexionesq; præter uoluntatem incidere. Est tamen hic motus diuersus ab eo qui in conuul-
sione palpitationeq; uisitur. In conuulsione namq; similiter quidem, non tamen ab eadem saltem facul-
tate, motus cietur: in palpitatione non similiter, sed sicuti prius est dictum. Nempe quod membrum
unà cum musculo qui a flatuoso distenditur spiritu, exaltatur: at cum cōcussu rigentibus, ceu dudum est
dictum, mouetur omnis particula, musculo seipsum expurgante. In illarum uero motu, totus musculus
concussus uibratusq; articulum in quem inferitur, unà secum uibrat. Talis etiam motus & pectoris mu- H
sculis sub intemperie inæquali accidit. Eamq; ob rem læuis quidam tussendi impetus, quem Græci cer-
chnon uocant, iis superuenit. Concutiuntur enim musculi, dum student ea quæ contristant, a carne sua
per pulmones & arterias expellere. In ceteris autem tussibus uehementer eos pulmōni se iniicere est
demonstratum: quod scilicet multum simul & celerem efflatum moueant. Iam etiam uehementius huic
se in sternutatione incutiunt, cum qui in naso est spiritum simul uniuersum expurgare nituntur. Id quod
nonnulli qui infirma erant uirtute cum intelligerent, expuendumq; per pectus & pulmonem aliquid
haberent, sternutationem sibi nares laessendo mouerunt: quo scilicet quod per tussim euicere non ua-
luerunt, huius motus uiolentia educerent. Verum de eiusmodi tussi diligenter prius est dictum. Quæ ue-
ro ex spiritualium instrumentorum intemperie incidit, ex eodem est cum cōcutientibus rigoribus hor-
roribusq; genere. Differt autem eo, quod celerior eius sit sensus, nunquam. S. quiescentibus spirituali-
bus organis. Monstratum namq; prius est, quod motus, etiam in toto corpore eiusmodi affectiones ma-
xime prodit. Ac cum humida quidem natura sunt quæ offendunt, uiolento hoc concussu, ac uibratu,
qui in tussi & concutienti rigore cernitur, ab excretiua facultate trusa, undiq; ad loca cedentia* feruntur,
quædam supra, quædam in inum uentrem, quædam foras ad cutim, ita ut sensibilis eorum uacua-
tio sit. Cum uero flatuosa tantum sine humore substantia uel iusto calidior uel frigidior per corpus per-
meat,

A. l. 1. f. 2. d. e.
2. p. 53.A. l. 4. f. 1. 7. 2. c.
5. p. 75. CA. l. 1. f. 2. d. 2.
5. p. 7. c. 14. C*ενοχλας, id est
cedentia est in
impresis &
ita etiā leon.
Antiqui non-
nulli habet.
πρὸς ἐνοχλας
1. conuenien-
tia. & ita Co-
pus.

A meat, utiq; horrent tunc quoq; aliquando etiam & cum concussu rigent, eadem ex causa. Nihil tamen
sensibile his uel uomitur, uel sudatur, uel infra deijcitur: utpote cum aerea sint quæ expultricem vim
laceffunt. Sic in balneis præcalidis, si subito præsertim & confestim minime præcalfacti ijs accessi-
mus, statim horrentes reddimur: æque ut cum in frigidum aerem confestim transferimur: aut si non cō-
fertim, saltem si diutina in eo moram facere cogimur: quemadmodum in itinere agendo accidere ali-
quando consueuit. Eiusmodi rigoris remedium calfactio est non sudor, uomitus uē, aut alui deiectio.
Quoniam autem (ut dictum est) & frigida causa & calida concutientem rigorem creat, ad calidā qui-
dem quæ scilicet aerea sit, refrigeratio satis pro remedio est. humidam uero febris necessario comita-
tur: sanatio uero eius uacuatio est. At frigida quæ aerea sit, calfactio remedium est: ei uero quæ humi-
da est, aliquando sola concoctio sufficit, aliquando uacuatio desideratur: est uero quando ambo com-
petunt. Ac uetus quidem sermo est, rigor febris semper succedere. non tamen est in totum uerus, et
si quis eum commode determinet. Id quod etiam facere par est, amice potius ueterum dicta interpret-
antibus, quàm maleuole arguentibus. Verum tamen ne sic quidem uerus eorum sermo est, nec si deter-
minans dixeris: Qui citra externam occasionem ex corpore nostro concutientes rigores efficiunt, hos
febris necessario sequitur. Quippe non nobis modo, sed etiam multis medicis qui nos præcesserunt,
B iam uisi concutientes rigores sunt sine febre: non tamen ita ualidi, ac qui legitimas tertianas quarta-
nas uē præcedunt, aut qui ardentis febres finiunt. Solent sane eiusmodi rigores uitiosam sequi uictus
rationem, cum homines in desidia se repleuerunt, ac sæpe a cibo se lauarunt. Cum uero ipsæ ciborum
qualitates frigidioris sæpe ac pituitosioris temperamenti sint, promptissime qui sic sunt affecti, rigori-
bus qui ægre recalsant capiuntur. Nihil igitur miri est, antiquos medicos nullum eiusmodi rigorem ui-
disse, hominibus qui tunc uiuebant, nihil perinde ac qui nunc uiuunt, in salubri uictu peccantibus, sed
nec balneorum usu tam frequenti. Ceterum (sicuti dictum mox est) eiusmodi rigores horridi magis sunt,
quàm cum uibratu concutientes. Primum enim quod ex uitiosis excrementis sentimus, inæqualitas est:
cum uero acria fuerint, mordicatio: secundo loco horror exiguus, deinde maior, post magnus ita, ut iā
rigoris aliquatenus sit particeps, Deinde rigor ipse solus, qui dimoueat concutiatq; particulas. Hic ri-
gor a frigidis succis nunquam creatur. Omnino enim eiusmodi succi præ crassitudine sua cōcitato mo-
tu non mouentur. Quod si aliquando attenuantur, rigorem quidem excitant, non tamen uehementem.
Neque enim potest eandem recipere tenuitatem attenuata pituita, quam attenuata recipit flaua bilis:
ac talem quidem rigorem non admodum norunt antiqui medici. Qui autem in letalibus incidit febrili-
bus, hunc norunt. Ait igitur Hippocrates in sententijs: Si rigor in febre non intercisa incidit, ægerq; in-
C firmis sit uiribus, letale est. In talibus enim rigoribus incipit quidem natura persequi quod offendit, sed
uicta, concidit atque extinguitur: eoq; mortale est symptoma. In quartanis autem missus rigor ex cali-
do frigidusq; est. Nigra namq; bilis, frigidus natura succus est: sed cum putredinem sibi adiunxit, cuius
causa febrem accendit, tantum possidet caloris, quantum etiam putredinis: ac quod rigores quidem ca-
lidis etiam causis succedant indicauimus. Quod autem in talibus quoq; omnibus perfrigeratur, ac san-
guine deficitur, maxime quidem extremæ corporis partes, cum his uero tum cutis uniuersa, tum quæ
proxime sub ea sunt, & quam ob causam id accidat, deinceps æstimemus. Est igitur ex primis, ac (ut sic
dicam) qui maxime principalis sint notæ motibus, ipsa naturalis caloris intro forasq; delatio, multas
animi perturbationes passioneq; sequens. Simul autem cum ipso spiritus quoq; ac sanguis, alias intro
& ad ipsum principium feruntur, ac contrahuntur, alias foras tendunt, & funduntur. Ipsius namq; ani-
mæ substantiam, uel alio quouis opere definisse fortasse sit audacia: in eo uero quod nunc proponitur,
non solum audacia, sed etiam superuacuum. Videtur tamen quæcunque ea fuerit, duorum alterum, uel
primis ad omnem actionem instrumentis spiritu sanguineq; præterea calore, tum qui in altero, tū qui
in utroq; est uti, uel in his ipsis esse. Licet autem motus eius euidenter cōtemplari, cum in alijs multis,
tum maxime in ipsis perturbationibus. Timor enim intro & ad principium, tum spiritum, tum sangui-
D nem unà cum refrigeratione eorum quæ in summo corpore sunt abducit ac contrahit: ira uero & foras
agit & fundit & calefacit: quæ uero composita ex ambobus est, quam Græci agoniam dicunt, inæqua-
les habet motus. Itaq; etiam pulsus tum arteriarum, tum cordis ijs qui timent, minimi ac maxime im-
becilli sunt: iratis contra maximi & uehementissimi: his autem qui composita ex ijs passione laborant,
inæquales. At in uerecundia, primum quidem intro agitur animalis potentia motus, deinde rursum fo-
ras celeriter uniuersus. Quippe cum nisi redeat, timor sit, non uerecundia. Si quidem uerecundia de re-
pente fit, omnino nihil expectat malum animali facultate: sed (ut sic dicā) præ mollitia & timiditate
naturali, cum homine longe meliore uersari non sustinente, sed refugere, & si possit a conspectu subdu-
cere properante: ideoq; ueluti refugiens tantum, citra ullam perfrigerationem in profundum recedit:
ratione uero patibilem partem animi, id est quæ terretur & uerecundatur, excitante atque inhortante,
redit, extrorsumq; mouetur: simillimo motus modo atq; cum ex frigida lauatione caloris fit repercul-
sio. In timore uero, cum ratio patibilem animi partem non excitet, nec inhortetur, magis magisq; extin-
guitur calor, ita ut etiam rigent eorum nonnulli. Quod autem in timore semel & confestim, id in tristi-
tia paulatim patiuntur: dissidentibus scilicet inter se passionibus ijs non toto genere, sed magnitudine
& uehementia. Itaq; etiam ex subito timore nonnulli iam interierunt: cum scilicet animulus eorū na-
turaliter imbecillus uehementi passione detētus, semel & cōfertim extinctus est & suffocatus. Quippe
extingui

Causa symptomatum functionis naturalis, mutationisq; excrementorum,
& qualitatum declarantur.

De symptomatum causis quæ sunt in concoctrice facultate.

Cap. I.



QUAE vero in naturalibus functionibus facultatibusq; symptomata fiunt, eandem quam ea quæ in animalibus actionibus incidunt inuentionis rationem habent. Præstiterit tamen fortassis, in horum quoq; speciebus exercitatos esse: quemadmodum etiam in iis quæ animalium sunt actionum, sumus exercitati. Ergo omnium quæ uirtutibus nocent inueniendarum causarum caput est, modi, quo per sanitatem operabantur, cognitio. Si enim atteredo concoqueret cibos uentriculus, cum attritio eius esset impedita, concoctionis symptomata existerent, scilicet cum prorsus non attereret, ut prorsus non concoqueret: cum uitiose attereret, ut uitiose cibos coqueret. Eadem ratio si putrefaciendo concoqueret, cum non putrefaceret non concoqueret. At si ueluti nos demonstrauimus, ipsa concoctio alteratio in qualitate est, (sit autem a uentriculo cibum sibi assimilante) palam est frustrationem in alteratione, concoctionis symptoma fore. Ac si quidem nulla omnino alteratio sit, symptoma id a pepsia siue cruditas nominatur, ad eum modum quo in animi functionibus immobilitas & insensibilitas: significantibus scilicet his uocibus actionis in primæ particula amissionem, ac priuationem. Sin alteretur nõ tamen sicut oportet, cruditas quidem siue a pepsia id quoq; appellatur. Significatur tamen non utiq; sicut prius priuatio, sed deprauatio duntaxat. Cum autem sit deprauatio, duplex, uel quod tarde & nondum conuenientem mutationem cibis suscipiat, uel quod corrumpatur omnino, ita ut naturalem gratiam prorsus recipere nequeat: Priorem quidem bradypepsiam, id est tardam concoctionem nominant: secundam nomen proprium non inuenit. Ac tot quidem concoctionis sunt noxæ. Causa uero earum communis quidem est, alteratricis facultatis frustratio. Ea diuiditur in species & genera. Ac prima quidẽ duo genera frustrationis sunt: alterum ex facultate ipsa læsa, alterum ab externo quopiam errore proueniens. Diuiditur rursus horum utrunq; uirtutis quidem læsio bifariam, aut enim substantiæ suæ incidit culpa, aut morbi alicuius instrumentalis. Externus error triplex est: alius in excrementis, quæ in uentre habentur: alius in cibis, alius in tempore somni. Verum quæ in facultatis substantia noxæ incidunt, intemperies quædam sunt actiuarum qualitatum. Quæ uero ab instrumentalibus oriuntur morbis, eæ in iis quæ erysipelata Græce uocantur, & cedematis, & phlegmonis, & scirrhis, & abscessibus, & carbunculis, & aliis circa uentrem id genus, partim simplicibus, partim compositis morbis consistunt. Ac horum quidem omnium occasione, uenter male concoquit, ipsa scilicet facultate eius concoctrice læsa, in temperamenti quidẽ uitii, propria eius substantia labefactata: in ceteris morbis qui tantum instrumentales, duntaxat impedita: qui uero ex intemperie simul & instrumentali morbo compositi affectus sunt, utroque modo sunt noxij. Atque omnibus iis occasionebus uenter male concoquit, etiam si in nullo alio eorum quæ extrinsecus sunt, peccetur. Rursus uentre ipso minimè affecto, non concoquit animal, uel propter cibi ac potionis immodicam copiam, uel propter qualitatem alienam, uel propter intemperstiuatatem, uel incongruum ordinem, uel uitiosum excrementum, uel somnum exiguum. Verum quæ a uitiosis ciborum qualitibus & excrementis quæ in uentre habentur consistunt, cum corruptione sunt incocta: sicut interim quæ parum conuenienti ordine, & intemperstiuè sunt sumpta. Diu autem parum conuenientem ordinem, si mala, uerbi gratia, & pumica primo loco sumantur, olera ex oleo & garo ultimo loco: intemperstiuatate uero, si mane antequam prior cibus descenderit, uel paulo ante exercitationem, prædeatur. Porro corruptelæ quæ quidem nidorosæ sunt, ex calidioribus magisq; biliosis ueniunt cibis: acidæ uero, ex iis qui frigidiores natura sunt, magisq; pituitosi. Similiter autem & in excrementis sit: acidas quidẽ creant quæ pituitosa sunt & frigida, nidorosas quæ calida & biliosa. Etiam ipse uenter, sub frigidioribus quidem morbis acidas, sub calidioribus nidorosas mutationes facit. Tarditatem uero concoctionis efficiunt ea, quæ ægre quidem corrumpuntur: ceterum plus ualent quam uirtus aut somnus. Vbi autem citra corruptelam concoctionis omnino est priuatio, scire licet eo casu prorsus superatum esse uentrem, uel ab immodica multitudine, ut ad uirtutis imbecillitatem, uel a ualido frigore. A deo enim in tali statu uenter non concoquit, ut etiam concoquere prorsus non tenet. Ergo hæc tibi eius quoque cruditatis quæ in uasis sanguinis accidit, exempla sunt. Siquidem hæc

A hanc quoque ad eosdem modos reduces, sicuti ad hanc, etiam eam quæ in tertia est concoctione, quæ totius habitus nutritio sequitur: scilicet eandem proportionem habente alimento quod ex uentre in uenas digeritur, & quod ex uenis ad carnes digeritur, quam habent ad uentriculum, quæ comeduntur & bibuntur. Hæc igitur omnia nobis indicauit concoctionis modus præcognitus. Scientes enim quod quatuor elementorum certa quædam temperies, quæ proprietatem corporis uentriculi efficit, mutationis ciborum est causa, tum quod plurimam in id uim, calidum elementum confert: ueluti a manu, ad causarum in cruditatibus inuentionem ducti sumus. Est porro non in cruditatibus modo, sed etiam in omni symptomatum genere, aliud actionis ueluti amissio seu priuatio, seu quomocumque aliter id nominare libet, aliud uelut inchoata deficientq; actio, aliud praua & errans. Atque in uentre quidẽ, ceu mox est dictum, priuatio quidem actionis est, cum cibi ne uel minimam quidem mutationem accipiunt: deficiens autem, in tarditate concoctionis consistit: sicuti praua & errans, in corruptelis. In uenis autem priuatio actionis est, cum succi omnino sunt crudi: deficiens actio, cum semicocti: praua, cum uitiosi. Ad eundem modum in tota quoque animalis mole, quæ uelut priuatio est, in crudis isthuc consistit succis: quæ tanquam deficiens est functio, in semicoctis: sicut praua, in uitiosis hoc loci succis. Porro ex ijs uitiosis succis, erysipelata, cancri, gangrænæq; nascuntur: præterea phagedenæ, carbunculi, B ulcera serpentia, aliaq; eiusmodi. In nutriendi autem actione, priuatio quidem actionis, in atrophia est: deficiens uero nutritio, in gracilitate: uitiosa, in leucis, & elephantiasi cernitur. Causæ omnium quæ prædicta sunt symptomatum, eadem genere sunt, cum ijs quæ supra de uentre sunt dictæ: quædam scilicet in uirtutis imbecillitatem, quædam in nutrimenti uitium, tertiæ in uitæ rationem, & ea quæ extrinsecus animali incidunt reductæ. Ad eundem quoque modum uirtutis imbecillitates, quæ quidem propriæ sunt simularium, intemperiem: quæ non propriæ, instrumentales sequuntur morbos. Vitia uero nutrimenti, in abundantiam & qualitatem diducuntur. Non secus arbitror & uitæ rationem, & eorum quæ extrinsecus appropinquant errores, in ordinem uitiatum, & intemperstiuatatem quandam diuiduntur. Voco rationem uitæ, equitatem: piscationem, uenerem, balneas, ambulationes, nauigationes, uenationes, omnia deniq; in quibus aliquid corpore agimus. Oportet autem medicum non solum symptomatum agnoscendorum facultatem habere, ac generationis eorum inueniendæ peritum esse, sed etiã modi quo generentur: qui inter effectricium causarum differentias numeratur. Neque enim illud tantum scisse, an uenter omnino non concoxit, par est, nisi etiam norit quamobrem id acciderit, utrum ne propter nimiam concoquentis facultatis imbecillitatem, an copiam aliquam immodicam, an pessimam aliquam ciborum qualitatem. Quippe symptoma quod ex cibis oritur, ex facili corrigitur. quod autẽ ex C ultio uirtutis incidit collapsit, in lienteriam, aut tympaniam hydropa finitur. In uenis quoque simillatione, non solum sanguinis frustrationem æstimari conueniet, sed etiam qua ex causa ea contingat, utrum ne ex sanguificæ uirtutis imbecillitate, (non enim incommode ita nominem) an ex multitudine succorum crudorum frigidorumq;, qui a uentriculo digeruntur: quippe hoc facilis sanationis est, illud in hydropem terminatur. Ad eundem modum in carne. Ex crudis namq; humoribus, qui a morbis immodice se satiãt, flatuosi, ac toto corporis habitu turgidi redduntur. Ex imbecillitate uero uirium qui anasarca uocantur, hyderi existunt. Atque omnes quidem magnæ intemperies uirtutem deiciunt. Verum quæ ex frigido superante constant, frigidus affectus excitare sunt idoneæ: quæ uero ex calido, contrarios: eodem autem modo, & in reliqua oppositione coniugationeq; intellige. In omnibus uero (ceu dictum est) communis est a naturali statu maxima mutatio. Circa mediocres enim & consuetos cibos, nihil in totum effectisse, maximam uentris intemperiem prodit. Verum si propter exuperantem calorem tale quid accidat, protinus etiam corrumpuntur cibi. Generatim quidem corruptela quadam, quæ ad nidorosum inclinet: speciatim uero pro sua quisq; natura. Quippe alia cum corrumpuntur, tanquam uirus, alia tanquam lutum, alia crudos pisces, aut indicibilem alienamq; putredinem olent. Nullum enim edibilium uehementer calefactum, durare impure potest. Protinus autem sitiunt quoque immodice, D qui ita sunt affecti, febricitantq; interdum tenui paruaq; hæctica febri. Sin ex frigore immodico perditur omnino ciborum concoctio, nec siti nec febri affliguntur, & ciborum ipsorum qualitates, siue ructa re uelint siue uomere, plane seruant. Quod si exigua quæpiam circa concoctionem eorum sit actio, tunc ciborum natura uel medijs temperamenti uel frigidioris, acidi ructus fiunt: sin calidiore temperie sint aut etiam natura flatuosi, uentriculus halituoso impletur spiritu. Ac in eiusmodi quidem intemperie breui perducitur potest uentriculus. In humiditate uero & siccitate adeo intemperatus uenter esse ut actionem amittat, non potest sine prolixo temporis spatio: debetq; præcessisse humiditatem quidẽ hydrops, siccitatem uel senium uel marasmus. Verum tales distinxisse differentias, alterius est operis.

De causis symptomatum retentricis, expultricis, & attractricis facultatis, eorumq; quæ in nutritione ac in singulis excrementorum generibus contingunt. Cap. 2.

A. I. 3. f. 3. T. 3.
c. 1. p. 558. E

A. I. 3. f. 13. T.
3. c. 1. p. 548. E

A. I. 4. f. 1. t. 2.
c. 1. p. 772. F

A. I. 7. f. 2. d. 3.
c. 17. p. 72. D.
E.

Modo autem ad retentricem ueniendum est uim. Est enim in hac quoque prima symptomatum differentia triplex: ea uidelicet uel omnino cibos non complectente, uel diminute, uel uitiose. Ac cum uel prorsus non complectitur, uel debiliter flatulentia & fluctuationes cum sonitu, græce clydones dicti, succedunt: flatulentia quidem, ubi & cibi flatuosi sunt, & uentriculus non admodum frigidus: fluctuationes cum sonitu, cum uel nihil in eo continetur, quod uerti in flatum possit, uel ualenter sit perfrigeratus. Quippe talis affectus nullum gignit halitum. Constat autem citra potionem nõ posse fieri

fieri in uentre sonoras fluctuationes. Porro quod infirmus ad ultimum uenter fit, in causa morbus est: E alius ut similis est particula, alius ut instrumentalis. De prauis autem in eo motibus, quod uel tremu- lenti sint uel palpitantes uel tanquam cum concussione uel conuulsiui, dictum supra est in symptoma- tum differentijs. Qualis uero dictorum quisq; sit motuum, tum quæ cuiusq; eorum causa, proximo hu- ius operis libro est indicatum. Nunc tantulum etiam adijciendum est quod tam expultricis quam re- tentricis uirtutis, tum morbi, tum symptomata miscentur: uerbi gratia uentriculi motus qui ueluti cõ- uulsiuus est, qui in singultiendo accidit, conuulsio quidem in totum non est, (utpote quæ in solis acci- dit musculis. Venter autem nec ipse musculus est, nec eius os.) sed ueluti conuulsio quædam, am- barum uirtutum commune symptoma est: retentricis quidem, quod uenter cum singultit prauè & nõ naturaliter cibos complectitur: expultricis, propterea quod primum eius est ipse motus prauus, dum scilicet cupit, quod contristat reijcere. Sane non idem est uomentibus atque singultientibus motus, propterea scilicet quod non idem affectus. Quippe in uomitionibus, ea quæ in capacitate sunt uentris reijciunt: in singultu quæ in ipso uentris sunt corpore, simili scilicet tum affectu, tum motu, qualem in ijs qui ex intemperie tussunt monstrauius: omnibus nimirum uentriculi partibus quod se contristat expellentibus. Proinde eiusmodi symptomatum ijs quibus uenter perfrigeratus est, tum qui pi- peris alteriusue perinde calidi medicamenti multum & semel liberaliter sumpserunt, deinde super id calidam potionem biberunt, incidit. Quibus utique magis etiam singultire cõtingit, ubi piper ad sub- tilissimum pulcrem est redactum: quippe eiusmodi piper altius in ipsum uentriculi corpus inseritur. Ad eundem modum & ceteris omnibus frigerantibus calefacientibusq; quæ in corpus ipsum uentri- culi descendunt, singultus superuenit. Estq; is singultus primum expultricis uirtutis motus quidem nõ legitimus. Secundo loco retentiue ac complectentis. Pari modo nausea quoque & uomitus expultri- cis facultatis prauis motus sunt, ad ea quæ uentris* corpus contristat, quàm citissime per stomachum uacuanda. Simile huic symptoma est, & quod in lienterijs, siue intestinorum læuitate apparet: cum vē- ter ab aliquo, quod morfu, pondereue contristet, uexatur, eijcere id statim cupit. Cum autem duo eius sint ora, supernum quidem in gula, infernum in pyloro, ad utrumcunq; horum uergit quod offedit, eo abutitur ad expulsionem. Quod si toti illi talis affectus aliquando contingit, etiã utroq; ore simul uti- tur: ueluti in uocatis cholericis. Reliqua uero quartaq; eius facultas, nempe tractrix, triplici genere sym- ptomatum & ipsa tentatur, uel cibos trahere in totum non ualens, uocaturq; id symptoma, stomachi paralytis: uel ægre trahens, quo tempore relaxari quidem incipit, relaxatus tamen adhuc non est. Ter- tium præter hæc est, ubi aliquid prauè & non rite trahit. Præui autem & non legitimi motus sæpe iam dicti sunt, non secus autem & affectus quorum occasione incidunt. Sane accidit aliquando, ut etiã car- nosum aliquid (qualia sæpe foris uidemus) in stomacho nascatur, quod uel omnino ciborum viam ob- struat, uel aliquatenus impediatur. Vocantur autem eiusmodi morbi instrumentales. Et proditum de ijs est in lib. de morborum differen. Ac uenter quidem cum pro naturæ lege se habet, trahit quidem ad se superne per stomachum, deorsum uero excernit: cum præter naturam est affectus, etiam ab inferiori- bus aliquid capit. Nam & clysteris aliquid nonnullis in uentrem subijit, ita ut uomere: præterea ster- cus in letalibus ileis. Satius enim est existimemus eum in eiusmodi affectibus non trahere, sed quod ab intestinis uiolenter retrudentibus ascendit, duntaxat recipere. Quippe in intestinis (iam enim de ijs agere tempestiuum est) complexio comprehensioq; est, ceu alibi est monstratum, qua usã, nutrimentũ ad inferiorem suum exitum propellunt. In quibusdam tamen affectibus cum constringendi complectẽ- diq; motus infernè incipit, ea quæ in ijs continentur sursum feruntur. Qua ratione acer quoque succus quispiam, qui ad sedem aliquando fuerat delatus, ac uel in foro, uel alio quopiam loco uersatis, aut ne- gocio aliquo quod deserere non licuit districtis, uiolenter retentus, sursum est sursum ductus, uentrẽq; momordit, ac caput uaporando impleuit. Principio quidem motus ab animali organo sphinctere, id est musculo ad inum intestinum accepto, ab hinc uero unoquoq; intestino retro id a se ad supra se po- situm trudente, simili modo ac prius in præceps trudebat. Ad eundem uero modum crepitus quoque H descendere prohibitus, interim reuertitur. Ergo mirum non est, clysmatis quoq; aliquid & stercoris, ex tam uiolenta intestinorum constrictione ad uentrem aliquando præter naturam reuocari, deinde ad exitum properare. Ceteri uero eorum motus ex genere quidem motuum secundum naturam sunt, uen- rum uel diminuti, uel alieni, atq; idcirco etiam symptomata. Accipiendi uero sunt, ad eorum qui de vē- tre sunt dicti portionem. Pari modo & motus eorum priuatio, ipsa non leuissimum symptoma. Ex qua- li causa gigni etiam & ileos quandoq; potest. Iam moles quæ præter naturam sunt aliquando descen- dere excrementa omnino prohibebunt, aliquando sub iusta mensura. Sicut durum etiam stercus in ali- quod intestinorum uolumen impactum quod supra est, deorsum ferri aliquando uetabit. Ac seruatur hic quoque ad ea quæ de uentre sunt dicta, proportio, omnibus scilicet symptomatis, uel ex intempe- rie, uel propter collectiones aliquas non naturales, uel ob ipsa quæ continentur excrementa factis. Itaq; satius est in his non amplius morari, sed ad aliud symptomatum genus transire. Est igitur natura- le quoddam opus, alimenti ipsa ex uentriculo in iecur, ex iecinore uero in totum corpus digesti. Hæc perferri monstratum est, singulis particulis conueniens sibi nutrimentum trahentibus. Quare sympto- mata circa huiusmodi quoq; actionem triplicia incident, alias diminute, alias non rite, alias omnino nõ peractam. Causæ uero triplices sunt, quemadmodum in antedictis, uel intemperies trahentium, uel in- strumentales

A instrumentales eorundem morbi, uel nutrimenti quod digeritur uitium. Ac intemperies quidem uir- tutem ipsam reddunt imbecillem, instrumentales morbi uias angustant, alimenti uitia sunt crassitudo & lentitia. De quorum agnitione dicendi tempus nunc non est, sed ad separationem excrementorũ ueniendum. Sunt uero in hac quoque causæ triplices. Vna quidem particularum quæ excrementa ex- purgant imbecillitas. Secunda uiarum angustia. Tertia excrementi ipsius uitium. Ac imbecillitas quidem causa intemperies est: uiarum angustia, obstructio uel aliquis in instrumentis tumor. Verum tumoris eiusmodi causa fluxio humorum est, quæ in ipsum instrumentorum corpus procumbit: obstru- ctionis uero, uel crassitas succorum, uel lentor, uel germinis ritu aliquid adnatum. Excrementorum ipsorum uitia sunt, multitudo, crassitas, & lentor. Cum autem triplex sit in uenarum concoctione ex- crementum, unum amara bilis, alterum nigra, tertium ferofum: biliosum quidem uesica quæ iecinori subest, expurgat: melancholicum, lienes: serofum, renes. Itaque etiam parum commode purgantur horum singula, uel ex debilitate priorum instrumentorum cuiusq; uel uis quomodocunq; obstru- ctis. Cum autem hæc duplices sint, aliæ per quas trahitur superuacui, aliæ per quas emittitur: in utrisq; sane separationi oberit angustia. Aliquando horum nullum est in culpa, sed excrementi multitudo, cum immodica est, nec tota simul expurgari potens, unã cum sanguine per totum corpus deferitur.

B Hanc immodicam excrementi uim, duplices pariunt causæ. Alteratrix facultas parum commode se habens, & ciborum uitium. Ac lædendæ quidem uirtutis, intemperies particularum est causa, ceu sæ- penumero est dictum. Ciborum uitium, cuique excremento respondet suum. Alij nanque magis melã cholica naturæ sunt, alij magis aquosæ, alij magis biliosæ, ueluti definitum in libris de ijs est. Sed & alte- ratrix potentia intemperies quæ ad calidius sit uersa, alias biliosum alias melancholicum efficit ex- crementum: quemadmodum autem utrunq; in alijs est traditum: ad frigidius uero mutata, uel pituito- sius, uel aquosius facit excrementum. Porro singula excrementa, propria symptomatis species comita- tur. Amaram quidem bilem cum in toto corpore redundat, regius uocatus morbus: cum unam quam- piam particulam obsidet, erysipelata & ulcerum serpenia. Nigram uero in toto quidem corpore, ele- phantia: in una quapiam particula, cancer. Pituitoso excremento in toto quidem corpore succedit hy- drops, leucophlegmatias dictus: cum in una infedit particula, tumor qui œdema græce dicitur: uo- cant ita, indolentem ac laxum tumorem. Ac serosa excrementa cum redundant, tum ascites uocatus: hydrops excipit, tum popularum in ijs animalis partibus, in quas perducta superflua sunt, prouentus. Atque ita quidem fit ubi quodq; excrementum syncerum redundat. Vbi autem & inter se, & cum san- guine miscentur, complures tam symptomatum, quàm morborum species existunt: de quibus hic plu- ribus disputare non est necesse, sed ad propositum redeundum. Naturalium actionum prima ac pro- pmodum omnium maxime necessaria nutritio est, quæ alteratricis actionis quædam est species. Est enim & concoctio quæ in uentre agitur, alteratio: non secus autem, & quæ in uenis: quibus accedit ea quæ in quaq; est particula: post quam quarta est, quam assimilationem uocant: nomine quidem a nu- tritione diffidens, re autem non diffidens. Frustratur autem & nutritio, cum uel profus non fit, uel in- tra iustum modum uitiosè fit: idq; uel culpa nutritiue uirtutis, quæ alteratricis est species, uel mate- riæ defectu uitiosè: defectu quidem in atrophiiis, quæq; ob defectum, quæq; ob priuationem nominã- tur: uitio uero, ut in elephantia & leucis, ceterisq; id genus. Accidit enim dum agglutinatur carnibus, nutrimentum, ubi pituitosior sanguis est, carnem quoque effici magis pituitosam. Neque enim idè est, carni esse, & pituitosæ carni esse: sicuti nec carni esse, & melancholicæ carni esse: nec biliosæ atque tem- peratæ esse, & a primis qualitatibus nominanti, humidiori, & sicciori, & calidiori, & frigidiori. Certiorẽ fidem sermoni nostro adhibebis, si animalium carnes, tum sanguine præditorum, tum exanguium æsti- mabis: ad hæc etiam reptilium, quæcunq; ueris tempore gigni cernuntur: maximeq; ex iis, quæcunq; uiridium herbarum colorem præferunt. Ceterum horum caro simillima ipsis herbis est: aliorum alba, & exanguis, ueluti locustæ & polypodis, atque aliorum alia quædam. Neque enim nominare facile est eorum differentias, adeo infinitæ multitudinis sunt. Ergo cum (sicuti diximus) caro longo tempore pi- tuitoso simul ac glutinoso sanguine nutritur, caro quidem adhuc manet, mutatur tamen eius forma, & in alteram speciem uertitur, fitq; media quædam inter sanguineam exanguemq; carnem. Vbi autem ta- lis est reddita, accidit ei, ut de cetero allatum sibi nutrimentum non magis uel tentet in rubram carnis speciem mutare, quàm polypodes & locustæ. Ita fit, ut tum alba, tum pituitosa tota quàm citissime euad- dat, cum nec ipsa possit nutrimentum ad ruborem uertere, & simul pituitosum illud affluat. Ergo qualè ab initio locusta carnem habet, seræq; omnes ostrea, talem ex transmutatione habent, qui leucis fœ- dantur. Ita enim carnis uitium nominant, a colore scilicet albo nomen imponentes: sicuti nigra & callo- sæ carni ab elephante nomen ferunt. Fit itaq; eodem quo leuca modo, melancholico nutrimento ad carnem longo tempore confluenta. Viriliginum autem generatio cum prædictis uitis similis est gene- ris. Nõ tamè sub iis tota caro uitiat, sed in summo corpore, ueluti squamæ quæpiã, uiriliginis infigitur: albæ quidè ex pituitoso, nigre ex melancholico succo exortæ. Quã magnã uero uim habeat nutrimentũ ad carnis mutationẽ, et ab Aristotele est traditum, ubi meminit regionũ, in quibus pecora, tam colore quàm ceteris differentiis sensibilibus mutatur atq; alteratur. Qui uero a nutrimento alterari nutriti inficiatur, (eius. n. quod uincitur esse nomẽ, nõ uincetur) hi de mutatione quæ in animalibus cernitur, quid recti dicat nõ habet: multoq; minus de ea quæ in stirpibus noratur: sed a rebus, quæ luculenter omnibus

apparent, quid dicant, incerti haerentesque redduntur. Si quidem quod de perfica plāta, quae ex Perfide in Aegyptum est translata, proditur, nemini est incognitum. Letalis siquidem in Perfide erat, in Aegyptum autē translata, id quod periculosum erat, mutauit. Veluti (arbitror) nec quod apud nos in uitibus apparet, quae cum loca mutant, diuersum afferunt uinum. De alijs uero stirpibus tradiderunt, qui de agricultura scripserunt: sicuti etiā de herbis, ij qui de his prodiderunt. Transportatae enim ex alijs in alia loca, saepe minus quam duorum stadiorum intervallo, multis modis alterantur. Conueniebat igitur, qui aut nutrimenti nomen, eius quod vincitur alteraturque, ac mutatur, duntaxat esse, non id modo scisse ac dixisse, sed etiam de leuce generatione differere tentasse. Quippe aut ipsa nutrita caro, eius morbi causa est, aut ipsum nutrimenti uitium. Sed si nutrimentum causa non est (ita enim uolunt) necesse est carnē dicant. Quid ergo patitur haec, quod nutrimentum sibi in totum non assimilatur? Fiet enim eo certe pacto natura uitij causa. At multo (arbitror) satius erat nutrimento causam imputare. Iam uero nec propterea quod nutriti opus sit, ut sibi nutrimentum assimilet, assimilari ac mutari nutrimenti sit passio: non potest idcirco quod patitur, uicissim aliquid, tamen si minimum in id quod agit facere: cum eius sententia maxime contrarium in disputatione de ijs non nos modo ostendimus, sed etiam ex philosophis ij qui omnium naturae affectuum, ac passionum grauissimi interpretes fuerunt. Apparet enim omnia tamen multo ijs quibus appropinquant sunt ualentiora, aliquid tamen ab ipsis sensibile manifestumque pati: & si non primo statim occurrit, at certe temporis processu. Iam ferrum acutissimum, mollissima secunda carne est hebetatum. Et durissimus lapis à guttula, longo tempore ictus, cauitatem contraxit. Quid uero in ijs quae mista sunt, fiat, omnes norunt. Siue enim in amphoram aquae feruentis, frigidae hemina iniicias, quod mistum ex ambobus est, non solum quod hemina uincatur, indicabit, sed etiam quod uincēs patiat. Siue contra heminam calidae, immittas in amphoram frigidae, uincetur quidem hemina, patietur tamen pusillum aliquid & amphora. Verum (ut supra quoque diximus) nec refellere hoc loco opinioniones institui, nec prolixus esse, sed quoad fieri potest maxima cum celeritate docere. Ergo leuce maximus quidem alteratricis uirtutis error est. Parui autem alij complures sunt, carne scilicet in humore, siccitate, frigore, & calore mutata. In trophia uero erit, id est non fruetur nutrimento pars, non solum alteratricis uirtutis imbecillitate, sed etiam attrahente uis infirma, aut excretrice immoderatus mota. Porro ad immodicum motum excretoria uis excitatur, (sicuti prius est dictum) quoties retentia uis uel ex multitudine excrementorum acrimoniae, uel ex propria imbecillitate laborat. Hoc enim casu, necesse est excernatur cum superuacaneo bonum, ueluti in lienterijs, dysenterijs, & choleris: cum ex imbecillitate expultricis necesse sit carnem & humidiorē esse, & magis excrementosam. Sed excrementa ipsa plura proueniunt alteratricis imbecillitate. Vbi igitur simul euenit, ut trahendi quidem uis multum succum attrahat, sed cum totum alteratrix uis conficere non ualeat, atque idcirco multa excrementa gignantur, expultrix autem uis id temporis & deterius & imbecillius, quam prius moueatur: necesse est ita excrementorum uim in carnibus acuari, atque interim pro excrementi tum specie, tum multitudine, alias aliam fieri carnem, modo quidem tumida, modo flatuosam, modo qualis hydropum: quippe etiam hyderos quem anasarca uocant, ex hoc est genere. Verū de talibus producendum amplius sermone non arbitror. Neque enim omnia in hoc libro recitare mebratim symptomata statui, sed in plurimis studiosos exercitare. Quare mihi ad alterum symptomatum genus, ijs qui in laesa consistit actione uicini, conuertit est tepestiuum. Ipsum igitur genus in multitudine & qualitate excretorum consistit. Incidit autem aut quod uirtus aliquo modo sit laesa, aut quod ex intempestiua uexatione aut uitioso motu excitata, aut propter instrumentum aliquod reclusum ruptum, aut erosum, sicuti sanguinis profusio. Nihil enim deterius ab hac coepisse, propterea quod genere ipso praeter naturam esse magna ex parte uidetur. Praeter enim eam quae mulieribus per uterum erumpit, cetera sanguinis [plusculae] uacuationes, toto genere praeter naturam sunt: illa uero sola multitudine. Ac ruptio quidem instrumentorum, uel ob plagas aliquas extrinsecus illatas fit, scilicet uel calcitrante pulsante uel aliquo, uel aliter quomodo uulnere ualenter homine. Accidit autem & ijs qui magno utuntur saltu, & qui ab alto in terram labuntur, & exclamare acuto, & magno, cum utique in eo omnia uocis instrumenta quammaxime tenduntur. Sane tensionis ratione rumpuntur, & quae ex saltu sunt laesa. Quae uero ex lapsu ab alto, plagarum generi adnumerantur. Quippe nihil interest ex lapidis ne casu contusa pars aliqua sit, an quae delabatur pars, uehementer in solum impingens contundatur. Atque haec quidem rumpendi uasis manifestae causae sunt, nec est earum quisquam ignarus. Aliae sunt quae ex corporis affectibus oriuntur, cum scilicet alicui per nares sanguis sponte profluit, aut cum aliquis sanguinem aut uomit, aut extussit, aut excreat, aut deorsum deijcit, aut mingit. Atque haec quidem toto genere praeter naturam sunt. Mulieribus autem (sicut dictum est) qui ex utero sanguis profluit, toto genere praeter naturam non est, sed quantitate duntaxat. Sane talia omnia tribus ex causis incidunt. Aut uirtute ipsa uas sanguinis recludente, ueluti in profusionibus, quibus sanguis per nares excernitur: aut sanguine ipso eius uas aliquo uitiose affecto. Ac sanguinem quidem uitiose affici dico, cum adeo uitiosi est succi, ut erodat ea quibus continetur: & cum ita est immodicus, ut intra uas suum non contineatur. Quippe id quoque quod sanguinis uas rumpat uel recludat, est fatis. Ipsorum uero uasorum uitium in immodica mollitia, & duritia, & tenuitate consistunt. Fiunt autem haec nonnullis quidem, etiam in utero statim uitiose formati: mollities uero non minus & ex immodica pro-

A proueniet humiditate, sicut durities ex siccitate, tenuitas ex atrophis. Ac quod molle quidem immodice est, frangi ob debilitatem magis est opportunum: quod uero admodum durum est, eo quod non potest amplius extendi: quod tenue est, amborum eiusmodi in uenis affectuum occasione, non solum a causis internis facile ad rumpendum est, sed etiam ab externis. Eroduntur autem non omnia pari modo. Quod enim durum est & crassum, non facile erosioni patet: similiter autem & recludi, ei quod imbecillum & molle & tenue est, in promptu est: ei quod firmum crassum & durum est, non promptum. Fit autem uasorum reclusio, tum ab alijs quae ipsorum corpora irritant, tum a multitudine quae ea recludi urgeat: interim uero & natura ipsa expellente ea quae contristant. Sicut qui sanguinis diapedesin, ceu quartum supra iam dicta genus nominent. Est autem minime quartum, sed uel exiguorum uasorum apertio, uel feri non sanguinis excernendi species. Qua maxime ratione, ex icinoris renunq; debilitate meijtur, ac saepe deorsum deijcitur sanguinolentum serum. De ijs autem paulo post dicetur, sed si prius de ijs quae uomuntur egerimus. Quippe expelluntur haec quoque alias ceu immodica, ac uentriculo graua: quale alimenti aliquando est copia: alias uero ceu infestantia mordentia, ueluti cum uel acidum, uel hidrosolum, uel amarum & acre ex concoctionis defectu assumptum nutrimentum est reddendum. Sane huius generis sunt & biliosa, & pituitosa, & serosa excrementa, cum quae in ipso sunt genita, tum quae in eum ex toto corporis habitu confluere sunt apta. Est autem super haec & tertium genus causerum, quae uentriculum ad uomitionem lacessunt, licet nec degrauent, nec mordeant, sed a natura duntaxat sint alienae. Porro omnium quae a natura sint aliena communis terminus est, si quauis concocta sint, nutrire tamen non ualent. Hac arbitror ratione, non solum acida pituita, & falsa, sed etiam dulcis in uentre collecta, non raro cum ad uomitum prouocat. Sed & sanguis ipse qui in uentriculum est effusus, eo pacto ipsum uomere cogit. Iam infra quoque deijcit aliquando citius, aliquando serius, praeterea plus uel minus, item raro uel saepe, uel utile nutrimentum, uel corruptum, uel quod in eum superne confluit, uel quod in eo est genitum. Verum expulsio quae conuictum praenit tempus, uel degrauiato uentre, ueluti a multo assumpto: uel demorso & compuncto, ueluti a mordacibus: uel tanquam alienum ac minime familiare amoliente, incidit. Non oblitus scilicet nobis cum multum assumptum dicimus, triplicem id habere generationem, uel propterea quod uirtus imbecillior sit quam prius, uel quod supra mediocritatem sit quod assumptum est, uel utriusque occasione. Extra uero iam dicta celerē efficit deiectionē, humidiorū quoque ac magis glutinosorum ciborum sumptio, utpote promptius delabentium: maxime si qui eos sumperunt: postea lente inambulent, ita ut ij quidem concutiantur, nequaquam autem ante tempus digerantur. Accidit nanque tale aliquid in concussione. Cū enim complures intestinorum sint orbes spirantes, necesse profecto est in singulis eorum a superioribus in inferiora cibos deferri. De cetero uero grauitate quidem deorsum ferri non possunt. Sed qui in spiris sunt impacti, intestinorum ipsorum opera protruduntur: ipsis nimirum repellendi quae se contristant uim insitam habentibus. Humidi uero & glutinosi cibi, siue grauitate ipsa & corporis concussione, siue intestinorum opera propellantur, facilius permeant. Ac celeris quidem transitus dictae causae sunt. Serius autem quam ex consuetudine excernimus uenter, uel propter intestinorum imbecillitatem, uel hebetem eorum sensum, uel ob ciborum paucitatem qualitatem. Quippe quae imbecilla sunt, propellere non ualent. Quae hebetis sunt sensus, non satis quae contristant, sentiunt. At uero expulsio sanatio ijs erat tristis sensus. Iam ipsorum quoque ciborum, qui iusto sunt pauciores, parum habent excrementi: itaque nec similiter grauant: crassi uero & acerbi omnes tardi sunt transitus, contra scilicet quam glutinosi & humidi. Non solum autem propter intestinorum imbecillitatem, sed etiam musculorum abdominis, deiectio tardatur: potissimum cum excrementa duriora euaserunt. Tum enim non musculorum modo qui sunt in abdomine, sed etiam qui in thorace habentur ualenti actione est opus. At minor sit quam pro multitudinis comestorum ratione deiectio cum ex ijs in corpus plus est digestum. Contra plus quam pro sumptorum portione deijcitur, alias ob digestionis defectum, alias confluentibus superne aliquibus in ea quae circa uentrem sunt loca. Assiduae autem excretiones fiunt, uel propter imbecillitatem, uel demorsum. Atque imbecillitas quidem instrumentorum quae in uentre sunt, ceu saepe iam dictum est, ab intemperie prouenit. Demorsus autem ab ijs fit, quae in ipsis continentur. Porro quatuor causae generationis sunt eorum, quae sic mordent, uel medicamentosa quae piam vis, eaq; uel una cum cibus, uel per seipsam assumpta, uel etiam ciborum corruptele. Praeterea tum quae ex corpore in uentrem mordacia excrementa confluunt, tum quae in ipso, id genus gignantur, ueluti in dysenterijs, quae ex ulceribus quae cacoethe uocant, cientur. Licet autem addas & quintam eiusmodi symptomatum causam, corporum nimium sensum: siue is a natura contigit, siue ab exulceratione. Diuersus assiduae excretionis modus est, ab omnibus iam dictis genere causae euarians, qui ex relaxandis musculis iis, qui fini intestinorum superiacent, contingit. Quippe inuoluntaria in iis est excretio, proptereaque tum intempestiua, tum inordinata, tum assidua. Verum de deiectionibus sunt haec satis. De halituosis spiritibus quos etiam *phlegmas*, i. s. status uocant, deinceps dicendum. Est autem & horum generatio in ipsis quae in uentre sunt locis, succis quibusdam pituitosis, uel cibus inibi a deficiente calore, in halitum solutis. Quippe sincera frigiditas prorsus halitum non facit: quod scilicet ea omnino nec attenuat, nec conficit, nec alimentum dissoluit. Fortis autem calor cum longo intervallo nutrimentum superet, amplius quam pro halitu generando, id attenuat: nisi tamen flatuosum sit

A. l. 3. f. 16. t. 1. c. 2. p. 615. F

† Alias non amplius manere possunt.

Nō est in g. cis.

A. l. 3. f. 1. T. c. 4. p. 490. I

A. ibidem.

natura. Tunc enim gignitur quidem spiritus quispiam turbidus, ac (ut sic dicam) nebulosus, ceterum exiguus & brevis temporis, ita ut uno uel altero ructu uacuetur. At calor qui in cibos agit quidem, ceterum diminute, is eos quodam modo dissoluit, non tamen prorsus conficit. Atque hinc oritur flatuosus spiritus. Vnoque uerbo tanquam extrinsecus, tum frigidissimi status sunt fereni, solentque maxime flante borea fieri, tum calidissimi qui aestatis tempore incidunt, ambientem aera purum reddunt, qui uero inter hos sunt, nebulam gignunt: itidem in animalibus, neque in caloris summa imbecillitate, nec cum idem nimium est uehemens, sed in ijs qui inter hos sunt statibus, flatuosum excrementum gignitur. Atque id cum per os excernitur, ructum creat: cum per sedem, sonorum silentem uel flatum: cum uero neutra parte emittitur, symptoma creat, quod empuematosis hoc est inflatio uocatur, uentre scilicet impotente ad excrementosum nebulosumque; excernendum spiritum. Iam intestinorum alias aliae partes, ubi talis spiritus in ijs constitit, ac mouetur, multiformes adunt sonitus, quorum non omnes nomina sunt sortiti: ceterum prudenti uiro quale quantumque; excrementum sit, ac quo maxime loco uoluerit, indicare possunt. Quippe si eiusmodi spiritus acutum & tenue sonet, per uacuum & prorsus angustum intestinum defertur: estque tum prior, tum magis aereus. Flatuosior autem redditus, similiter quidem sonum edidit exiguum cum in tenuibus intestinis uoluitur: ceterum nec prorsus acutum, nec tenue. Atque eiusmodi soni omnes in ijs quae circa ieiunum sunt locis maxime consistunt. In quantum autem hinc ad alia tenuia intestina descendunt, in tantum minus sunt sonori. Alij uero bombos imitantur, his qui ex latissimis tibijs eduntur similes. Quo genere utuntur qui tymbauli. i. siticines uocantur. Haec namque materiei ex qua fiunt culpa, pure sonare nequeunt: propter autem spiritus uiae latitudinem, grauius sonant. Tales autem omnes in crassis fiunt intestinis, cum excrementorum sunt uacua. Quod si humor quispiam in his continetur, accedit hinc quoque bombo forma quaedam, uocaturque: omnes eiusmodi sonum uel potius murmur graece borborygmon, qui humidum excrementum excernendum denuntiat. Quippe species ipsa soni, haec ambo praesignat utique; quod ab natura fit mota, expulsionem denuntians: quod autem cum eiusmodi murmure siue borborygmo, etiam humidam. Eorum praeterea flatuum qui extra feruntur sonitus, alius quidem borborygmo cuiuspiam similis est, expulsionem iam iam futuram indicans: alius purus atque (ut sic dicam) sonorus & aereus, qui uel uacuum esse intestinum docet, uel etiam praedurum quodpiam superius alicubi habere excrementum: iam alius quidam horum est medius, ueluti; bombosus, ex medio quodam praedictorum affectu proueniens. Tenuis autem sonitus, qui graecis ueluti tryfimos siue trifimos dicitur, (quippe utroque modo appellant, alij per y, alij per i, scribentes) ex instrumentorum angustia, simul & flatuoso spiritu, cum exiguo humore efficitur. Quoniam autem & de ijs (ut ad rem propositam) satis est dictum, ad ea quae superne in uentrem confluunt redeamus. Quippe dictum est, haec quoque tum humiditatis deiectionum, tum multitudinis esse causas. Defertur igitur superne in uentrem saepenumero excrementum, naturae expellentis robore: aliquando uero propter imbecillitatem, nec quod utile est portare ualentis. Ac excernitur quidem quod superuacuum est, tum in crisiibus, tum uero sanitatis nonnunquam tempore, ueluti mulieribus omni mense. Tales uero etiam sanguineas dysenterias. Hippocrates in ijs accidere dixit, quibus artuum aliquis esset praecisus. Nos autem uidimus, non in iis modo, sed etiam alijs quibusdam certo circuitu repentes. Omnes autem quos ita uacuat uidi, ab exercitata prius uita, ad omnino desidiosam se transferant. Atque hoc quidem excrementum, quantitate sola est alienum: Alterum uero qualitate, in acutis morbis decretorie plerumque; excretum: aliquando uero tabescentiae siue colliquationis more. Inter hoc autem omnino inutile malumque; excrementum & illud iam dictum bonum, aliud tertium excrementi genus est, quale est in uentre cibus semicoctus. Excernitur id maxime in hepaticis affectibus. Vocant ita in quibus morbus ipse iecoris est imbecillitas, licet nulla sit phlegmone adiuncta. Hoc enim casu, similis passio uisceri incidit, ijs quae imbecillo uentri accidunt: quando is quidem appetit, sed cibos quos sibi admouet cum non concoquat, iisdem grauatur, & semicoctos ad intestina demittit. Atque is quidem ad uomitum quoque concitatur. Iecur autem cum uomitionis aliquid ad portionem patitur, quod nutrimentum per uasa quae in mesenterio sunt, ueluti per ora quaedam attraxit, rursum per eadem semicoctum ablegat. Est autem eiusmodi excretionis species, (ueluti etiam ea assimilantur qui ante nos fuere,) maxime similis carniui loturae. Praestiterit autem fortasse non ita solum dixisse, sed quo exactius sit exemplum cruentarum atque recenter enectarum, sermoni addidisse. Quinetiam si quis quod ita excretum est, aquosum sanguinem nominet, sic quoque mihi illud clare interpretari uidentur. Atque hoc quidem symptoma semicoctorum ciborum uomitioni ad portionem se habet. Alterum quod dicturus sum, humidae deiectioni uentris est ad simile, quae ad exactam quidem perducta est concoctionem, non tamen digestionem est consecuta. Nam sicuti hanc quoque uenter omnino ab ipsa grauatus, excernere cupit, sic iecur ubi affatim digesti in ipsum nutrimenti fructum coepit, non patitur id amplius apud se morari. Cum ergo id recta progredi quauis ex causa nequeat, necesse est retro ad uentrem recurrat. Apparetque; is qui tum excernitur sanguis, & nigrior quam pro natura & splendens, utpote ex sanguine & nigra bili commixtus. Quippe sanguis ipse per se, cum ex frigore fit niger, adeo nullum splendorem acquirit, ut etiam quem ab initio habuit, amittat. Nigra uero bilis, etiam sanguine ipso splendidior est: sicuti etiam bitumen, quod ex mari mortuo affertur, iudaicum id appellant. Non enim cum perfrigeratum sanguis, nigram bilem creat, sed cum supra

A.1.3. f. 13. t. 4. c. 1. p. 556. E

A.1.16. t. 3. c. 4. p. 634. E

† Graece cod. ipsi habet. διότι μὲν ἐπι- μὲν νομίζουσι γινώσκουσι τὴν φύσιν. ut Linaccer & ceteri interpretes uerterunt, forte tamē legendum esset ἐπιμινομένην, γινώσκουσι τὴν φύσιν. i. uique quod flatui moto superueniat.

A.1.3. f. 10. t. 3. c. 4. p. 490. B

A.1.3. f. 16. t. 1. c. 3. p. 6. 19. B

* ὄγκον. i. tumorē.

* ὀδύνη. i. tumorē.

† ὄγκον τὸν ὄγκον, Copus, molem porri gunt: Linaccer uideat legisse ὄγκον τὸ ὄγκον. ut quidam & cod. antiqui habent.

A supra modum est coctus, ideoque etiam splendorem suum tuetur. Non enim sicuti concretus sanguis, qui graece thrombus dicitur, sanguine fit perfrigerato, sic etiam nigra bilis generatur. Immo contra omnino ex immodice cocto & feruente, ueluti cinis quidam nigra bilis efficitur: frigida quidem, eo quod terrea: caloris autem particeps, sicuti cinis & acetum. Deuenit autem ad dictum statum qui ex uentre in iecur digestus est succus, cuius propterea quod ulterius in corpus non digeritur, inibi diutius moratur. Nominatur autem talis excretionis species, a nonnullis dysenteria. Quippe & mordentur non raro, perinde ac dysenterici, ceu (arbitror) flaua bili in percoquendo sanguine acri illis reddita. Ac uocet quidem quisque; prout uolet. Ceterum differentiae sanguinolentae excretionis quatuor in uniuersum sunt, quatuor succedentes affectibus. Una quidem ipsius sanguinis in ijs quibus artuum aliquis est abscissus, uel qui exercitatione dimiserunt, per circuitum repetens; altera cum ex imbecillitate iecoris aquosus sanguis deijcitur, quem utique loturae carnis assimilant: tertia quae mox est dicta, melancholici splendentisque; sanguinis. At haec quidem tres ut multum simul excernatur efficitur. In quarta & minutim & exiguo tempore expulsio facta uisitur, alias quidem ueri sanguinis, alias concreti. In hac & puris non raro exiguum aliquid excernitur, etiam ulcerum crustulae quae graece ephelcides dicuntur: praeterea membranosa quaedam corpora, quae intestinorum ipsorum sunt particulae: sed & steruus super his collectum saepenumero excernitur, sanguinis in se guttas habens. Affectus uero quibus tres primae superueniunt, paulo ante sunt dicti. Quartae autem de qua modo egimus, intestinorum exulceratio est affectus: quae etiam solam nonnulli dysenteriam nominandam censent. Sed (quod saepe dixi) quo nulla res omitatur, magna sollicitudo est habenda, de nominibus minime curandum. Est autem ex eodem quo iam dicta dysenteria genere, & qui tinesmos dicitur, cum ulcus in recto intestino est factum. Is cetera quidem symptomata in fert dysenteriae similia, nixus tamen multo uehementiores. Urinarum autem tum suppressio, tum mala uacuatio; uentris excrementorum retentioni & aliena a natura expulsionem, ad portionem se habent. Retinentur enim uesica uel excernere non valente, uel eius collo occluso. Atque hi quidem duo uesicae morbi, unum commune symptoma ischurian habent: detinentur enim in ea urinae. Vocat autem uulgus medicorum non secus ischurian, quanquam ischuria non sit, illud quoque symptoma, cum urina in uesicam omnino non uenit, perdit scilicet renum actione. Et permittendi profecto sunt ita nominare, cum propriae appellationem non habeant: non tamen latere debebit, amborum affectuum differentia. Siquidem alter eorum est cum uesica quidem est plena, sed nihil excernitur: alter cum uacua est, nihil omnino in se continens. Sub tali enim affectu in quo plena est uesica, uel occlusum est eius os, uel si hoc se pro lege naturae habet, ipsa ad sese constringendam, ac lotium foras extrudendum, est imbecilla. Et collum quidem eius clauditur, uel propter obstructionem, uel conuientiam. Fit autem obstructio tum ex concreto sanguine tum crasso pure, tum calculo, tum tofo: praeterea cum in eius meatu ueluti germen aliquod est enatum, qualia in reliquis omnibus quae extrinsecus sunt, aure, naribus, pudendo, sede fieri uidentur. Conuientia uero, aut propter collectionem aliquam quae praeter naturam sit, aut propter nimiam siccitatem accidit: ac collectio quidem ex phlegmone, scirrho, atque alijs tumoribus fit: praeterea quaecumque uesicae collum attollentia, in internum meatum [urina] refundunt: siccitas autem in ardentissimis ac siccissimis febribus, in quibus laborant saepenumero nec loqui posse uidemus, nisi os madefecerit. Imbecillitatis uesicae causas, nihil opus est recensere, ut quae expositae iam mihi in multis particulis sint, siue ijs ut similibus, siue ut instrumentalibus incidunt. Magis autem quiddam accidere in uesica uidetur, cum immodice est repleta. Quod fieri non nos modo uidimus, sed etiam ab alijs audiimus. Quippe ubi impleta fuit, cum scilicet surgere e conuiuio ac meiere quosdam puderet, actionem eius destrui contigit: nec urinam qui ita sunt affecti, quamuis magnopere connixi, excernere praeterea potuerunt. Sane uidetur & in uentre & in intestinis tale aliquid accidere, sed uulgus latere: in his quidem qui in uentriculo id patiuntur, quod celeriter suffocentur: in illis uero qui excrementum in omnibus intestinis collegerunt, quod medici propter sequentia symptomata, ad alia conuertantur. Quippe in solis purgationibus, quae in intestina sunt dimissae atque; inibi manent, tale quid incidere solet. Atque hi quidem affectus, ueluti priuationem inferunt excernendae urinae. Qui uero eiusdem sunt cum illis generis, magnitudine tamen deficiunt, ueluti oblaesas torpentisque; actiones edunt. Alijs autem affectibus, tertium symptomatum genus, quod in prauis uacuationibus consistit, superuenire solet. Sunt autem multae eius species. Prima quidem quae stranguria dicitur, quae ex imbecillitate uesicae uel urinae acrimonia incidit. Secunda fluxionibus iis, quae uentriculo accidunt, est similis: de qua melius est semel hoc loco dicamus. Fit igitur quaedam ueluti anastoechiosis (quasi dicas reelementatio) colliquatio, siue resolutio, siue dissolutio, siue quomocumque aliter nominare libet, aliquando totius corporis, aliquando succorum qui in uenis sunt duntaxat. Quod autem ex ea colliquatione prouenit, alias ad uentrem confluit, alias ad urinas, alias ad sudores pellitur. Ac succis quidem qui in uenis habentur, in serosam saniem solutis, renes qui ad excrementum id trahendum sunt nati, potissimum cum sani sunt, serum quidem a uenis expurgant, fluxionem autem ad uesicam assidue mittunt. Vbi autem renes trahere non ualent, aut uene eiusmodi serum in uentrem mittunt, aut toti id corpori patientes, subitaneos hydropum status inducunt. Si autem quod liquatum est, crassum sit, qualeque; renes trahere non possunt, totum in uentre necessario cohaerit. Carnoso uero genere ita colliquato, tum uenter fluxionem eius recipit, ubi scilicet ea est crassior,

rum sudores multi superueniunt, ubi in halitus est resoluta. Atq; hæc quidem, tum de carnis colliquatione, tum sanguinis, ad præsens fatis. Reliquorum urinæ symptomatum quædam uel uesica uel renum, affectum quendam indicant: de quibus Hippocrates in aphorismis prodidit. Quædam quousq; concoctionis cruditate uel sanguis peruenerit, docent: scriptum autem de ijs est in prælagiis. Quare nunc ad sudores transeundi est tempus, de quibus hæc tenus saltem dictum est, quod interim resoluta corporis habitu proueniunt, uocaturq; ea passio syncope. Cui contrarius status est, qui in decretorijs incidit sudoribus, qui utiq; robustam naturam indicant, non autem resolutam. Atq; eiusmodi quidem sudores, corpus expurgant. Similes ijs sunt quos mediocres exercitationes & balneæ & calor æstiuus excitant. In immodicis uerò exercitijs, etiam boni aliqui effluit. Porrò odorem coloremq; excremento quod uacuatur similem habent. Copia uerò eorum uel propter corporis raritatem, uel propter excrementi abundantiam, uel propter eius quod uacuatur tenuitatem prouenit: sicut propter horum contraria, morari quoq; solent, cum scilicet uel quod superfluit, exiguum est, uel glutinosum, uel crassum, uel meatus sunt angusti. Accidit autem id, uel obstructionis occasione, uel conuientia. Ac obstruuntur quidem crasis & glutinosi succis. Conuient siue contrahunt ora propter atrophiam, uel perfrigerationem, uel mollitiem. Incidit autem & ex imbecillitate uirtutis in carne, sudoris tum retentio, tum expulsio, ueluti etiam reliquorum excrementorum. Quippe tam uesica quam uentriculus contenta in se superflua aliquando magis tolerant, eaq; expellere cunctantur: sæpe contra, ne uel minimum sustinent, sed grauantur, statimq; abiiciunt.

Quæ ætates & natura, ad quas actiones promptiores, aut ineptiores existant. Cap. 3.

Sane sermonem hunc omnium particularum communem ultimo loco simul tractandum reseruauimus. Quippe parum rationale uidetur esse, ut corpore aliquo læso, non etiam ex equo omnes eius uirtutes simul lædantur, sed aliæ magis, aliæ minus, aliæ illæ in totum sint. Atque illud quidem nemine latet, non posse nisi læsa in aliquo cuiusq; substantia, actionem eius impediri. Sepenumero uerò quæcunque particula operante, alias alia eius læditur actio. Non enim similem statum requirit ad alterandam actionem, atq; ad negotiorum functionem. Siquidem fit omnium quæ sibi appropinquant alteratio corporibus ipsis minime desiderantibus, aut locum ex loco mutare, aut aliquid apprehendere, aut tenere, aut alicui inniti. At quæ uel tractura quid sunt, uel tentura, uel repulsura, eorum actionem cum loci mutatione necesse est fieri. Qua ratione quod ita est molle, ut tum humidum sit, tum fluxile, tum nulli innitens, id nec trahendi similiter, nec tenendi, nec repellendi uim habet. In omni namq; eiusmodi opere, innixum tensionemq; esse in operante oportet. At uero alterare propinquantia potest, uel quod humidissimum est, maxime, si etiam calidum est. Nulla enim actiuarum qualitatibus adeo breui, quod appropinquat alterare uidetur, ac calor. Vnde palam est corpus quod humidissimum calidissimumq; sit, celerime alteraturum, id est, tum concocturum proprium nutrimentum, tum sibi ipsi assimilaturum esse. Quod uero durum hæc tenus est, ut nec difficile ad flectendum sit, & firmiter innitatur, id & trahere ualenter quicquid uoluerit potest, & uiolenter trudere, & fortiter tenere. Neq; enim, sicuti quæ ualde sunt mollia, remittitur cum id tendis, nec si uehementer tenditur, frangi periclitatur, & quæ semel apprehenderit, ea complectens tenet: nullo nec quod propter duritiam difficulter flectitur, nec quod propter humorem est molle, sic agere ualente. Illa enim non firmiter complectuntur, hæc imbecillo complexu usq; quæ apprehenderunt facile elabi sinunt. Atque optime quidem nutriuntur calida humidaq; corpora, quippe quæ nutrimentum non solum alterant celerime, sed etiam in se recipiunt, & agglutinant, & assimilant: pessime uero frigida & sicca, ut quæ neque alterare, neq; in seipsa recipere, neque agglutinare, neque assimilare queant. Ac quod celerime alteret quod calidissimum est, prius est dictum: hoc uero erat concoctio. Quod uero id quod humidissimum mollissimumque est, prompte quod alteratum est in se recipiat, admonendum potius est quam probandum: sicuti contra quod siccum durumque est, nihil in se ingredi sinit, prius quam ipsum ex aliqua parte diuisum sit ac uelut exulceratum. Si quidem & quod facilius ac celerius tum agglutinatur, tum coalescunt quæ humidiora sunt: quæ uero duriora, partim nunquam, partim uix, nemo est qui ignorat. Ut enim æs, ferrum, aurum, & lapidem omittamus, atque de plumbo agamus, experimur id cum altero plumbo omnino non coalescere, nisi prius excaletum liquetur. Et pulsionibus quidem & alijs quibus calidior & humidior est corporis temperies, optima tum concoctio est, tum appositio, tum agglutinatio, tum nutritio. Quippe concoctio & nutritio alterationes sunt. Appositio uero fit, cum id quod nutritur halitus speciem in se recipit. Affixio uero alimenti, agglutinatio quædam eius unitioque est. Post quæ omnia, non leue commodum ad assimilationem est, nutriti corporis humiditas: cum ei quod nutrit, in consistentia est similis. Digestionis uero instrumenta in pueris etsi admodum ualida ad agendum non sunt, tamen operi suo sufficiunt, nec ei in ullo sunt imparia: Quippe mediocrem iam duritiam ac robur uenæ eorum habent. Retentrix autem uis, imbecillior uis est. Atque idcirco sine ab aliquo pondere prematur, siue alias infestetur, celerius ab opere desistit. Similiter his uirtutibus etiam exercitum mediocrem in imbecillitate habent. Quanquam uidetur saltem retentrix uis non solum pueris, sed etiam ceteris omnibus expultrice esse imbecillior, etiam si similiter se habent, propter scilicet diurnitatem actionis. Maxime enim diurna est retentrix

E A. l. 3. f. 11. 7. c. c. 6. p. 516. F

*Licet cod. greci impressi & aliqui ex manu scriptis habeant ἐὸν ὄν ἔχον, pleriq; tamen legunt ut Linacæ. & ita uidentur legēdū: ut atrophia sit quod super dicitur, siccitas.

*practicam.

A. l. 1. f. 1. d. 6. c. 3. p. 49. A.

A. ibidem. C. A. uel uirtutis actio, ut quæ illud pro opere suo habeat, ut teneat. Expultrix uero uis, breuē habet actionem: utpote quæ una impressione quod contristat retrudere abijcereq; potest. Tanquam igitur in ijs quæ extrinsecus sunt, idē homo qui ad deiciendū onus maxime sufficit, portare id tota die nō ualet: sic etiam internis instrumentis retrudere quod contristat, quam diu retinere est promptius. Pueri namq; (de quibus sermo est) alteratricem quidē facultatem ualentiorē habent, ijs qui in ætate sunt vigore: trahēdi uero uim iisdem imbecilliorē, non tamen non ad suum usum sufficientē: reliquas uero duas facultates imbeciliores possident, quæ ætate florēt. Ceterū nō perinde patet expultricis imbecillitas, propter actionis suæ breuitatem. Quippe tū uomunt, tum deiciūt sapius quam ætate florentes, nō utiq; ob expultricis robur, sed retentricis debilitatē. At in uentris concoctione, quæ humida & mollia sunt, similiter ac ætate florentes concoquūt: quæ uero dura, deterius. Pueris enim halituosior est calor: florētibus ætate, siciora. Ergo si concoctio alteratio est in propria nutritorū qualitatē: pueris quidē quæ molliora humidioraq; edulia sunt, magis cōgruunt: florentibus ætate, quæ duriora sunt. Sanē senū corpus ad omnem ferme actionē male cōparatū est, quippe & multo siccius q̄ eorū qui ætate florēt, & ijs solis est frigidū. Neq; igit̄ cōmode concoquūt, caloris defectu: neq; nutriūtur, propter tū siccitatē, tū alteratricis facultatis imbecillitatē. Digestio illis insuper ueluti à iam torpētibus præ frigore instrumentis, & tarda, & imbecilla fit. Expulsiones præterea quæ quidē breuis tēporis sunt, facultatis eorū imbecillitatē non detegunt: quæ diuturniores sunt, male obeuntur. Porrò ad agibilia* molitiones siccius calidioribus instrumentum magis est idoneū: humidū & frigidum magis imbecillū: horum in medio duæ reliquæ cōiugationes sunt. Atq; in ætatibus quidē humidū & frigidum corpus non inuenias: senū enim corpus frigidū esse & siccum est monstratū. In malis autē tēperamētis, quæq; ex natura propria cuiusq; sunt, quæq; in acquisitis affectibus fiūt, inuenias. Sicut uerbi gratia phrenitis quidē calidus & siccus est morbus: ideoq; in actionibus uolūtarijs maximū habet robur. Lethargus autē imbecillus, ut qui particularum humiditate copiosa frigidaq; imbuat. Tale quippiā est & hydropū genus, maximeq; ex ijs leucophlegmatia & anasarca. Vbiq; autē frigidum siue cum siccitate coniunctū sit, siue cum humiditate, tum imbecillius est, tum torporiferū. Ad eundem modum retentrix uirtutes quæ naturales sunt, in siccoribus & calidioribus instrumentis ualidiores sunt: in humidioribus & frigidioribus, siue à primo natali alicui siue alias cōtingerint, imbecilliores. Attendēda tamē est in quaq; particula magnitudo excessus: sicut uerbi gratia, nerui & tendones & musculi & ligamenta quāto sunt siccora, tāto sunt ualentiora est necesse: si tamē intra illum excessum, sub quo & difficile flexibilia fiant propter duritiam, & ueluti friabilia propter siccitatē: quippe ita conuulsionibus tentantur. Rursus naturalia instrumenta, quanto sunt humidiora, tanto sunt ad nutriendum magis idonea, etiam si subhumida in ultima temperie sint: ad cōcoctiones uero, nec se ipsis meliora, nec ijs quæ siccora sunt: modo similiter sint calida: nisi scilicet sicco & squalenti instrumento, siccum nutrimentum humore largo non admisto dederis. Ad digestionem uero & expulsionem, ualde dura corpora sunt inepta. Quippe cum difficilior, tum dilatentur, tum contrahantur, quorum altero tractus fit, altero expulsio. Quo uero ad paucos dirigat quis scopos, in summis rem totam distinguam. Cælor adausus ualentius alterat, modo tamen non eo incrementi perueniat, ut iam colliquet: tum nāque ad omnia est inutilis. Frigus uero nulli functioni est ex usu. Siccitas ad robur & nixum cōducit, si tamen adhuc nec difficile mobilia nec frangibilia facit. Humiditas ad nutritionem maxime est accommodata, ad alias autem functiones maxime contraria, auctione tamen excepta, ad quam magis utique quàm ad nutritionem est idonea: debentibus nimirum quæ probe sunt augenda, facillime tum tendi tum perflari undique.

De causis reliquorum symptomatum, quæ in excrementis consistunt.

Cap. 4.

D. A. licebat hoc loci iam opus finire, cū sicut antea diximus, nō quo omnia particularim persequeremur, in multis exēplis multas symptomatum species & genera examinarim, sed quo studiosos exercitatos redderem. Ceterum permittente id libri adhuc magnitudine, dicemus aliquid & de ijs quæ prætermisimus. Siue namque ex naribus, siue auribus, siue palato, siue oculis, siue faucibus, siue uerero, siue ex reliquorum quouis excernatur quid, tum quantitas eius attendenda est, tum qualitas: itemq; excernendi eius modus, atque id ad iam dictas causas reducendum. Quippe omnia symptomata ex intemperie simularum & instrumentorū morbis, præterea materiæ ipsius tum qualitate, tum quantitate prouenire deprehendens. Verbi gratia. Catarrhi & coryza causa est cerebrum, cum perfrigeratum quidem est ceu simularis pars, in intemperiem uersum, aut cum æstuat: ceu instrumentalis, impletum. Ergo qualis in uentre diarrhoea passio ex mala concoctione fit, tale est in cerebro prædictorum utrunque: Catarrhum scilicet nominantibus nobis, cum quod superuacaneum est in os diffluit: coryzam, cum in nares. Branchos autem siue raucitas, catarrhis superuenit, faucibus scilicet humore imbutis. Quod si in gargarionem fluxio procumbit, aut quam ex similitudine Græci staphylen, id est acinum uocant, in ea gignit, aut alias eam in tumore attollit: At si in glandulas quæ sibi ex aduerso in oris termino iacent, antiadas: si autem in ea quæ ijs proxima sunt, paristhinia. Defertur capitis fluxio & in uentriculum, & in asperam arteriam, utrunque magnopere lædens. Ceterum eiusmodi fluxionum incommoda, tum alij ante nos diligentius exposuerunt;

SECUNDA CLASSIS.

D 4 tum

tum nos prolixius in medendi libris de iisdem scribemus. De ijs uero quæ ex pulmone & pectore reijciuntur, in libris de crisi bus iam egimus. Sed nec eorum quæ ad mensium retentionem, aut indebitam omnium quæ ab utero manant expulsionem pertinent, etiam difficile est causas inuenire, si quis ad similes dirigat scopos. Nam aut uteri corpus cum densum durumque fuerit, retentionis causa erit, tale scilicet a natura conditum, ut omnino nunquam purgetur, nisi quis ipsum medicamentis longoque tempore ad meliorem habitum transferat: aut certo tempore sub illo affectu quicumque semper uteros occupauerit: etiam uenarum angustia statim a principio congignitur, ubi scilicet hac parte foemina male est formata. Ad huius affectus portionem & compressio se habet quæ ex ijs quæ circumiacent uasis fit, cum uidelicet corpus immodice gliscit. Vteri uero intemperies, tum natura, tum sub affectibus quibusdam oritur, æque ut densitas. Incidet sane aliquando & ipsius materiam occasione, mensuræ consuetudinis retentio: quoties quod uacuatur, uel crassum est, uel glutinosum. Quinetiam si ipse menstruus sanguis sine uitio est, ceterum obstructio quæpiam in uasis quæ ad uterum pertinent, ab huiusmodi humoribus prius est facta, sic quoque retinebitur menstruum. Sed & totius corporis culpa, aliquando prorsus non purgabitur foemina, aliquando parcius, aut liberalius, aliquando malum uacuabit. Et prorsus quidem non purgabitur, tum propter plura exercitia, tum propter tenuem uictus rationem, tum propter succorum ad alias particulas inclinationem. Iam propter hæc ipsa, cum mediocria sunt, minus quam pro naturæ debito purgabitur. Sicut propter longam desidiam, & uictum liberaliorem, plus iusto uacuabitur. Sed & mala expurgabuntur, propter uteri rheumata. uocatur autem id symptoma, fluxio muliebris, expurgato scilicet per eam particulam toto corpore. Est autem perpetuo quod euacuatur, tale specie, quale est quod in animali redundat: aliud rubrum, sanguinis sanguinis: aliud album, a pituita: aliud pallidum, aliud biliosum. Est autem & præter hæc eorum quæ ab utero fluunt uacuatio mala, propter affectum aliquem, qui in ipso sit exortus. Est præter eas quæ prædictæ sunt, & talis mensium moratio, in qua nec ex sanguinis defectu, ueluti post plurimas exercitationes & tenuem uictum accidere est dictum: nec propter affectum qui in ipso ortus sit utero, purgationes uteri sistuntur: sed aliquando etiam sanguine propter robur in alias particulas delato. Verum (ut mox dixi) nihil arbitror difficile quisquis hos commentarios perlegit, cum iam in multis sit exercitatus, ipsum quoque talia inuenire. Quippe quod & propter uteri proprios morbos, tum qui in processibus eius sunt & lateralibus consistunt, (ceræas Græci uocant) tum qui in collo, tum etiam qui in toto eius tergo, aliquando quidem uel plura quam prius uel pauciora ueniant menstrua: aliquando autem prorsus non ueniant, uel mala ueniant, neminem arbitror latet: etiam Atretis foeminarum, id est quarum natura qualibet ex causa peruia non est, in sermonis nostri diuisione sub hoc alicubi genere inuentis. G. Similiter autem & qui priapismus uocatur, tumescencia & inflatio inuoluntaria est marium pudendi, symptoma scilicet a flatuoso spiritu natum. Quinetiam gonorrhœæ quæ absque tensione pudendi sunt, ex imbecillitate retentricis seminalium uasorum uirtutis fiunt. Tenso uero quodammodo pudendo, quasi cum conuulsioni quid simile instrumenta patiuntur, eueniunt. Non est igitur quod de eiusmodi symptomatis pluribus differamus.

De causis symptomatum quæ consistunt in qualitatuum mutatione, ac de ijs quæ uel se inuicem sequuntur, uel non sequuntur symptomatis.

Cap. 5.

Sed conuersi ad reliquum eorum genus, quod nec ipsum multa uerba requirit, propter ea quæ iam dicta de succedentibus sibi symptomatis sunt, iam opus hoc loco finiemus. Ergo colores mutabuntur, (ut generatim dicam) uel succorum occasione, qui a naturali specie recesserunt, uel qui in altum corpus sunt reuersi, uel cutem ueluti perfuderunt. Membratim uero, propter causas quæ succos ad tales tum motus, tum affectus impellunt. Sunt porro hæc tum animi perturbationes, tum ambientis nos aeris in calorem & frigus mutationes, tum ipsius corporis affectus, cui sanguis, uel calidior sit, uel frigidior, uel parcius, uel uberior, uel foras protrusus, uel intro retractus. Huius sane generis est, omnis uictiosus succus, qui sua specie etiam totius corporis colorem alterat, ut in morbo regio, & hydericis, & Elephantia, & splenis & iccinoris imbecillitate. Existit autem ad portionem & in quaque particula, coloris mutatio. Figuræ uero naturales mutabuntur, particulis uel immodice refertis, uel inanitis, uel a proprio loco translatis, uel aduulsis. Causæ uero cuiusque horum, plures sunt, quas etiam inuenire difficile non est, sicuti superiora non negligenter sunt perlecta. Ad eundem modum nec graueolentia, aut molliciei, aut duritiei, aliorumque his similiarum causas inuenire operosum est ei, qui ad supradictorum exempla procedet. Quinimmo iam dicta a me sunt in fine libri qui de symptomatum differentijs inscribitur, quo minus opus est de ijs nunc simus prolixus. Sed hoc loco opus de symptomatum causis finiamus, illud tantisper adijcientes quod in libro de symptomatum differentijs huc docendum distulimus. Quæ nam symptomata necessario sibi succedant, quæ non necessario: quod ipsum quoque non longa mihi disputatione uidetur indigere, sed satis erit sub unico exemplo methodo indicata, a particularium multitudinem fugisse. Censeo igitur quod prouenit, unicane ex causa fiat consideres, an ex pluribus. Si enim ab unica, necessario efficienti succedit. Sin quo fiat pluribus eget, non necessario. Atque hæc quidem in omni re communis est methodus. Ad hunc igitur modum in symptomatis æstimationem inibis. Quippe si symptoma ab unico fiat, necessario illi succedit: sin ad secundi symptomatis generationem, alia quæpiam causæ concurrant, minime necessario

A. l. 3. f. 21. r. c. 2. p. 7. 29.

* Quod est & ita legitur in lib. antiquis græcis & in translatione ueteri.

A. l. 1. f. 2. d. 1. c. 7. p. 55. F

Græce οὐδὲ ὄψιν διαγνώσκειν ἢ πολλὰ οὐδὲ ναυτίαν. id est, nec humidam multam uel deiectionem nec nauis, & ita ceteri interpretes. Solus Linacer uidet legisse. οὐδὲ ναυτίαν. id est nec contrariam.

A necessario priori succedet. Non enim si quis male concoxit, necesse est spirituosum statum sequi: sicuti nec morsum, nec humidam multam uel contrariam deiectionem, aut inappetentiam, aut intentam appetentiam, aut pigritiam ad actiones, aut intelligentiæ tarditatem, aut capitis grauitatem, aut uigiliam, aut cardialgiam, id est oris uentris dolorem: multoque minus aut epilepsiam, aut amentiam, aut extasim, aut comam: sed nec moestitiam ullam, neque aliam quamlibet, nec multo minus melancholicam: præterea nec plenioris intestini, uel renum, uel lienis, uel iccinoris, uel pectoris, uel articularum dolores: æque ut nec inæqualitatem, aut horrorem, aut rigorem, aut febrim. Quanquam tum horum, tum reliquorum ferme omnium symptomatum, nullum est quod non aliquo tempore in iis qui male concoxerunt appareat. Immo pro crudelitatis magnitudine ac differentia, præterea naturæ hominis facili sensu aut difficili, singularumque corporis particularum robore aut imbecillitate, alias aliud symptoma gignetur. Quippe magna cruditas, & maiora & plura symptomata creat: parua contra, pauciora minoraque. Iam uero eorum quæ male concocta sunt differentia, quæ quidem ad frigidum & pituitosum sunt conuersæ, aliorum symptomatum sunt causæ, quæ ad nidorosum & calidum, aliorum. Ad eundem modum & quæ mordent uel quæ non mordent, & quæ in halitosum spiritum soluta sunt, aut non soluta. Sed & hominis natura, (ut dictum est) ad symptomatum generationem tum facit, tum repugnat. Verbi gratia. Quibus hebetis sensus uentriculus est, si nec uehementer mordentur, nec dolent, nec multa excernunt, sed nec cardialgia laborant, nec facile capite infestantur. Quibus boni est sensus, iis omnia hæc ex facili superueniunt, superno principio symptomata immittente. Quid dicam singulis qui cruditate laborant, eam partem maxime nocentem sentire, quæ maxime est imbecilla? proinde dicendum non est, symptoma ullum necessario crudelitatem sequi. At uero actionis digerendi in corpus alimentis, siue priuatio, siue imbecillitas, atrophian necessario inducit: sicuti etiam alteratricis in quaque particula uirtutis noxa. Iam separationis excrementorum a sanguine frustratio, quæ separatricis actionis est symptoma, necessario coloris symptomata inducit. Vocatur alterum eorum morbus regius, alterum quod melancholico excremento succedit, sine nomine est. Simili modo in omni symptomatis genere, & quæ semper sibi succedant inuenies, & quæ non semper. Ego uero longitudini parcens hic libro finem imponam.

GALENI DE DIFFERENTIIS FEBRIVM

LIBRI DVO, AD FIDEM CODICVM GRÆCORVM DENVO RECOGNITI.

Nicolao Leonicensi interprete.

ARGVMENTVM LIBRI.

Prima quadam principia docet, quibus singularum febrium differentia intelligantur, ac in primo libro agit de Ephemeris & Hecticis.

Prima capita quibus singularum febrium differentia comprehenduntur.

Cap. I.



FEBRIVM differentia, quæ quidem maxime proprie sunt ac principalissima ab earum sumuntur substantia, alia uero ab accidente aliquo. At quoniam neque horum ipsorum accidentium est natura una, sed nonnulla quidem proximiora, ac magis sunt diuisa substantia propria, nonnulla autem remotiora ac magis extranea: idcirco neque earum quæ ab ipsis accipiuntur, differentiarum est genus unum. Plurimum igitur aberrant, qui ab his quæ maxime propria ac principalissima sunt, abscedunt. Secundo autem loco quicumque licet harum commemorare, eisdem tamen eodem modo commiscet omnes quæ ex aliquo sunt accidente receptæ, utiles ab inutilibus minime discernentes. Neque uero solum in differentiarum generibus plurimi medici deliquerunt, uel quia uidelicet superaddentes fuerunt, adeo ut eas etiam quæ nullius usus essent commemorarent, aut quia utiles etiam prætermittendo defecerunt: sed unam etiam in ipsa generum in proprias differentias sectione aberrauerunt. Statim enim cum primum atque præcipuum differentiarum genus ab ipsius rei diuisa substantia sumatur, intueri licet, medicorum nonnullos genus hoc penitus præterire, nonnullos autem uel superfluos esse in diuisione uel deficere, licet Hippocrates in libro Epidemiarum sexto, optimam fecerit diuisionem. Sunt autem hæc eius uerba: Febrium hæc quidem manui sunt mordaces, hæc uero mites. Hæc autem non mordaces quidem, sed post insurgentes: alia uero acuta, sed quæ manui succumbunt: alia sunt statim exardentes, quædam semper pusillæ & sicca, quædam saluginosa, quædam flatibus plena, aspectui graues: nonnullæ ad tactum humectæ, nonnullæ uehementer rubidæ, aliquæ uehementer pallidæ, alia huiusmodi. Apertissime enim

in hoc loco, ab ipsius rei substantia simul atque a dignotione, in proprias differentias fecit sectionem. Et siquidem febris substantia in genere caloris qui est præter naturam, consistit. Caloris autem differentiarum, & ex eo quod magis & minus, & ex materia in qua hic præter naturam calor accenditur, & ex modo motus caloris eiusdem accipiuntur: quas omnes unã cum dignotionis modo quemadmodum in procedenti sermone ostendemus, annotauit. Sunt autem omnino euidenter, quæ in eo quod maius aut minus consistunt. quo in genere differentiarum consueuerunt medici magnam ac paruam febrem nomina re, non proprie quidem rei quali, nomen quanti accommodantes: hoc tamen facere affueti, nõ in febribus tantum, sed in mille alijs rebus, quæ licet in qualitate subsistant magnæ tamen ac paruæ dicuntur. Quæ vero a materia differentiarum sumuntur, in qua hic calor præter naturam accenditur, maxime propriæ sunt: siue quod idẽ calor ipsum cordis corpus occupauerit, siue quod eos qui in eius vetriculis continentur humores. Reliqua autem ac tertia est differentia, cum sola aerea substantia sufficienter incaluit, humores autem & solida corpora calefcunt quidem adhuc, nondum autem sunt calefacta: neque enim parum refert, si calefcere dicamus aut calefacta esse. Quid autem dicamus, hæc tibi exempla manifestissime ostendent. Cogita aquam calidam lebeti frigido iniectam, deinde ex eius vicinia lebetis corpus caleferi, nondum exquisite esse calefactum. Excogita iterum in calidum atque ignium lebetem aquam frigidam infusam, deinde ab eodem lebeate adhuc quidem caleferi, nondum autem esse calefactam. Horum quidem exemplorum secundum, primam febrium differentiam ostendit, quas diximus ipsum cordis corpus occupasse. Primum vero eas quæ in ipsius consistunt humoribus. Reliqua vero & tertia differentia simile quidem omnino non habet exemplum: at manifestioris quidem doctrinæ gratia, concipe animo fabrilem follem trahentem quidẽ ad seipsum aerem calidum, deinde ab eodem caleferi, nõ dum tamen esse calefactum. Sed & rei quam monstrare volumus naturam exemplum ipsum magis ostendit, si humorem in folle contentum cogitaueris: adhuc vero magis si follis foramina per quæ aer trahit atque efflat, adeo arte fabricata, vt humorem quidem non admittant, aerem autem peruia existat. In quo sane plurimum differunt naturæ opera ab his quæ humana arte sunt fabricata. Nam mista est in omnibus arterijs per multa foramina spirantibus aerea substantia sanguini, ac nihilominus in corde ipso, vt quod conflatile sit omnibus ipsis arterijs. ad idẽ cõfluat cõ oibus ipsis. Incipit hic igitur præter naturam calor quem & febrem nominamus, alias ex alijs eorum quæ nuper diximus: spargitur autem, atque vna cum patiente afficit duo reliqua genera. Facillima igitur ab humoribus ad spiritum caliditatis transumptio, non æque autem prompte vnã cum spiritu accenduntur humores. Corpus etiam solidum humoribus atque aereæ substantiæ facilius calorem impartitur, quam ipsum ab eisdem suscipiat. Omnis siquidem substantia tenuis promptius alteratur, quàm crassa. Est autem tenuissima quidẽm aeris, crassissima vero corporum solidorum, media humorum est substantia. Nihil autem in præfenti opere differt, siue spiritum siue aerem dicamus. Nam de hisce omnibus alibi diligentissime distinuimus. Nunc autem hoc tantummodo sufficiat intelligere, quod & Hippocrates, (vt arbitror) ostendit his verbis: Continentia, contenta, & impotentia. Continentia si quidem solida appellans, contenta vero humores, impotentia autem spiritus. Nã dispositio febrilis aliàs ex alijs eorum quæ ante diximus sumit initium. At in genere primo iam læso non sistit, sed duo reliqua genera inuadit, ac nisi antea soluatur, progressu temporis illa quoque similiter afficit. Hæc quidem sunt totius sermonis capita.

De euidentibus, & communibus causis febrium.

Cap. 2.

ET oportet quæ iam dicta sunt demonstrare, atque vniuscuiusque generis febrium dignotiones exponere: quamprimum autem necessarium est de earum generatione aliquid differere. Quod igitur ex laboribus, ira, & tristitia, & Solis ardoribus, atque frigidibus, vigilijs, & cruditatibus, ebrietatibus, & crapulis quidam febricitare conspiciuntur, nemo est qui ipsa doctus experientia non agnoscat. Et quidem quod aeris pestilens status febrem afferre consuevit, nemo sanæ mentis dubitauit, sicuti & pestilenti morbo laborantium conuersatio periculosa, ne inde contagium contrahatur, quemadmodum ex scabie & lippitudine. Est etiã eorum qui tabe correpti sunt consuetudo nequaquam secunda, atque omnino eorum qui putridum expirant, adeo vt domus quas habitant, foetidum exhalent odorem. Illud quoque longa experientia compertum, quod qui consueta exercitia omiserint, & alijs morborum generibus, & febribus maxime corripiuntur. Et quidem omnes, vt ita dixerim, homines norunt, quod & quæ plethora, id est repletio vocatur, & cibi prauis, & medicamina, æstusque circa Canis ortus, pluraque huiusmodi alia afferunt febres. Qui vero ab eisdem causis nostris corporibus adueniat affectus, ex quo febricitemus: hoc sane multos laet, & a plerisque etiam qui se medicos profitentur, ignoratur. Duplex autem hæc ignorantium medicorum genus. Alterum eorum qui soli experientia nituntur, aut que nullius rei naturam posse a ratione inueniri. Alterum est genus hominum, qui sibi nomen sapientiæ vindicant, & licet parem habeant cum prioribus ignorantiam, opinionem tamen scientiæ sunt aucupati. Sed eorum inscitia inde habet initium, quod in rationalibus methodis nequaquam sunt exercitati, quæ nos distinguere ac fecernere docent eas propositiones, quæ demonstrandi vim habent, ab his quæ probabilitatem quidem continent, nihil tamen veri possunt aut inuenire aut demonstrare. Cum vero ad hanc ignorantiam accesserit arrogantia, ex ipsis quidam nonnulli ad tantam insaniam ac temeritatem peruenerunt, vt neque ea que homines experientia magistra, febrium causas esse didicerunt, velint ipsi concedere. De quibus cum a nobis sit in libro de procatarteticis, id est præincipientibus causis sufficien-

A. l. 4. f. 1. T. 1. c. 1. p. 753. B.

A. ibidem.

A. l. 4. f. 1. T. 1. c. 1. p. 753. B.

A. l. 1. f. 2. d. 2. c. 1. p. 68. E.

Atter disputatum, superfluum esset eorundẽ hominũ nugas hoc in loco repetere. Neque enim sermonem facere institui, qui aut aliis contradicat, aut sophismata soluat: sed qui scientiæ doctrinæque intendat, suppositionum quidem loco habens quæ alibi a nobis sunt demonstrata, febrium uero differentias docēs.

Quo pacto ex præincipientibus causis uaria in corpore febriles dispositiones oriuntur. Cap. 3

Sunt igitur suppositiones hæc: Calidum, frigidum, humidum, & ficcum, esse corporum elementa. Primumque ex eorum intemperaturis constitui ægritudines, ex quarum numero febris est una, quando in corde quædam præter naturam caliditas generatur. Differentiæ uero secundum genus caloris de quibus præfens transigit sermo, a materiarum differentia sumebantur, quæ febrilem caliditatem suscipiunt: quæ tres erant secundum genus: uel enim in ipso cordis corpore accendi dicebantur: uel in humoribus, uel in spiritu: præincipere autẽ in omnium febrili constitutione causas, quæ ab oibus manifeste noscuntur, quas etiam paulo ante commemorauimus, in quibus medici, qui se ab experientia Empiricos uocant, ex obseruatione ad curationem aliquid proficiunt. Rationales autem ad ipsius rei naturam uenientes, cum indicationibus utantur, ab illa, ad futurorum præcognitionem, atque ad curationis inuentionem iuuantur, neque eorũ usum prætermittunt, quæ ex experientia fuerint inuenta, sed multa ex rationali methodo illis adiungunt. Quæ nam uero sint quæ utraq; inueniantur uia, experientia, scilicet ac ratione, alibi est a nobis demonstratum. At quam singulæ præincipientes causæ in corpore faciant dispositionem, quæ febrem accendat, nunc ostendere intendimus. Quoniam non unum uidemus modum generationis aut augmentationis caliditatis, (si quidem neque ignis ipsius) sed uel propter motum, uel propter putrefactionem, uel propter adhaesum alterius caloris, aut propter detentum calidi effluxus, aut propter mitionem calidæ substantiæ, quodam ueluti ex fonte efferuescentis, quæ quo ad nostrum sensum uel generet, uel augeat caliditatem, necesse omnino & febrium causas reduci ad eos quos proxime diximus modos. Ueluti statim exustio, siue ipsa solis operatio talem fortiat appellacionem, aut qui ab eodem fit in corpore affectus, siue ille qui iam effectus est: est quidem sane & hoc ipsum calor præter naturam, nondum tamen febris, nisi cor unã calefiat. Omne quidem huiusmodi causæ fieri constat ex rei calidæ adhaesu, siue Sol, siue ignis, siue medicamen calidum contingat extrinsecus, aut proximum fiat, aut adhaereat, siue quouis aliquo uocabulo quispiam uti uoluerit. Ira autem est uelut quidem feruor quidam, ac uehemens motus potentia irascibilis in ipso cordis corpore sita: simul autem cum hoc feruore calefit aliquando quidem spiritus substantia, aliquando uero sanguinis. Quod si ita contigerit, ut ea corpora quæ in se caliditatem admiserunt, longo eam tẽpore retinere natura apta sint, licet motus cordis sedetur, in hisce tamen remanet calor præter naturam, atque inde hominem febricitare est necessarium. Huiusmodi autem febris habet originem a motu atque feruore natiuæ caliditatis. Quæ autem ex tristitia fit, ex solo motu, non autem ex feruore generatur. Eius autem quæ lassitudines sequitur, principium est, musculorum, neruorum, copularum, & articularum multa motio, quæ quidem primo quendam calorem concipiunt, hinc uero continuatim calor ascendit ad cor, atque inde homo necessario febricitat. Quæ autem ex densitate cutis accenditur febris, qualis maxime frige factis atque adstrictis corporibus solet accidere, mordaci effluxi in corpore acruato contingit. Semper enim animalium corpora difflantur, idque duplici modo, effusis ad exteriora uaporosis atque fuliginosis superfuitatibus, ac rursus attracta refrigerante ac uentilante natiuum calorem aerea substantia. Cum igitur aliqua causa potentior cutim densans, eos de quibus diximus meatus angustiores effecerit, sepius quidem in plethoricam dispositionem incidit corpus, quando & uaporosum & optimum quod effluit, extiterit. Nonnunquam uero in febrem, cum nimirum acre mordaxque fuerit, quo tẽpore maxime, quoniam intra corpus quod refrigerandi uim habet non attrahitur, calor augetur. Acris autem ac mordax effluit superfuitas his qui aut natura uitiosos habent humores, aut prauis cibarijs utuntur, aut sæpius cruditate patiuntur. At tum præsertim cum post huiusmodi cibos assumptos, sæculentam uel lutulentam atque ex lacunis uel piscinis siue paludibus, siue quouis alio corruptam ac putridam biberint aquam. Idẽ his quoque accidit, qui supra modum laborant, aut uigilant, aut cogitant, aut medicamina acuta iugiter sumunt. Voco autem praua cibaria, tum ea, quibus hoc ipsum est a natura insitum, sicuti allia, capre, nasturcia, porros, brassicas, ocyma, & urticas, & quæcunq; alia agrestia dicuntur, ueluti quæ apud nos lam psana uocantur. Et quæ præterea natura quidem optima sunt, sed ob quosdam putrefactionis modos æquale prædictis, aut maius aliquando uitium contraxerunt, ueluti frumenta, hordea, atque omnes aliæ fruges quæ ad usum cibi assumuntur. Quarum nonnullæ temporis longitudine ad putrescibilem dicuntur dispositionem: aliæ quoniam malæ repositæ fuerint, situ replentur: quædam uero & in primo ortu rubigine deprauantur. Tales cibos hodie quoque urgente fame plures coacti comedere, nonnulli quidem a putridis ac pestiferis febribus interierunt, nonnulli autem pustulas instar scabiei ac lepræ in corpore contraxerunt. Quum igitur plenum fuerit corpus huiusmodi humoribus, nulla uero obstructio aliquod ex uisceribus obsideat, libere autem totum animal per cutim diffletur ac refrigeretur: sanitate quidem fruitur animal, sed dubia ac momentanea. Cum autem constringi terminum exteriorum, aut obstrui penitiorum partium meatus contigerit: in constrictionibus quidem, quod nuper diximus, febrium genus consequitur: in obstructionibus autem, quod paulo infra dicemus. Nihil ergo mirum, si ex his qui cruditatem passi sunt, nonnulli quidem a febribus correpti fuerunt, alij uero minime. Nam hi qui iam humores habent uitiatos, ac male difflantur, aut interceptiue laborant,

A. l. 1. f. 2. d. 2. c. 1. p. 79. E.

A. l. 4. f. 1. T. 1. c. 1. p. 778. E.

A. l. 1. f. 1. T. 1. c. 44. p. 772. E.

borant, aut balneis superfluis utuntur, hi facile febribus corripiuntur. At qui bonos habet humores, E ac bene distillantur, & quiescunt, & quæ circa uentriculum atque hepar sunt, fouent, his febrile est impossibile. Nam in eisdem residet uentriculi atque hepatis partibus quodcunque corruptum est, ac paulatim per tempus coquitur, atque optimum fit: sicuti his qui se post uehementes motus exponunt aut æsti uo soli, aut balenis calidis dulcium aquarum, corrupta cibaria in totum habitum corporis recipiuntur. Sic & quibuscunque cibi corrupti per aluum deiciuntur, febris non subsequeretur, nisi alia causa accideret, ueluti aut quia supra modum fatigati essent ob frequentius surgendi necessitatem, aut inflammationem in uentriculi partibus subtenuissent. † In obstructionibus quidem foraminum atque humorum intrusionibus, (nam & de hoc dicere distuli) ex putredine patiuntur febrē animalia. Promptissime enim putrescunt quæcunque calida ac humida, atque in calidis locis, nisi distillari ac refrigerari contigerit. Nihil igitur mirum, si ex plethoris febres eueniunt: etenim obstructiones multæ fiunt, atque uniuersum corpus in huiuscemodi affectibus male distillat. Sicuti sane in altera multitudine, quæ ratione potētia dicitur, cito ad corruptionem humores deueniunt, quoniam non bene superantur neque concoquuntur, cū ea à qua conficiuntur, uis inualida existat. Propterea etiam quæcunque cibaria glutinosa sunt ac crassa, sunt magis morbosa. Obstrui enim atque intrudi eum qui ab ipsis generatur humorem facilius existit. Quid igitur? Nonne contraria ratione acria atque extenuantia morbosa? Videntur enim similiter à febribus infestari, qui utranque uictus rationem nimium sequuntur, quoniam, & supra diximus omnia talia mali succi esse. Vitiolorum igitur humorum ratione hac. Ob putredinem autem, quæcunque glutinosa sunt ac crassa, febrium sunt causa. Partes etiam quæ inflammationem patiuntur, ratione putredinis febres accendunt: intrusus enim in ipsis influens humor cum non bene distilletur, putrescit. Cum igitur fluxio fuerit exquisita biliosa, calor erysipelatosus partem occupat: cum uero sanguinea, phlegmonosus: quando uero ex ambabus mixta fuerit, fit uel erysipelas phlegmonosus, uel phlegmone erysipelatosus: nomen quidem ab humore superabundante suscipiens, cognomen autem ab altero. In hisce autem omnibus communicationis ratione febris accenditur: semper enim calefactæ proxima pars simul calefit, donec ad cor dispositio peringat. Nam & in carbunculis id quod continuum existit unā calefit: sunt autem ex sanguine quidem satis calido, sed ad atræ bilis naturam propter aduersionem conuerso.

De pestilentis febris generatione, ac quo quis pacto illam præcauere possit.

Cap. 4.

Calidiores autem ambientis aeris status, quales maxime circa Canis ortum contingunt, per inspirationes quidem manifeste cor calefaciunt: corpori autem extrinsecus circumfusi totum ipsum calidius efficiunt, sed præsertim arterias, ut quæ ipsius substantiæ aeris ambientis aliquid trahant, cum quibus omnibus simul cor affici est necessarium: & cum supra modum incaleuerit ipsum primum atque potissimum febrilem calorem suscipere, atque ad uniuersum corpus transmittere. In pestilenti uero aeris statu, inspiratio plurimum est causa. Fit enim & aliquando ob eos qui sunt in corpore humores ad putrescendum paratos, cum breuem aliquam occasionem ad febris originem ab aere ambiente accepit animal. Magna autem ex parte ex inspiratione incipit aeris circumstantis a putrescibili euaporatione infecti. Putredinis autem principium, uel cadaverum multitudo non crematorum, quemadmodum in prælijs contingere solet, aut ex aliquorum uel lacuum uel paludum ætatis tēpore euaporatione. Contingit autem quandoque præcedere ambientis aeris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea pestilentia quæ Athenienses inuasit, ut Thucidides inquit: Sed in tugurijs suffocātibus ætatis tēpore habitantium corpora corruptione laborabant. At quia humores corporum ex uictus prauitate erant putredini obnoxij, hinc febribus pestilentibus origo data est. Forte autē per continuū ex Aethiopia quædam putredinis fluxere cōtagia, his quorum corpora erant ad patiendum parata, febrium causa futura. Oportet enim hoc in toto sermone memoria repetere, quod nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest. Alioquin omnes qui sub æstiuo Sole commorantur, febricitarent: aut qui nimio motu exercentur, aut uini potu grauantur, aut ira excandescentes, aut tristitia afflictī, febricitarent: alioqui etiam, ut arbitror, circa Canis ortum omnes ægrotarent, ac in pestilentijs morerentur. At ut diximus, magnam in generatione ægritudinum partē habet, eius qui passurus est, habitus corporis. Supponatur igitur ut in exemplis, in ambiente quidem aere nonnulla pestilentis semina cōtineri, ac ea quæ ab ipso corpora cōtinguntur, nonnulla quidem esse uarijs admodum superfluitatibus plena iam ex se ipsis ad putrescendum paratis: nonnulla autem pura, atque inutili materia carentia. Ac primis quidē adiungatur in multis corporis partibus obstruētio foraminum, atque ea quæ plethora uocatur, & uita ociosa in multis crapulis & ebrietatibus, ac rei ueneræ usus immoderatis, atque his quæ necessario omnia quæ nuper diximus consequuntur cruditatibus. Reliquis uero omnibus corporibus puris ac superfluitatibus omnino carentibus adsint præter hæc bona, libera in omnibus spiratio meatibus, cum obstructionibus atque adstrictionibus carent: exercitia etiam sint moderata, uictus temperatus. Ac deinceps his suppositis cogita quomodo utraque corpora affici sit necessarium, ab eo quem inspirant aere putredinoso. An non rationabile est illa quidem statim à prima inspiratione principium putredinis sumere, ac plurimum in malo procedere? Quæcunque autem munda sunt, ac superfluitatibus carent, nonnulla quidem nihil, nonnulla uero minimum mali sentire, ita ut facile ad naturalē habitum habeant regressum? Sic & cum aeris temperatura a naturali habitu ad caliditatem atque humiditatem immodice fuerit conuersa, pestilentes quidem oriri morbos est necessarium, plurimum uero eisdem laborare quicunque

A. I. 4. f. 1. T. 1. c. 1. p. 753. C.

† κατὰ μέρος
Ceterū in foraminum obstructionibus.

A quicunque fuerint superflua pleni humiditate: quemadmodum qui moderatis laboribus se exponit, ac uictu utitur moderato, in oibus huiuscemodi dispositionibus nullā oīno sentit offensionem. At hic quidem sermo in uno profertur exemplo, sed nihilominus in omni genere causæ ueritatem complectitur, & quicunque integre in eo uult exerceri, de præcipientibus causis legat librum. Equidem ego in præsentia prolixitati parcens, uno capite uniuersa comprehendens, finem sermoni constituam. Oportet siquidem in omni causarum genere diligenter aduertere, ex qua maxime potentia ægrotare contingat: deinde corporum dispositiones, tam quæ eidem consentiunt, quàm quæ aduersantur considerare: illud pro comperto habentes, quod quæcunque consentientes sunt facillime læduntur: contrariæ autem ac renitentes, quantum uiribus ac magnitudine contrarietas ualet, tantum iniuictas perdurare contingit. Vi di ego aliquando in tali tēporis statu, qualē ait Hippocrates in Cranone fuisse, non paucos carbunculos grassari per populum, quorum erat generatio eadem, omniaque alia, quemadmodum scribit Hippocrates exquisitè familia: & quidem quæcunque in tertio libro Epidemiorum, de pestilenti aeris statu ab Hippocrate referuntur, in altero eidem simili pari modo eueniunt. Erat autem eorum summa, ut ostendit Hippocrates, ipsa putrefactio: quod cum nos præuidissemus, statim ab initio quæcunque corpora humida uidebamus, omni uia exiccare conabamur: quæ uero sicca, in his antiquum habitū conseruabamus: at in quibus superfluitates redundabant, hæc purgationibus sanabamus: obstructiones autem foraminum aperire atque abstergere studebamus. Sed hæc quodammodo methodi curatiuæ propria esse uidentur: neque in ambiguo est, quin plenissime de hisce sit a nobis in eo loco dicendum. Nūc uero de ipsis uolui facere mentionem, cum eum prosequeremur sermonem, in quo quemadmodum ab eadem causa inualescente, nonnulli quidem a febribus corripiuntur, nonnulli autem illæsi perseverant, exponeremus. Cum enim corporum dispositiones dissimiles sint ac multiformes, quædam facile alterantur ac patiuntur a causa in ipsa operante, quædam insuperabiles ac impassibiles omnino existunt, uel cum difficultate patiuntur. Ad huius uero rei demonstrationem coacti sumus etiam curationis meminisse, non aliter affecti quàm Hippocrates, qui quodam in loco per similem modum uulgatissimum illud dictum conscripsit: Ostendit autē curatio. Est igitur & quæ præcustodia dicitur, curatio quodammodo: sed ipsa uidelicet nomina apud medicos sæpius confunduntur. Sicut enim in altero libro est a nobis ostensum, omne medici opus est errorum qui circa humanum corpus eueniunt, correctiuum. Sed nihil ista subtilitate sermonis hoc in loco indigemus: siue enim in duo nomina diuidas totum, curationem ac præcustodiam, siue ambo in unum colligas, curationem nominans, non paruam coniecturam affert eorum dispositio, qui a pestilentibus atque in populum grassantibus morbis affici prohibentur, quod non æq; omnes ab eiusmodi causa patiuntur. Vna siquidem ac prima est in omnibus communis intentio, quod corpus quàm maxime superfluitatibus uacet, atque optime spiret. Secundo loco post hoc, ut præpotenti causæ quoad eius fieri potest aduersetur. At quibus eorum contraria insunt, celerime capiuntur, ac quam maxime laborant.

Non omnem febrem ex putredine oriri, ac de Ephemera ex tumoribus in inguinum nata.

Cap. 5.

Sed quoniam de febribus pestilentibus facta est mentio, quæ omnes a putredine ortum habet, operæ præparatum uideatur, ut hoc loco sitentes sermonem de antiquo dogmate consideremus, omne febris genus ex humorum putredine fieri asseuerante. Siquidem eius sententiæ esse periclitatur omnis ab Atheneo chorus, uiri tum in ceteris quæ ad artem pertinent, tum præsertim in febrium contemplatione minime contemnendi: de quibus ego maxima ex parte illis consentio, nisi quod eas quæ ephemera nominantur, excipio. Neque enim uidentur mihi hæc humorum sequi putredinē: sed qui quidem ex Solis incendio febricitat, ab agentis causæ caliditate affici natura aptus est. Qui uero ex ira, & huic feruorem quidem aliquem eius qui circa cor sanguinis fieri est necessarium, non tamen etiam putredinem. Sic & ei qui supra modum exercitatus est, uehementior caliditas præter naturam siue humorum putredine in corpore acceditur. Et cui cutis adstricta est, cum prius acriores superfluitates per eam euaporarent, postquā retentæ sunt ac coaceruata, incidit in febrem, nulla interueniente humorum putredine. Et quæ ex bubonibus febres oriuntur, omnes sunt malæ, exceptis ephemeris, quodā in loco inquit: Hippocrates. Et quidem bubo ex genere est inflammationum: & quantum ad hoc assentior illi qui de putredine, sermoni: eius enim ratio ex inflammationibus, quas Græci phlegmonas uocant, febricitare contingit, non ea quam Erasistratus opinabatur. Sunt tamen quædam febres ex bubonibus e generatione ephemerarum, quemadmodum & alia quædam non facile tractabiles morbos ex ulcere, aut inflammatione, aut abscessu, aut aliqua huiuscemodi altera in uisceribus dispositione, ortum habentes ostendunt. Differunt autem quæ ex bubonibus febres oriuntur, ab his quæ ex humorum putredine eueniunt, quæ uel in aliquo uiscerum, aut in cauis & maximis uasis ortum habent: quoniam quæ ex bubonibus fiunt, concalescunt semper partes continuas, donec usque ad cor calor febrilis attingit: non peruenit autem ad ipsum putrida fuligo, sed ibidem permanet in loco bubonis circumscripta sola alteratione per continuum facta, usque ad cor perueniente calore. Quo maxime modo in his qui Solis calore deurrunt, aut lassitudinem patiuntur a primis partibus calefactis usque ad uitale principium caliditas permeat. In putredine autem, quæ aut in uisceribus, aut in magnis fit uasis, quidam ueluti fumus ex putrescentibus humoribus ad cordis uentriculos peruenit. Et quidem in bubonibus omnes cunctim humores putrescere solent, siue per unum, siue per duos continuos dies, ut qui inuicem adhæreant, atque in uno loco

A. I. 4. f. 1. T. 1. c. 1. p. 753. A.

† In aliquibus Codi. Græcis adest ephemeræ.

loco concludantur. At qui in uisceribus sunt uasisq; magnis, ut qui continuo fluunt, suoq; contactu uisceribus ad putredinem trahant, spatio temporis putridum calorem accendunt. Sed ut uno dicatur uerbo, quemadmodum in extrinsecis omnibus quaecunque præter naturam a quauis causa calefiunt, si quidem impurefcibile sit quod calefit, ueluti lapis uel lignum, aut tale aliquid aliud, eo usque durare caliditas solet, donec paulatim refrigeretur: quod autem putrefcere natura aptum est, semper ad continua disparitatem continet caliditatem. Quemadmodum aliquando in agro conspexi excrementa iumentorum simul ac columbarum quædam ex parte a Sole adeo uehementer calefacta, quod instar fumi multâ euaporationem in sublime emittebant, nõ parum mordacem ac dolorificam, & si quis proxime accessisset, nares oculosq; lædentem. Ipla etiam excrementa tangentibus adeo calida sentiebantur, ut qui longiori tempore manus & pedes admouisset, exureretur. Non tamen continuo huiuscemodi casus perdurabat sed in die qui sequebatur, quicquid superiori die ad summum feruoris peruenerat, refrigerabatur: quod autem huic continuum erat, dum prima pars quæ calorem conceperat, in summo esset feruore, ipsum interim paulatim succensum, mox priori se feruore remittente iterum incalebat, atque efferuescebat, & paulo post priori parte refrigerata, ipsum summum feruorem obtinebat, hocque rursus deferuescebat, dum pars continua paulatim succedebatur, quæ paulo post uehementius accensa, ad summum feruoris peruenebat: prior autem refrigerabatur. Hic autem circuitus in unius fere diei ac noctis spatio peragebatur, adeo ut res quotidianæ febris, quam Græci amphimerinam appellat, propriissimū esset exemplum. Quod si duobus diebus ac noctibus idem circuitus factus fuisset, tunc febris tertianæ eo modo fuisset exemplum: & si tribus, quartanæ: & quatuor, quintanæ, si tamen & quintana febris existat: ego enim nondum liquido uidi, neque huiuscemodi circuitum, neque alium qui ultra quatruiduanū protenderetur. Sed de febribus quæ per circuitum accessiones habent, postea dicetur.

Simile esse putredinem tumorum & uasorum, ac quibus notis pus optimum ac urina optima deprehendatur. Cap. 6.

Humoribus autem putredo quæ in uasis fit, similis est ei quæ in inflammationibus atq; abscessibus accidit, aliisq; collectionibus, * duplex quidem secundum genus. Ex duorum autem generum miscella alia tertia secundum speciem euariat, quoniam & innumerabiles miscellæ modi in eo quod magis & minus alterum genus superat & superatur, reperiuntur. At duorum generum alterum quidem fit superante natura, alterum uero superata. Et superante quidem sicut in inflammationibus & similibus collectionis tumoribus omnibus pus in humoribus autem qui in uenis atq; arteriis continentur, quoddam quod puri proportionem respondet, subsidens in urinis. At talis quidem putredo non simpliciter quidem putredo existit, sed aliquid in se continet coctionis. Nam adhuc uis coquendi uasorum remanente, qui interim putrefcit humor, ad talem peruenerit alterationem. Sed & alterum est putredinis genus, cum ea uis cui coquendi officium est demandatum, adeo imbecillis facta est, ut nullam amplius facere possit in putrescente superfluitate ad optimum transmutationem. Quod quidem usu contingit nonnunquam, cum eadem uis ad ultimum imbecillitatis peruenerit, etiam si id quod putrescit, mediocriter sit uitiatum: interdum uero fieri potest, ut uis quidem ipsa non omnino sit imbecillis, humor uero putrescens maxime sit uitiatus. Huius superfluitates putredo, neque consistentiam, neque aut colorem aut odorem habet unum, sed semper secundum substantiam permutatur, ac multis modis euariat illud quod putrescit. Altera autem putrefactio, quam & coctionem esse diximus, semper ad unam puri speciem terminatur, coloremq; ac consistentiam [suscipit] & odorem. Superante igitur integre ipsa natura, optimum fit pus conspectui album, & crassum & quæ; uersum sibi simile, lene autem tægenti, ac minime foetidum. Si uero semiputridum fuerit, tertium in tali transmutatione genus quod paulo ante diximus fit. Dicitur uero & illud est, quod multiforme huiuscemodi genus existit: nam in eo quod magis & minus suscepit coctionem, est innumerabilis differentia. Sæpius enim cum colore album factum sit, uel foetidum odorem, uel tenuem substantiam obtinet: sæpius uero non album apparet, sed liuidum: atque in his omnibus magis ac minus infinitis modis euariat. Quotcunq; uero in abscessibus putredinis sunt differentia, totidem & in febribus quæ ex putredine accenduntur, sunt eorum quæ in urinis apparent, formæ. Optima uero urina quæ ab exputrescente humore, coctionem a continentis uase suscipiente, perficitur, est, quæ album & lene & æquale & minime foetidum sedimentum habet: pessima autem est, quæ in omnibus maxime contrario modo se habet: quæ uero inter media existit quanto propius ad alteram accesserit, tantum aut melior aut deterior existit. Sed de urinarum differentia, in commentariis de crisiibus dictum est.

Quibus notis ephemeræ a ceteris febribus distinguantur, ac in quibus affectibus pulsus durities existat. Cap. 7.

Eas autem quæ ex putredine humorum febres accenduntur, alias ab ephemeris oportet existimare, neque earum discretio difficilis est, quanquam nonnullis uideatur esse impossibilis: nos uero hoc millicies re ipsa probauimus, prima accessione finita, lotum hominem ac mediocri cibo refectum ad consueta opera transmittentes, ut qui alteram febris accessionem sensurus non esset, neq; nos nostra existimatio fefellit. Vnum uero hoc est præcipuum febrium ephemerarum indicium, ab aliqua incipiente causa recenti ac manifesta, quæ ante præcesserit, quam omnes medici iuniores usitato uocabulo pro cataracticam siue præincipientem appellat. Sed & si hoc inseparabile sit talium febrium indicium tam earum proprium non est: nam & aliarum quædam ex causa manifesta fiunt, quæ ante præcessit. Inseparabile

* phimatibus aut tuberculis.

A. l. 1. f. 2. d. 1. c. 4. p. 59. A

A. l. 4. f. 1. T. c. 6. p. 75. C

Abile uero ac proprium est coctio in urina statim die prima. Ac præterea pulsus ad magnitudinem acceleritatem effatu dignam accedentes, ita ut frequentia a proportione deficiat secundum exteriorem quietem. Est autem & magis inseparabile ac proprium quod nullo modo ad celeritatem ea pars pulsus quæ systolæ dicitur tedit & si aliquando contingat hoc, minimū ac uix perceptibile existit, parumq; a naturali tenore mutatum. Sed & caliditatis suauitas proprium atque inseparabile est huiuscemodi febrium indicium. Inseparabile quoq; æqualis atque incompressus ascensus in caliditate ac pulsibus simul, non tamen proprium, cum & aliis quibusdam adit: sicuti etiam consistente febre mediocritas: neque enim hoc etiam est proprium, quanquam his maxime inest. Et melius sane hæc quæ communia existunt in crescente febre, ac consistente, quoniam magis ephemeris insunt, inter propria reponere. Sic enim fieret, & si non rei ipsius species, at pulcherrimum atq; exquisitissimum huiuscemodi febriū proprium simul atque inseparabile signum: sicuti & cum sudore aut rore, aut omnino cum aliquo optimo uapore declinatio, ubi integra febris cessatio sequatur. Hæc quidem est communis febrium ephemerarum dignotio, nam postea de earum singulis speciatim dicemus. Alterum uero febrium genus, quod ephemeris ex aduerso distinguitur, nullum quidem nomen commune sortitum est. Sunt autem duæ primæ differentia quæ non obscuram habent specierum discretionem. Nam quædam ex istis ex putredine humorum accenduntur, quædam uero ipsas solidas occupant animalis partes, atque eas hæcitas febres appellant: uel quoniam firmæ ac solutæ difficiles sunt, quemadmodum habitus, aut quoniam ipsum corporis habitum comprehenderunt. Sic enim uocare consueuerunt solidas partes humidis ex aduerso distinguentes. Indicia uero febrium, quæ humorum ratione accenduntur hæc sunt. Primum quidem non inseparabile, sed proprium, quod nulla earum quæ præincipientes causæ dicuntur eas antecedit: neutri enim aliorum generum hoc inest, quoniam ephemeræ omnes a præincipientibus causis originem habent. Hæcitas autem quando sine his generantur, nunquam ab initio inuadere consueuerunt, adeo quod ubi quis sine præincipiente causa coepit febricitare, scire oportet huius passionis causam in humoribus esse. Illud uero nonnunquam usu uenit, quod aliqua ex præincipientibus causis sui ratione febrem accendit ephemeram: subsequitur autem altera ex putredine humorum, quæ quod afficitur corpus, ad id habile fuerit, hoc est quando impurum extiterit, ac superflua materia redundans: hæc enim cum in ephemeris immoderatum calorem contraxerit, atq; hinc putrescendi principium acceperit, alteram speciem febrium succendit, priore desinente. Vnum uero proprium simul atq; inseparabile in omnibus successione indicium, quod febris ephemera quietem integram subsequente non habet. Contingit uero aliquando ubi ephemera febris consistit, aliquod permutationis indicium ostendi. At multo magis cum iam coeperit declinare, quo tempore, id quod paulo ante dicebamus, ea tranquillitas abest, quæ adesse deberet. Hæc quidem sunt permutationis indicia. Initium autem a rigore sumere febrem, ubi neque ardor Solis, neque frige factio ualida præcesserit, qualis præsertim per niuem facientibus iter contingere solet, aut qui aliter in uehementi frigore diutius commoratur, proprium & hoc existit signum febrium, quæ ex putredine accenduntur humorum, non tamen inseparabile. Neq; enim in oibus inest, quemadmodum neque horrores ipsi sunt ab huiuscemodi febribus inseparabiles, sicuti neq; ab initio proprii. Inæqualitas uero pulsuum atq; caloris siue in principiis, siue in augmento contingat, est huiuscemodi febrium generis proprium indicium, nõ tamen & ipsum inseparabile: multæ enim & sine insensibili inæqualitate incipiunt, atq; ad consistentiam accedunt. Adhuc uero magis neque hoc inseparabile est, nimirum quod paroxysmi plures habeant insultus, quod Græci epiparoxysmata. i. superuacui uel superacerbari uocamus: sicuti & pulsuum thlipsis. i. compressio (sic. n. nominant, quando incipiente accessione fatis paruos atq; inæquales eosdem habent) nec ipsa, ab hisce febribus est inseparabilis: non tamen alicui alteri generi febrium est communis, sed propria istarum ac peculiaris: sicuti & inæqualitas ipsa nisi alicuius casus ratione. Sæpius enim ubi humor aliquis uitiatus in ore uentriculi fuerit acruatus, qui ipsum aut mordeat aut refrigeret, parui simul atq; inæquales fiunt, & paruitas quidem in frigidis, inæqualitas uero in mordacibus accidit: at ubi euomuerit, hæc ambo protinus cessant. Cum uero ipse uentriculus omni noxa uacat, ad propositum febrium genus pertinent huiuscemodi pulsus. Maximum autem est earum quæ ex putredine fiunt febrium indicium, qualitas caliditatis. Nihil enim est in ea suaue, neq; moderatū, neq; ullo pacto simile est ei, quæ in ephemeris sentitur: sed quemadmodum est & ab optimis ante nos medicis dictū, mordax quodammodo potius existit, tactuiq; molesta sentitur: ac quemadmodum fumus oculos ac nares, sic ipsa tactum uidetur erodere. Sed in principiis quidem accessionum, ut in quibus calor adhuc suffocatur, ac superfluitates intus succeduntur, non statim admota manu discernitur: at per moram prædicta caliditatis species ex penitioribus partibus effertur. Quod cum animaduertet Themison, existimauit (ut mihi quidem uidetur) hoc esse omnibus febricitantibus proprium atque inseparabile. Sed de hoc quidem in proprio huius sermonis loco a nobis rursus considerabitur. Prædicta autem caliditatis species, quæ appositam manum pungit atque erodit instar medicaminis acris, est putredinis humorum progenies, quæ manifeste quidem sentitur in crescentibus ac consistentibus febribus: non manifeste autem neque statim in incipientibus. Proprium uero atque inseparabile est febrium quæ in humoribus accenduntur, submissiois pulsuum, Græci systolen appellant, uelocitas, quæ manifestius quidem in crescentibus febribus, non obscure autem incipientibus ac consistentibus fit. Comitatur autem has febres in initiis quidem,

dem, pulsus paruus ac uelox: cum uero consistunt, magnus simul ac uelox. Sic & quæ in exteriori quiete existit frequentia in huiusmodi febribus manifesteprehenditur, cuius similis, neque in ephemeris neque in hecticis apparet. Proprium uero maxime harum febrium existit, cruditas urinæ, debilis etiam concoctio proprium est indicium febrium, quæ humorum sequuntur putredinem. Neque enim cruda neque concocta debiliter in ephemeris apparet. Ac earum quidem alterutra seorsum est proprium febrium, quæ in humoribus accenduntur, indicium. Simul autem utraque dicta secundum distinctionis proloquium omnino inseparabilis: huic enim febrium generi urinæ primæ uel omnino crudæ, uel debilitate coctæ principio associantur: neque unquam magnum aut effatu dignum concoctionis indicium in huiusmodi febribus in primis urinis apparet, si excipiamus eam quæ fit ex ephemeris febribus permutationem, de qua à nobis antea dictum est. Præter prædicta autem propositarum febrium indicia contingit etiam eo tempore, quo accessio consistit, casum aliquem febris ardentis apparere. Quod si etiam hi casus se ostendunt, qui in febribus epialis & lipyrijs appellatis, sicuti & qui in hemitritais, aut succensuis, aut in quapiam alia tali febre uideri solent: erunt quidem propria huius generis febrium, quæ ex humorum putredine accenduntur indicia, non tamen inseparabilia: atque idcirco ubi ipsa non adsint, ex alijs dignoscere licet: quod si affuerint, non solum ad genus huiusmodi febrium pertinebunt, sed etiam aliquam earum speciem indicabunt. Et quidem si post febris declinationem integra non successerit quies, siue cum sudore, siue quouis alio modo declinet, ex duobus alterum, uel permutationem est argumentum, si omnia quæ præcesserint, febrium ephemerarum fuerint indicia: aut si nulla ex his fuerint, statim ab initio febrem aliquam ex his quæ putredinem humorum sequuntur, inuasisse indicatur. Si uero nonnunquam in prima die pulsus durus sentiat, animaduertere oportet nunquid in corpore ægrotantis sit aliqua congelatio ex frigore, uel siccitas, uel tensio, qualis in distentione neruorum fieri consueuit, uel inflammatio, uel durus tumor, quem Græci schirrhon appellant, scientes ab his solis causis pulsuum durum fieri. In quibus enim errauerit Archigenes circa notionem & dignotionem pulsus duri, in eo tractatu quem de pulsibus composuimus, ostenditur: in quo exercitatum esse oportet, quicumque ad præsentis operis lectionem animum sit appulsurus, atque in ea præsertim parte, in qua de pulsuum dignotionibus agitur. Nam pulsuum quidem nomina, omniaque eorum significata, numerumque uniuersum in uno tractatu exposuimus, qui de pulsuum differentia inscribitur. Quo pacto uero singula ex ipsis sint dignoscenda, altero tractatu, quem de pulsuum dignotione inscribimus, quatuor libris explicatur. Sicuti alterum uolumen ordine consequens in quatuor libris comprehensum exposuimus, in quibus pulsuum causas edocemus. Ac post ea, quæ iam diximus, quartum quod de præcognitione ex pulsibus inscribitur, non uerbis tantum, sed operibus etiam huiusmodi contemplationis utilitate à nobis ostensa. Et si quis nobiscum affuerit, quando ægrotos uisueremus, eorum librorum contemplationem re ipsa demonstrantibus, eidem partim alia, partim id ipsum est persuasum, quod pulsus durus, neque proprium, neque inseparabile est huiusmodi febrium indicium. Sed non est nunc tempus de hisce rebus disserendi: nam in nuper dictis tractatibus, atque in altero uolumine octo libris comprehenso, in quo librum Archigenes de pulsibus ad examen rationis adducimus, satis a nobis huiusmodi omnia ostenduntur. Nunc quantum præsentis operi expedit dicemus, quod pulsus durus non est alicuius generis febrium, neque igitur ephemerarum, neque earum quæ in humoribus accenduntur, neque hecticarum proprius atque inseparabilis. Comitatur uero magna ex parte hecticas febres, nonnunquam uero etiam duo genera alia, casu aliquo interueniente: Ephemerarum quidem, si ex algore nimio contigerint, si qua neruosa tensio simul affuerit. Contingit uero aliquando ob nimium Solis feruorem, aut lassitudinem simul, aut esuritionem, aut immodicas uigilias, aut exinanitionem, quando hæc constiterint alimenti inopia. Illis autem quæ ex humorum putredine fiunt febres, pulsus durus adest, quando aliquod uiscerum uel inflammationem uel durum tumorem patiat: & si casus quispiam alius affuerit, ueluti tertio aliqua neruorum, aut siccitas, hac etiam ratione pulsus fit durus: sicuti in his qui non in tempore frigidam bibunt aquam, aut frigida se lauant, atque aliquibus arborum fructibus immodice uescuntur. In febribus autem ea ratione qua febres sunt, nunquam fit durus pulsus, neque in ephemeris, neque in his quæ ex humorum accenduntur putredine. Neque enim quando ex inflammatione febris inuadit, eadem ratione sequitur & febris, & pulsus durities: sed febris quidem ex humorum putredine, durities autem ex tensione, quæ ob uasorum repletionem fit. Ut autem summatim dicatur, durities tunicis aduenit arteriarum, aut ob congelationem, aut tensionem, aut siccitatem. Congelationem igitur uehementes algores efficiunt: tensionem uero inflammationes & duri tumores, & neruorum dispositio inflammationibus correspondens: siccitatem uero & diuturnæ euacuationes, quæ uel ex uentris profluuiio uel intestinorum læuitate, aut dysenteria, aut diuturnis uomitibus, aut tali aliqua alia causa proueniunt, & longi temporis fames, & febres ardentes longæ. Atque ut in uniuersum dicatur, quæcumque ipsas animalis solidas partes uehementer exiccant, sicuti & hecticæ febres, de quibus iam dictum est, sumpto ab earum generatione principio.

De ortu febrium hecticarum.

Cap. 8.

Quæ igitur febres hecticæ appellantur, duplici uia ortum habent: magna quidem ex parte ex ardentibus febribus, quæ tantum protrahuntur, ut longitudine temporis humorem in corpore cordis contentum consumant: uel fieri potest ut eius adhuc magna portio refeructur. Illæ uero non tantum

A. l. 4. f. 1. T. 1.
c. 9. p. 766. E

A. l. 1. f. 2. d. 1.
p. 75. c. 4. B

A tantum hecticæ sunt, sed tabidæ, etiam. Quæ autem manente adhuc humiditate generantur, ubi cordis corpus occupauerint, hinc maxime acceduntur, quemadmodum lucernæ flamma ex fomite. Atque una quidem a nobis exposita est earum febrium generatio. Reliqua autem est, cum statim ab initio inuaserint, similem primum sui ortum Ephemeris facientes, ex tristitia, aut ira, aut lassitudine nimia unâ cum Solis feruore contracta. Hæc igitur febres non est admodum difficile curare. At quæ ex ipsis ad marasimum. i. tabem peruenerunt ex incititia medicorum, quibus earum cura fuit demandata, ubi iam exquisitè consistunt, & iam dudum inceperunt, non modo est eadem cura difficile, sed etiam impossibilis. Earum siquidè natura calida est & sicca, cum tale aliquid cor patiat, quale lucernæ fomes cum fuit plurimum exustus. Nam qui ita torrefactus est, frangitur, atque dissoluitur, atque ex ariditate cōtinuitatem amittit, adeo ut neque si magnam olei copiam superfundas, flamma abundantior possit accendi. Semper enim parua & debilis in ipsa palpitat flamma, ac cōtinue fit minor, donec ex toto extinguatur. Talis quidem est febris quæ omnino marasimodes. i. tabida existit, quæ non idem morbus est, ac passio quæ marasimus. i. tabes appellatur. Nam & hæc absque febre in decrepita ætate solet accidere, extincto natui calore, quod nihil aliud existit quàm mors, quæ sine sensu doloris ac secundum naturam ex siccitate contingit. Sicuti his qui præter naturam tabescunt, altera aduenit species quæ à Philippo ex ægritudine febrilis uocatur, in quam non solum senes, sed etiam pueros uidimus incidisse quàm plurimos. Tabida uero febris non tantum sicca, sed etiam calida est passio. Extinguitur autem ualde celerius in hac ægritudine calor ipsius animalis: totumque corpus tabescit instar arboris supra modum arfactæ, aut ob longitudinem temporis, aut flammæ uiciniam, aut uehementem atque immoderatum squallorem. Sed de uniuersa quidem tabis dispositione qualis natura sit, seorsum scriptum est.

De indicijs febrium hecticarum.

Cap. 9.

Febrium autem hecticarum, quædam quidem duplex est, ut nuper diffiniuimus, genus, earum indicia deinceps exponamus. Hectica quidem quæ cum tabe coincidit febris, cognitu promptissima atque facillima existit. Nam priusquam pulsus atque calorè tactu percipias, uidebis oculos immodice conuulsos, ueluti quibusdã quasi foueis recõditos, exhausto iam uniuerso in ipsis liquore, ita ut ossium quibus palpebræ coherent, eminentiæ conspiciantur. Et sordes quidè in ipsis sicca ostenduntur, & quædã ueluti squalida dispositio, qualis maxime inest his qui toto die sub solis ardore iter longum per puluerè egerunt: est etiam in eisdem flos uitalis coloris extinctus. Hoc quidem tota patitur facies, atque in tota cute, quæ faciem obducit ac frontem præsertim, squalor immoderatus conspicitur, adeo ut ex siccitate durefcant ac circuntendatur: non tamè possunt plurimùm producere palpebras, dormitâtibus similes, & qui dem sæpius conueniunt dormitantium more, non est autè eorum passio somnus, sed uigilandi impotètia. Contabuere etiã carnes quæ in temporibus sunt, ut collapsa uideantur & cõcaua spatia. Et quid aliud omnino sunt quæ ossa atque cutis, adeo ut si nudato corpore partes ad uentrem attinèntes aspicias, neque ex intestinis aut uisceribus aliquod superesse censueris, ac præcordia uehementer cõtracta uersus thoracè uideantur? Quod si eos tangere libeat, cutis quidem apprimè arida, quam si digitis apprehendens extruderis, instar pellis consistit. Pulsus autè tenuis, durus, ac debilis, & frequens. Caliditas autè, cum primùm manus admouetur, debilis est: paulo post uero acredinè atque erosionè quædam ostendit, ac magis cum plus tangendo immoraberis. Neque amplius reliqua cõmemorare oportet indicia, in re præsertim adeo manifesta. Præstat. n. ad incipiètem adhuc tabem rursus trãsserre sermonè. Dico autè tabem incipere quædo natua humiditas, quæ in unoquoque dispergitur corpore in spatijs particularum consimiliu intermedijs, ex qua primum nutriuntur particule, iam in cordis corpore aboleri periclitatur: donec. n. pars huius aliqua referuatur, solū febris hectica existit, nondū etiã tabida. Cū uero iam res eo periculi peruenerit, ut nihil iam ex tali humiditate superfit, tūc exquisita tabes existit. Est quidem omnium hecticarum febrium dispositio difficilis, ubi iam principij tempus præterierit. Determino autè principium, non dierum aut horarum numero, sicuti neque in alijs morborum generibus, sed ipsa dispositionis qualitate. Cū enim naturalis cordis temperies primùm euerit inceperit, neque natua humiditas protinus abolita est, neque uirtus plurimum laborat, sed primo fit uelut quædam efferuescentia humiditatis, quo in tempore facillimum est huiusmodi febrem sanare tanquam nihil adhuc uirtute perpeffa. Deinceps autem consumptio quædam efferuescentiam sequitur, hacque in longum iam protracta, ipsæ similes particule quæ sunt ueluti cordis elementa sicciore redduntur, atque inopia alimenti tenuiores, ac tantum uirtus laborat, quantum siccitas atque caliditas in ipso corde inualuerit, quædo earum altera exuperans, uirtutem imbecilliolem reddere potuit. Huiusmodi febris iam quodammodo ad utranque partem declinat, ac medium obtinet locum inter eam tabidam febrem, quæ penitus curam non admittit, atque illam de qua paulo ante diximus, quæ facillime in principio curari potest. Sunt uero & in hac latitudines multæ, quoniam & dispositionis ipsius multæ in eo quod magis ac minus, diuersitates. Quæ igitur æqualiter distat ab utraque, & ea scilicet quæ exquisitè tabida existit, atque illa in qua nihil est adhuc tale, medio quodã modo se habet ad curationem, dubio ad partes ambas inclinans momèto. Quæ autè tabidæ proximior existit, est etiã periculo uicinior, cū quæ alteri primæ magis adhæret, non parua salutis spè habeat. Deinceps igitè ad earundem dignotiones deueniendū, ac primū illius in qua facilis est remedio locus, nisi in aliquè de hac medicorum inciderit turba. Est autè ubi sola fuerit, haudquaquæ difficilis cognitu, alteri uero associata ex putredine humorum propter mixture iam difficillima redditur. Supponatur iam ipsa sola ex aliqua nuper dictarum causarum

SECUNDA CLASSIS.

E habuisse

habuisse principium, appareantq; in ipsa prima die omnia generis febrium ephemerarū indicia: simul igitur cum ipsis apparet & principientis causæ forma, quod etiam in progressu sermonis ostenditur. Sed etiā ex ægro interrogato addicere licet, si cetera quidem bene se habens, solum ob id quod supra modum fuit iratus, aut tristitia affectus, coeperit febricitare. Et si hæc uera esse inuenientur, febris autē ad diem sequentem extendatur, neq; ad quietem declinans, neq; magis inualefcens, ariditatem autem maiorem in corpore repræsentet: talem, heceticam fore suspicandum. Quod si usq; ad tertium diem sine cibo permanerit, dum tertianæ accessionis suspectas præterit horas, nihilq; effatu dignum priori accesserit febricitari, aut fuerit imminutum, sed quædam primæ febris exiguæ reliquæ tantūmodo procedant atque permaneant cum ariditate corporis & caliditate, quæ primo tactu mitis sentiantur, in processu uero temporis acris, mordax, atq; arida manui se offerat, huiuscemodi febrem heceticam esse existimandum. Maximum uero tibi atque indubitatum hoc erit eius naturæ indicium, si cibum homini obtuleris eo tempore, quo maxime omnes horas suspectas subterfugisse uideretur. Statim enim hora una aut duabus post acceptum cibum quicumq; agrotantem tetigerint, alteram febris accessionem adesse opinabuntur. Nec deerunt qui eos qui cibum obtulerint increpent, quod haud in tempore dederint, sed tunc cum futura accessio erat, & quod oportebat cibum in longius tempus differre, & quod annotatio tardius fit subsecuta. Res autem non ita se habet. Omnibus siquidem heceticis febribus hoc propriū & inseparabile adest indicium, allato cibo quidem caliditatem accendi, ac pulsū ad magnitudinē ac uelocitatem augeri, ita ut incōpressa annotatio facta uideatur. Voco autē annotationē incōpressam, in qua neque horror aliquis, neq; extremarū partiū frige factio facta est, neq; uolenti quædā dormitatio, neq; aliqua insignis pigritia, aut oīno inæqualitas aliqua uel in caliditate, uel in pulsu: adhuc autē magis neque paruitas, neq; debilitas, neq; horū aliquid aliud, sed quæadmodū & cuiuscūq; alteri ex cibo maior statim ac uelocior pulsus efficitur. Fit quidem aliquando & in quibusdam febribus aliis incompressus ascensus, atq; hæc quidem ratio non uideretur febrium heceticarum proprius & inseparabilis casus. At nō parum differt, si uniuersum horum indiciorum aceruum inspexeris, in omnibus siquidem febribus aliis huiuscemodi introitus præter cibum assumptū sunt, incompressi, in febribus autē heceticis res oīno contrario modo se habet, neq; penitus fit aliqua annotatio in tempore aliquo: sed est una febris continua, sicuti quæ proprio noīe synochus appellatur. At illa quidē quandā ueluti flammā plurimā admoventi manum habet occurrentem, præter id quod pulsus in ea maximi sunt: celerrimi, ac frequentissimi. In heceticis autem febribus, neq; multa occurrit caliditas, pulsusq; tanto minores, rariore, ac tardiores sunt his qui febribus synochis appellatis existunt, quanto etiam caliditas minor existit. Commune est itaq; omnibus heceticis febribus, quod pusilla ac semper a principio usq; ad finem sunt æquales. Proprium autem his quæ tibi coniunctæ sunt, est siccitas: quoniam sine siccitate sæpius heceticæ febres consistunt, cum nō trāsmutantur ad tabem, quæadmodum multis hoc tēpore in magna pestilentia contigit. A synochis igitur differunt, ut diximus, heceticæ febres. Ab aliis quæ incompressas habent annotationes, hoc maxime differunt, quod cōpressio aliqua oīno illis adest cū cibum assumpserint in accessionis principio, in heceticis post cibū assumptū ueluti quandā cōpressionis expertē annotationē fieri cōtingit, quæ nō est, ut paulo ante diximus, annotatio. Decipit autē eos qui circa huiuscemodi nō sunt exercitati ob caliditatis multitudinē, ob magnitudinē pulsuum ac uelocitatem. Manifestius autē die sequenti hæc febris agnosceretur, si diligētius obseruauerimus, quousq; post assumptum cibū in caliditate ac pulsibus alteratio facta perdurauerit. Nam quicumq; conspectui sunt obuia, eosq; manifeste alterata apparebunt, donec ex cibo digesto atq; apposito cordis siccitatem humectauerint. Deinceps ad pristinum habitum reuertetur, in quo antequam cibum assumeretur, cōspiciebatur. Si igitur alio in tempore cibo refeceris, eo qui sequitur die ac rursus die sequenti, in tēpore pariter diuerso, quod aio fieri uidebis, caliditatem. Ad aduētā, pulsus autē ut diximus alteratos. Id. n. eis contingere uideretur, quod in calce ac lapidibus calefactis: si enim aquam frigidissimā infuderis multo calidiores sentiuntur, nutriēte, ut uideretur, in ipsis humida substantia aridā caliditate. Sed quænā sit huius rei causa, naturæ rationū studiosos inquirere oportet. Quod autem ita fiat, cuiuscūq; uolenti ediscere licet. Si enim intra manus recipias calcis glebā eiusdem parui facies caliditate, quā neq; senties. Quod si ad terram deponas, atq; aqua perfundas, uidebis quā primum uehementē calefactam atq; ita feruentē, sicuti lebetes, quādo ingenti adhæserint flammæ, uapores etiā nō paucos ab ea ferri cōspicies, quod si etiā tangere ausus fueris, facile ex hoc deuri cōtinget. Adeo si ad sensus iudicium referatur, humida caliditas uires habet non parum quā sicca euidētior res. Siccam uero in heceticis febribus esse caliditatem, quas tabes consequitur, eo constat argumento. Nullus eorū qui habitu corporis præditi sunt humidiores, statim ab initio huiuscemodi febre correptus fuit. Sed quicumq; sunt natura sicciore, ac præsertim si una calidam habuerint temperaturam, uitamq; elegerint in laboribus, uigiliis, ac curis, uictuq; pauco, hos statim ab initio solet hecetica febris inuadere ex ira, uel tristitia, ac magis æstate, statuq; temporis calido & sicco, ac loco præterea cōsimili. Terminus autem earum principij est, cum eo tempore, quo solent ephemeræ febres in integram quietem desinere, ne dum istis tale aliquid non eueniat, sed insuper siccitas manifeste intendatur: tunc enim primum febrem euadens ephemeram, transcendit ad heceticam. Alter uero cuiusdam ueluti ipsius augmenti atq; integræ perfectionis terminus est tertiæ diei accessio. Si enim ut paulo ante dicebamus, neq; altera accessio superuenierit, neq; agrotus sine febre fuerit, aduēta insuper siccitate, tunc proculdubio

Ad libio hic hecetica febre laborat: quæ progressu temporis cito ad tabidam conuertetur, nisi bene curatur. Terminus autem permutationis eius ad tabem est, quando primum pulsus debilis simul ac durus fiat, statim uero & paruus, necessario hic idem est & frequens, non tamen propterea, febris est tabida, sed ob id potius quoniam debilis ac durus existit: debilitas siquidem uehementem sequitur cordis intemperiem, durities autem siccitatem. Si igitur huiuscemodi affectus cor occupauerit, hinc febre tabida necesse est animal laborare. In eandem uero incidunt febrem ex ardentibus atq; acutis febribus plures qui recte curati non sunt, ac præsertim qui cum aquæ frigidæ potu indigerent, præter id quod eam non biberint, nullum aliud refrigerans medicamen thoraci ac præcordiis apposuerunt. Si uero cū omni huiuscemodi auxilio caruerint, cataplasmata etiam ex melle, quorum nunc plurimus est usus, ultra modum adhibuerint, his expeditū est iter ad tabem, siue simpliciter febricitauerint, siue ex hepatis aut uentriculi inflammatione. Maxime enim horum uiscerum inflammationes, si non recta cura adhibeatur, insequuntur tabes adeo, ut pleriq; existimauerint eas nulla ex causa alia generari. Quos latet febrem efficere prius quā, ut dictum est, cor patiat. Incipit autē ipsi cordi hæc passio, nonnunquam quidem ex seipso, sicuti in excandescenti uehementibusq; tristitiis ac diurnis, nonnunquam uero ex ardentibus febribus: aliquando autem ex pulmonis ac thoracis affectibus, ac præsertim ex suppurationibus & phthisi: sicut autem ex his, ita ex hepate ac uentriculo, atq; ut simpliciter dicamus, ex oibus diurnis inflammationibus, quæ nobiliores partes occupauerunt adiuncta totius aialis ac præsertim cordis siccitate. Ego quidem uidi in laxioris intestini, Græci colon appellant, inflammatione diurna tabidam febrem fuisse secutam: itidem in similibus stomachi uescæ ac renum affectibus, nec minus a tali febre nonnulli sunt capti, qui dysenteriam patiebantur, cum scilicet intestina inflammatione laborarent in leuitate etiam intestinorum & longo profuuiio, alterum Græci lienteriam, alterum diarrhoeam appellant, cum scilicet uel ab initio statim uel progressu temporis febricula inuaserit, tabidæ febres consequuntur. Et ut simpliciter dicam, quando progressu temporis febricula inuaserit, tabidæ febres difficultate amouetur, acceperit. Quare & cum arteriæ circūstantibus partibus calidiores sentiuntur, maximum sunt heceticarum febrium indicium. Si quidē hoc illis nequaquam aliis aduenit in febribus: adhuc autem manifestus hic aduenit casus cum sunt loti, aut quouis alio modo elaxati, ita ut qua profuuiat humiditas, ac caliditas efflet. Tunc enim aliis partibus omnibus calor percipitur moderatus, ubi manifestus sensus, cum se pulsus attollunt, qui neq; ipsi in talibus perspirationibus permutatur, sed continue in eodem statu perseverant. Cum igitur sola per seipsam consistit hecetica febris, perspicua est, siue simpliciter hecetica siue etiam simul tabida extiterit.

De dignoscenda hecetica cui putrida febris coniungatur.

Cap. 10.

Alteri uero associata iam difficilius cognoscitur, sicut quæ nuper cuidā mulierculæ contigit, cuius eiudē curatio fuerat demandata, ut qui arbitrareretur, neq; principij aliquod sensibile febribus heceticis inesse oportere neq; incrementum, neq; consistentiam, tanquam non posset eisdem associari altera febris ex humorum putrefactione proueniens. At nos statim primis diebus in eadē muliere cognouimus. Vtraq; n. annotatio, & quæ interdū & noctu fiebat, partes quidem breues accessionis faciebat, & sæpius cum rore aliquo aut perspiratione uaporosa ita manifeste soluebatur, ut corpus in temperie positū tangentibus sentiebatur. Signa autē ex arteriis accepta, de quibus paulo ante sermo habebatur, semper remanebant, cū neq; similiter ut aliæ partes refrigeraretur, neq; celeritate aut frequentia motus amitterent. Quæ igitur & aliæ a nobis sæpius dicta sunt, nunc & dicentur, quod nō oportet accessionū circūcūctas ac similes proportionales solū in febribus aduertere, sed multo magis ipsius febris modū ac formam, atq; ex hac ipsas dignoscere febres, non aliter quā homines ex figura, & ex propria forma cognoscuntur. Sic & nos prima die sæpius febris formam cognouimus non expectata, aut tridua aut quartana aut quotidiana reuersione. Sed de his quidem satis in secundo de crisi libro dictum est.

Quibus indicij ephemeræ febres inuicem discernantur.

Cap. 11.

Dictum est autem nihilominus eodem in libro, quo pacto febrium ephemerarū differentia sunt cognoscenda. Scio autem me & hoc in libro fuisse professum, de ipsis aliquid annotare. Sed cum in memoriam reuoco, quod pauca quædam dicenda supersunt, præter ea quæ in eo libro cōscripsimus, alia quidem superfluum existimaui hoc in loco repetere. Hic igitur sola quæ in eo libro sunt defecta supplebo. Qui itaq; ex feruore Solis in febrem inciderint, his cutis magis ad caliditatem & squallorē, quā pulsus ad febrilem uergit dispositionem: nam & minus siccitatis sunt his qui æqualem habent caliditatem, & quamprimum manū admouetur, in eis uigens calor percipitur. Contra res se habet in his qui ex cute densata atque adstricta laborant, nam in his reaccenditur calor. At qui ex feruore Solis agrotant, his maxime caput deuri uidetur, plusq; ex balneis frigidis utilitatis ac delectationis recipiunt. Oculi quoque in his rubicundiores & calidiores simul cum siccitate uidentur, siquidem sine grauedine ac destillatione laborant. Nam hæc quibusdam Sole deustis accidere consueuerunt, sitq; in eis caput non solum calidum, sed etiam sanguine plenum, adeo ut oēs uenæ quæcūq; in oculis, & in tēporibus, & in fronte, & in tota sunt facie, supra modum extēdantur. Hoc etiam satis eos ab his qui

* alias artome
lite.

A.1.4.f.1.t.1.
c.38.C.p.771

ex humorum frigiditate febricitant, separat. Nam & hi quibuscunq; caput læsum fuit, grauedinibus ac E de stillationibus facile corripuntur. Eorum uero nonnullis febris solam capitis dispositionem consequitur. Magna uero ex parte tunc solū febricitant, quādo totum corpus supra modum alferit uel caluerit. Est uero minus calida cutis his qui frigiditate febricitant, corpusq; his maiorem præfert tumorem, nullus in facie squallor, qualis his qui ex solis feruore febricitant sine plenitudine capitis. Magna uero parte his solet caput repleri, nisi quis purum atq; materiæ inutilis expers corpus habuerit: solis si quidem his caput calefieri contingit, sine aliqua plenitudinis noxa. Illud tamen aliquādo usu euenit, ut plurimus calor deustum occupet caput, quāuis nulli plenitudini obnoxium. Hæc igitur dispositio ab altera quæ ex frigiditate consistit, manifestissimè differt. At quæ plenitudinē habet adiunctam, non facile discerni potest, ut quæ & cum grauedine assilat: qui etiam affectus frigefactis adueniunt. At quemadmodum diximus squallor atq; ingens cutis caliditas, ac quæcunq; alia diximus nuper, propria sunt eorum quos feruor Solis deussit: de quibus in methodo curandi plenius dicitur, & una de his omnibus febriū ephemerarum differentiis. Quarum dignotiones, cum in secundo de crisi bus satis a nobis fuerint explicatae, alteram hoc in loco explanationem nō exposulant. Sed hic finem sermonis faciemus, atque omnium deinceps quæ ex humorum putredine febres accenduntur, differentias assignabimus.

GALENI DE DIFFERENTIIS FEBRIUM

LIBER SECVNDVS.

Nicolao Leonicensi interprete.

ARGVMENTVM LIBRI.

Agit de differentiis putridarum febrium, ac de morbis qui ex humorum defluxione generantur.

Singulas putridas febres proprias sibiipsis causas determinare, neque ab una flaua bile fieri omnes posse. Cap. I.



A illud superest, ut febrium differentias quæ in humoribus acceduntur percurramus, si hoc unum antea admonuerimus, non sufficere ad generationem febrium, sicuti multi opinantur, si solum amara bilis, quam nonnulli pallidam, nonnulli flauam appellat, aucta fuerit ac exuperarit. Sic enim omnes qui morbo regio laborant, in maximas inciderent febres. In eis siquidem huiuscemodi humoris magna in toto corpore copia redundat, non tamen febricitant, nisi aliqua alia accesserit causa, de qua paulo inferius dicemus. Absurdum etiam putare in quartanis & quotidianis febribus, quæ exquisitæ sunt tales, acruatū esse bilem amarā non secus quā in tertianis, ac febribus quæ (ab incendio) causi appellantur. Nam ex aduerso in quotidianis febribus atq; quartanis, neq; uomitus biliosus, neq; sudores, neq; urinae, neq; deiectiones aliqua uestigia amaræ bilis ostendunt, præter id quod neq; aliquid ex his quæ antecesserunt aut simul adsunt, eiusdem humoris præbet testimonium. Nam tertianæ quidem febres magna ex parte in corporibus sunt, in quibus naturalis habitus biliosior est, atq; in consistentium ætate, quæ omnium maxime biliosissima est: tēpore etiam æstiuo præ ceteris, in quo huiuscemodi humor dominatur: in locis præterea quæ calidam atq; siccam habent temperaturam, ac in simili aeris ambiente qualitate uita etiam non ocio atq; quieti dedita, sed laboribus, curis, uigiliis, Solis incendiis, & ciborum parca- H ti assueta, eorum præsertim calidorum atq; siccorū usus: præterea medicaminum calefacientium atque exiccantium immodicus usus febres tertianas faciliter afferunt. Contra uero quotidianæ febres naturis in quibus pituita superfluit, sunt familiares, atq; ex omnibus anni diuersitatibus in hyeme præcipue, atq; omni temporum statu frigidiori atq; humidiori, in ætate senili ac puerili, in locis frigidis atq; humidis, uitaq; ociosa, quam crapulae comitantur, ac tum præsertim cum post cibos balneis utuntur, ac multo etiam magis, cum ipsi cibi naturam pituitosam habuerint, generantur. Neq; etiam hi amarā euomunt bilem, neq; per uentrem inferiorem aut urinam aut sudores excernunt, quod in febribus contingit tertianis. Hæc siquidem flaua bile putrescente fieri consueuerunt: at quotidianæ ex pituita, quemadmodum quartanæ ex atra bile originē habent. Sic igitur & corporū naturam sequuntur ad atram bilem procliuē, atq; ex ætatibus, declinantem, ex anni uero temporibus, aut finem. Sic & reliqua omnia quæ his proportionē respondent, ut cibi potusq; ac uictus uniuersus frigidus ac siccus quartanis febribus originem præstat. Quare & rigor qui utrūq; genus febris antecedit, haudquaquam similis est. At in tertianis quidē causam a qua prouenit, rei quodā modo pungētis ac ferientis sensum repræsentat, in quartanis autem ueluti refrigerantis. De ea autē quæ est rigoribus forma in libris de causis accidentiū abūde exposuimus. Vbi etiam eiusdem generis febrium diximus differentiam, quod ex ipsis quæ quidem sunt intermit-

A. I. 4. f. 1. r. 3. c. 1. p. 773. C

A intermittentes, (ita enim appello quæcunq; ad sensibilem infebri citationem perueniunt) ortum habent ab humore febrem generante, qui per omnes corporis partes suo motu defertur. In continuis autē humor in uenis continetur inclusus, de quarum dignotione in secundo libro de crisi bus tractauimus.

Communes differentie febrium simplicium putridarum.

Cap. 2.

Intermittentium igitur tres sunt omnes numero differentie, quotidiana, tertiana, & quartana: quotidiana quidem ex pituita putredine, ex utriusque uero bilis, flaua quidem tertiana, nigra autē quartana. Continuarum autem, quæ ex flaua bile proueniunt duplex est species, altera earum quæ a continuo feruore, J synochæ appellantur, quarum uniuersum tempus in una consumitur accessione, quæ a principio usq; ad finem pertingit: altera earum quæ idem cum genere nomen sortiuntur, & cōtinuæ appellantur, atq; in pluribus particularibus circuitibus continentur. Earum igitur quæ synochæ dicuntur, tres sunt omnes numero differentie: nam quædam earum a principio usq; ad finem æquales perdurant, quædam paulatim augentur: tertia species paulatim decrescit. Vnde & nonnulli primas quidem homotomas atque acmafticas, hoc est in eodem statu & uigore perseverantes nominarunt: secundas anabaticas atq; epacmafticas, hoc est assurgentes atq; inualescentes dixerunt: tertias autem paracmafticas, hoc est decrescentes appellarunt. Continuarum uero duæ sunt primæ differentie, nonnullarum quidem quæ B singulis terijs diebus inualescunt: aliarum uero quæ die intermedio alteram faciunt accessionē. Hæc igitur nullum præcipue obtinent nomen. At quæ tertio die inualescunt, ego quidem nominare consuevitritæophyes, hoc est tertianarum naturā referentes nō tamen prohibeo quin pro suo quisq; arbitrio alterum eis nomen imponat, modo rerum obseruet differentiam. Alia siquidem est differentia cum ad infebri citationem terminantur, alia cum in declinationem febrilem desinunt hæ, quæ per tertiam diem febres accenduntur. Est præterea alia febris natura quæ in medio accessionem facit: nullam tamen ex his hemitritæum uoco: non uero autem si quis uelit ita nominare, modo hoc tantum ab eisdem obseruetur, ut nullam febris speciem prætermittant, sed omnes deinceps quemadmodum ego nunc institui recensentur. Nam quæ & in die intermedia faciunt accessionem continuam, nonnullæ quidem in quotidianarum figura progrediuntur, duas inuicem accessiones simillimas facientes: nonnullæ uero duas dissimiles habentes, primæ quidem tertiā omnino simillimā obtinent: secundæ autē quartā, in figura duarū tertianarum progredientes. Hæc igitur ex bilioso magis, altera uero quæ singulis diebus similem accessionem faciunt, ex pituitoso magis humore consistunt. Est & tertium genus febriū cōtinuarum, quæ per raro tamē eueniunt, quarū accessiones quartanarum figuram progredientes ostendunt, neq; in infebri citationem terminantur. Sicuti autē febris tertiana aliquādo fit duplex, aliquando triplex: ita & hæc non C modo duplex, sed etiam triplex euadit. Hæc quidem febrium complexionones sunt eius quæ de typis (id est de febrium figuris) propriæ tractationis.

De exquisita tertiana febre dignoscenda.

Cap. 3.

Quæ autē ex humoribus simplices febres acceduntur, tot numero sunt quot nuper a nobis sunt explanatae. Ex earum autē cōmitione, alia quædam generantur, de quibus deinceps dicemus, si prius his quæ simpliciter consistunt, quod deesse uideretur, adiunxero: quod uidelicet quæcūq; febris exquisitā simplicitatem serauerit, formā unam quandam ueluti regulam obtinet eorū quæ nunc sunt a nobis dicenda: quæ uero aliquo modo ab ista defecerit, tantū etiam a febriū simplicitate recedet. Nam quæ ex flaua bile per sensibiles corporis partes delata oritur febris, cū rigore inuadit, atq; causodes est, & bilis uomitibus, aut eductionibus, aut sudoribus, uel scilicet ex horū quibusdam uel omnibus, soluitur. Huius febris accessio duodecim ad summū horarū æquinoctialium spatio finitur, eandēq; tertianā exquisitam appellamus, quæ in temperatura laborantis biliosa, & tēpore anni & staru ac regione & uictu calidis & siccis consistit. Diximus autē & paulo prius alia omnia quæ ad eius generationē cōueniunt. Breuior est autē aliquādo prædicto spatio tēporis accessio, in eo quod magis ac minus plurimā habens differentiam, aut propter quantitatem uidelicet & qualitatem ipsius bilis, aut propter laborantis uigore, aut propter D præsentem eo tempore corpori patienti dispositionem. Nam multa bilis quā ea quæ pauca est longior affert accessionem, tenuis autem quā crassa, breuiorē: sic & uigor maior quidem breuiorem, imbecillior uero longiorem. Corporis autem dispositio rara quidem breuiorem, densa uero longiorem. Tempus autem in hac febre intermissionis, nullum habet humoris putrescentis expulsi perceptibile indicium in die aut in nocte quæ consequitur accessionem: cum uero parumper succenditur, uix agnosci potest in primis diei aut noctis subinde sequentis partibus, manifestius autem iam circa finem eiusdem diei uel noctis, adhuc uero manifestius proxima quæ antecedit uidelicet accessionis diem uel noctem: in illa uero iam signum euidentius apparet, ac multo etiam magis accessione iam incipiente, atq; adhuc plus iam inualescente febre. Cum uero iam consistit, minus quā cum augebatur, multo uero minus ubi iam declinat. Huiuscemodi febrem, si appellare libuerit exquisitam tertianam, nomine utris antiquo: si minus, mihi saltem liceat manifestioris doctrinæ gratia ita nominare.

De quotidiana febre.

Cap. 4.

Est autem & altera exquisitæ simplicitatis febris, quæ ex pituita putredinosa ortū habet per sentientes corporis partes a natura detrusa. Incipit autē ab extremorū frigefactione atq; horrore potius quā rigore, ac cū difficultate accenditur calor, ac longū consumit tēpus dum inualescendo peruenit ad summū. Quoniā uero is ex quo constituitur humor frigidus est & humidus in tēperatura, lætus autē

A. I. 4. f. 1. r. 1. c. 4. p. 775. A

SECUNDA CLASSIS.

E 3 ac

ac tenax in consistentia: idcirco ægre accenditur, ac tarde mouetur, sæpiusq; in foraminibus retinetur. E Opprimit autem atque aggrauat aliquando uirtutē. Hinc inæquales, ac debiles magis paruosq; efficit pulsus quamprimum febres inuadunt atq; inualescunt. Fiunt autem & in biliosa febre in accessionum principis singuli quos diximus circa pulsus affectus, at in illa statim desinunt, aliaq; & inæqualitas que plerūq; tali febre inuadente non adest: ac postquam cessauerit rigor, nō multo post calor accenditur, ueluti ignis effulgens purusq; omnis fumosa fuliginis expers. At pituitosi humoris caliditatem igni fumido in lignis uiridibus accenso non male assimilaueris: idcirco parua in eo uacuationes, & accessionis spatium longius producit: neq; intermissionis tempus est adeo, ut in tertiana syncerū, sed humoris putrefacti semper in calore & pulsibus seruat indicium. Manifestissime autem & in hac febre in inuasionibus atque incrementis accessionum, signum putrefactionis apparet. Attamen cum exquisite suam naturā seruauerit, plerūq; uidetur puram intermissionem habere. Et nos quoq; hoc idem non raro fate mur, cum nimium diligens sermo fuerit intēpestiuus. Hæc aut naturas consequitur corporum, & tempora, & loca, & status, artesq; & uictus rationem, aliaq; omnia pituitæ consentanea. Singulis autē diebus accenditur, quāuis minus calida sit quā tertiana, quæ biliosa est. At illa cum & humorem habeat accessioni opportunum, & facile subinde propter subtilitatem quicquid ex eadem efferbuerit, totum in accessione expurgatur, ad puriorem quandam infabricationem terminare uidetur, postq; accessio nem breue aliquod putridæ caliditatis uestigium relinquere. Quæ autem ex pituita febris accenditur, in accessionū declinationibus integre nō expurgatur, neq; parū relinquit eius, quod ueluti succendi uidetur: hinc ergo eius intermissio longe deterior, ac secundæ accessionis festinantior est inualio.

De quartana febre, & quod rigor nonnunquam sine febre persistitur.

Cap. 5.

Tertium febrium intermittentium genus est exquisita quartana, quādo ex solo atræ bilis humore generatur, qui frigida ac sicca constat temperatūra. Succenditur autem paulatim ueluti lapis aliquis, aut testa, aut os, aut tale aliquod huiuscemodi corpus frigidum & siccum. Vbi uero aliqua ex eo flāma fuerit accensa, nihil humidū aut semicōbustum in accessione relinquit. Atq; idcirco in hoc humore copiosiores sunt euacuationes quā in pituita, atq; intermissio exquisitæ pura uidetur: quoniam & hic quicquid atræ bilis fuerit accensum, exhaustur atq; dispergitur. Idcirco & in eis talis est rigor, qualis his qui uehementi gelu frigescūt, haudquaquā ei similis, qui a sole perustis aut lassis, aut ex medicaminibus aliquando calidis, aut cū super ulcera ponuntur mordentibus, fieri consuevit. Necesse est autem hanc febrem antecedere, quæcūq; atræ aggregant bilē in uitæ exercitiis, ac totius uictus ratione, & tēporis statu, & parte anni, ac regione: sic & laborantis naturā & ætatē atræ bile abundare. Huius autē febris accessio tēporis spatium est similis tertianæ, nonnunquam & longior, cū adhuc exquisita perferuat, G ut quæ ex frigidiore humore cōsistit. Eadē uero in hisce febribus atq; aliis oibus est causa quæ differentiam facit lōgitudinis accessionum, quemadmodū paulo ante diximus in exquisitis tertianis, ex multitudine humoris, ac qualitate, uigore insuper atq; imbecillitate potētiæ, ac præterea ex ipsius ægotantis dispositione diuersitate assumēs. Nam & alia oīa proportione respōdent his quæ ex amara bile accenduntur. Si igitur neq; putrescat, neque uehementer per partes sentiētēs deferatur atræ bilis humor, nunquā efficiet quatruiduā exquisitæ circuitū. Et quidē regij morbi passionibus, diuturnæ & melan cholicæ splenis imbecillitates & colores in toto corpore foedi, herpetibus etiā atq; erysipelatibus, quæ ex flaua bile consistunt, cancri & phagedæne correspondent. Neq; in his uero, neq; in atræ bilis morbis necessario febricitant, nisi prius atræ bilis putrescat. Semper enim suis natura uiribus utens, quicquid optimum fieri contigerit his quæ aluntur partibus, assimilare: quicquid uero alienum, excernere conatur. Quod si aliquando ob crassitudinem, aut multitudinē, aut tenacitatem materię inutilis, aut aliquā meatuum obstructionē, aut propter sui imbecillitatē totum, quod est uitiatū nequeat expellere, necesse est, ut si id diutius in animalis corpore perdurauerit, corrumpatur. Neq; enim fieri potest, ut aliquis quispiam ex humoribus talis permaneat, qualis erat ab initio, nedum qui ita deprauatus, ut naturæ cultum non amplius suscipiat. Sed alterum omnino sequitur, ut si concoquatur, apponatur, atq; affine. H tur solidis partibus animalis, aut corrumpatur, & putrescat. Sic, n. his qui morbo regio atque atræ bilis passionibus infestantur, quando biliosi humores superabundantes diutius corpus obsederint; febres superueniunt. Sæpius etiā aut hepatis aut splenis affectis attulit febrem, quādo: s. hæ, quas diximus nuper passionēs, aut ex inflammatione, aut obstructione contigerint. Eadem quoq; ratione & in pituita humore redundante nō accenditur febris, nisi prius putruerit. In hoc aut uisum est sæpius id quod antiqui impossibile arbitrabantur. Est autem hoc sine febre rigor, quod nonnullis quidē accidit semel; nonnullis autem per uicēs interpellans multorum spatium diērum, uel a principio usq; ad finem cōtinuatur: aut uidelicet est ita omnino exiguus, ut neq; adesse uideatur, eum se quieti tradiderint, sed cum moueri ceperint, tunc demum eum sentiunt; aut tantam uim habet, ut sit et sine motu molestus. Sed quando huiusmodi in tempore humor putruerit, non modo rigent, sed etiam febricitant. At quæ tales sequitur dispositiones febris, est ualde diuturna & difficulter solubilis in quotidiana figura progrediens.

De febre hepiala, ac de pituitæ generibus.

Cap. 6.

EX hoc igitur genere est & febris ea quæ proprie uocatur hepiala, quādo simul febricitat & rigent atq; eodē tēpore in toto corpore utruinq; sentiunt affectū. Archigenes quidē nulli id nōmen unquam alteri rei accommodari arbitrat, nisi huius febris tantummodo: uidentur tamē & Artici quidam eum

Acum etiam rigorem qui febrem antecedit, ita nominare. Vitreum uero huiuscemodi humorem Praxagoras uidetur uocare. Iuniores autem, e quorum numero est Philippus, simpliciter crudum, nullum aliud nomen adicientes, ut exquisitius distinguant. Est autem & ipse species quædam pituitæ, ut qui satis frigidus & tenax sit: quicunque enim frigidus atque humidus humor existit, ad pituitæ appellationem reducitur, si Hippocratem omnesque non modo præcos medicos, sed alios etiam Græcos in nominibus imitari uelimus. Prodicus siquidem in libro de hominis natura in hoc nomine præuaricat ab admirabili quodam ueridico persuasus: sed hoc tempus non suadet ad huiuscemodi disputationes sermone diuertere, cum alterum eisdem tractatum addixerimus. Quare rursus ad propositum reuertamur. Quicunque humor natura frigidus atque humidus fuerit, hunc nos pituitam appellamus, tu uero si libeat scindapson nomines: adeo est mihi parua nominum cura. At non te lateat plures esse huiuscemodi humoris differentias. Vna siquidem eius est species frigida, adeo ut cum loco calido obstruitur, dolores maximos excitet, sæpiusq; multa laxioris intestini incommoda, hoc humore acuti clysteris ui euacuato, statim sedari contingit: hic uero humor uitri liquefacti similitudinem gerit. Est & alia pituitæ species, quam plerique cum sreatu expuunt, sensibilem habēs dulcedinem. Liqueat autē quod hanc exquisite frigidam non contingit esse, si quidem eorum meminimus quæ in libris de simplicibus medicaminibus diximus. Est & tertia alia pituitæ species, quæ expuentibus uidetur acida. Est autem minus frigida quā uitrea, magis uero quā dulcis. Sicuti & altera species est salia, aut propter putredinem, aut propter salia serosa humiditatis mistionem. Ex qua si quos febricitare contingit, superueniente accessione non rigent, sed tantummodo horrent. Acida uero ac uitrea, si per sentientes corporis partes deferatur, sine febre rigores generat. Quod si modica aliqua in ipsis fiat putrefactio, febrem hepialam appellatam inducit. Quod si uehementius putrescant, rigor quidē antecedit, febris uero sequitur superata frigiditate a multitudine caliditatis, adeo ut dum febris inualescit atque consistit, minime sentiat. Forte autem & uitrea pituita acidæ qualitatis est particeps, adeo ut eius differentia tres sint numero uniuersæ, acida, dulcis & salia. Minime uero dulci pituita putrescente febrem rigor antecedit. Quispiam uero fortassis neque simpliciter, neque a simplici causa huiusmodi febres fieri arbitraretur. Siquidem totum id quod ex pituita putrescit, febrem accendit, reliquum uero quod nondum putrescit, cuius causa rigescunt, non eandem habet cum putrescente qualitatem. Si igitur ab hac quidē rigor, a putrescente febris generatur, duplex semper aderit causa. Contingit uero & hic febrem quidē ab altero causæ genere dicere fieri, rigorem uero utpote alium a febre, ab altera, ut qui non sit, quod febris: per febrem namq; tertianam flaua bilis rigorem efficit ac febrem. Sed hæc quidē logicam magis habent quæstionem.

De complexionē tertianæ febris cum quotidiana, ac de semitertiana febre.

Cap. 7.

Iam uero tempus est ut ad propositum institutum reuertamur. Si pituita putrescēs, ex qua febrem illam quæ singulis diebus accessionē facit, accendi dicebamus, miscetur amaræ bilis humor, ex quo tertiana gignitur febris, duplex iam causa ac dispositio coniungeretur. Alter si quidem humor affert quotidie accessionem, alter uero tertio quoq; die: itaq; alter quidē dies duas habet accessiones, alter uero unam tantummodo, nisi accessionum tempora in eisdem horas conueniant: si enim conueniant, fiet una febris cōfusā, quæ neq; puræ tertianæ, neq; quotidianæ formā præ se fert. Quoniā uero utriusq; febris duplex est species, quatuor ex ipsis fient complexiones. Vna quidē in qua tertiana quotidianæ intermittenti commiscetur: altera uero in qua tertiana quotidianæ continuæ coniungitur. Et tertia in qua quotidiana intermittens tertianæ continuæ miscetur. Quarta in qua permiscetur quotidiana cōtinua tertianæ continuæ. Harum uero nuper dictarum complexionum omnium duæ sunt differentia, cum aliquando quidē in eandem horam accessiones occurrant, nonnunquam uero diuersis temporibus superueniant. Sed hæc quidē cognitu faciles sunt, nisi quod aliquando intermittens ignoratur ab inexercitatis ea ratione, quoniam ægotus nunquā a febre liberatur. At formam accessionis inspicere oportet, quemadmodum in secundo de crisi bus plenius edocuimus, atq; inde, nō aut ex periodorum simili proportione cognoscere febrem. Supponatur. n. cuiuspiam accessionem incipere circa primam horam unā cū rigore, qui uidetur pungere carnes laborantis, deinde ubi alia oīa tertianæ febris indicia usque ad consistentiam processerint, post modum cū bilis uomitu atque optimis sudoribus declinare, ac iam. ix. diei horam adesse, unde ex totius accessionis motu coniecturari possumus hora. xi. ægotantē, febris intermissionem habiturum, talem uidelicet qualem in periodis nominare consueuimus. Dum uero in hac spe sumus, subito retineri sudores, densata scilicet tantummodo, uel etiam horrescente cute, ac subinde principium, ascensum, consistentiam febris continuæ, qualis ex pituita accenditur, sequi. Sic enim & duplicem causam ac duplicem febrium speciem cognoscemus, mista intermittente continuæ quāuis nulla intermissio deprehendatur. Secundo etiam die sperandum est hora nona accessionem futuram: quod si expectationi nostræ res ipsa respondeat, omnino etiam die tertia itidem febricitante adhuc ægotato, tertianæ febris accessionem hora prima superuenturam sperabimus. Quod si aut peruenerit, aut tardior fuerit ea, quam secundo die circa horam nonam fore speramus accessionem, aut tertio circa primam, non amplius diebus sequentibus, aut nonam aut primam expectabimus horam: sed tanto prius siue posterior, quanto in primo periodo similitudo proportionis accessionem aut tardasse, aut accelerasse monstrauerit. Quæ uero ex duabus febribus citius sit finem

habitura, ex earum specie & forma, atque ex accessionis prolixitate ac magnitudine, more præterea, E ac motu, & reditu periodorum, prout celerior aut tardior extiterit cōiecturandum. Adhibēda in super alia quæ superuenerunt indicia cōctionis aut cruditatis morbi totius, ex quibus maximam uim habent quæ in urinis apparent, de quibus omnibus sufficienter in libro de crifibus tractauimus. Si uero quotidiana continua tertianam intermittentem, quæ prima inceperit hora, non nona, sed aut quinta, aut sexta apprehenderit hora, adhuc difficilior cognitio fit plerifq; his medicis, qui talem contemplationē contemnant, neque scire curant an una sit febris an duæ, & qualis nam sit utriusq; natura, ut uero qui nihil horum intelligant, non modo ignorant, quo pacto curare oporteat has febres, quarum nullam habent notitiam, sed nesciunt etiam utrum die sequenti suspicandum sit de hisce horis ambabus, quæ in primo die accessiones attulerunt. Ego uero sum mihi conscius, quod sepius ex diuinatrice quadam arte potius quàm prænoscenti scientia medicinæ propria, uisus sum eisdem coniectura affectus futuræ accessionis insultum. In hac igitur ipsa de qua nunc agimus mistione tertianæ cum quotidiana, uidi aliquando circa primam horam exquisitæ tertianæ inuadere accessionem, in sexta autem illius quæ a uenioribus medicis proprio nomine cathemerina, id est quotidiana appellatur. Ita enim uocare consueuerunt eā febrem quæ singulis diebus accenditur, neq; ullam habet intermissionem. Ego uero solitus sum eandem febrem amphimerinam continuam nominare, nam cathemerina uocabulum nusquam apud Græcos scriptum inuenitur: omnem uero rem quæ quotidie eodem fiat modo, amphimerinam uocant. Verum, ut inquit Plato, non est habenda de nominibus cura, quibus tot ac tantarum rerum inuestigatio proponitur. Vocetur itaq; manifestioris doctrinæ gratia, quæ quidem singulis diebus accenditur atque intermissione finitur, amphimerina, id est quotidiana simpliciter, nulla alia sermoni facta adiectione. Quæ autem intermissione non habet, quotidiana cōtinua dicatur. At liceat etiam si quis uelit, alteri addicere, intermittens. Eodem modo in tertiana statuatur: altera quidem eius differētia simpliciter tertiana dicatur, aut tertiana intermittens: altera uero tertiana continua. Contingit etiam hanc ipsam sine aliqua adiectione, tertianam * simpliciter ita nominare, quod & ab aliquibus uideo obseruari. Sed non oportet de nominibus prolixius disputare, sed potius ad propositi nostri institutum reuertamur. Adolefcens enim in quo factam dixi complexionem tertianæ cum quotidiana continua, mane quidem in prima hora rigorem pati cepit exquisitæ tertianæ familiarem, aderantq; alia omnia eiusdem febris indicia usq; ad horam. vi. & repentinus uomitus biliosus, & multus, & uentris deiectio copiosa, & hæc ipsa biliosa, & pauci sudores, inter quos statim homo contraxit se atq; horruit, ac subinde incipiente annotatione, pulsus erat paruus, inæqualis, deinde usq; ad horam. xi. cum paulatim adhuc succenderetur, plura quidem signa habebat annotationis propria, paucis tamen intermissis augmenti indicis. Hinc uero usque ad quartam noctis horam, febris certissime intendebatur, deinde quantum sensu percipi poterat, usque ad. vi. noctis horam in eadem magnitudine persistebat, mox iam manifeste declinabat usq; ad diei sequentis horam. iij. In hac enim iā & contrahebatur, & annotationis signa ostendebantur, refrigeratis iam extremis partibus, paruusq; existente pulsu, & iam ad uesperas usq; intendebatur paulatim, neq; horrorem, neq; inæqualitatem aliquam præ se ferens: deinde rursus in summo consistebat circa quartam noctis horam. sexta uero manifestissime cepit remitti. Quod igitur tertio die hora secunda quotidianam annotationem expectare oportebat, in ambiguo non erat, non tamen utrū tertiana eandem horam esset seruatura, satis constabat. Hora igitur secunda accessio superuenit horrida, quæ celerius ea quæ in primo, & secundo die quotidianæ continuæ facta erat, inualescens usque ad horam quintam. Aliud rursus ab ea quæ post quintam est hora fecit initium, in quo aderant omnia similia his quæ in secunda hora contigerant accidentia. Hinc uero rursus promptius inualescens usq; ad horam octauam, denuo in eadem horruit, ac paulo post accrescens accessio expedite ascendebat, adeo ut hora noctis quarta iam ad summum peruenerit. Et quid aliud hoc erat quàm accessio exquisiti hemitritæ, duabus eadem hora inuadentibus febribus? quoniam quotidiana duabus horis celerius, tertiana autem totidem tardius accedebat, adeo ut quicumq; facultatem haberet febrium figuras agnosceret, di, tertianæ ac quotidianæ continuæ accidentiā in unum confusa, manifeste deprehenderet. Nam cum tertianæ insultū rigor comitaretur, quotidiana autem sine rigore inuaderet, mista ex utraq; febris horrorem continuo afferebat, rem quidem rigore minorē, maiorē autē refrigeratione, tātōq; hac ipsa maiorem, quantum a rigore magnitudine superatur, adeo ut cū ab utroq; extremo æqua distet proportione, horror medius inter ambo rigorem scilicet & frigefactionem collocetur: quod quidem maxime fieri consuevit, cum extremitates confundantur. Non ab re igitur inditum est huic febrī nomen hemitritæ i. i. semitertianæ. Nam ex quotidiana continua & tertiana intermittente tota eius natura confusa, dimidiam partem utraq; ex dictis febribus retinet. Sicuti igitur semiasinus & semideus nomen tale sortiuntur, ita & hemitritæus. Semiasinus enim cum ad eius generationem pro altera parte asinus, pro altera equus conueniant, ex una semiasini nomen accepit. Semideus dimidia quidem parte Deus esse monstratur, cum uero alteram hominis habeat, hæc in nomine omittitur. Sic & hemitritæus dimidiā sui ipsius partem habet tertianam, alteram autem dimidiam, quotidianam continuam. Duplex autem in ipso generationis modus, uel scilicet duabus in unum tempus, quemadmodum dicebatur nuper, conuenientibus accessionibus, quia altera quidem præueniebat, altera autem differebat: aut statim ab initio ambabus inuicem confusis. Quæ igitur sit in unum tempus conuenientibus utraq; accessione, unam

* Descriptum.

† alias ex
cis, frigidio
bus factis
tremis eis
partibus.

A unam tantummodo habet hemitritæ naturæ accessionem: altera autem omnes a principio ægritudinis usque ad finem, quæ maxime atq; præcipue ab omnibus febribus hemitritæ appellatur. Sed de hoc paulo posterior a nobis dicitur propter Agathinum, atque Archigenem præsertim. In adolescēte autem, quem nostra narratio supposuit, cum tertia die huiusmodi accessio facta esset, quia in unum tempus conueniebant ambarum febrium inuasiones, quoniam quotidiana quidem duabus horis semper præueniebat, tertiana autem differebat, die quarta accessio sole oriente inuasit, formam exquisitæ quotidianæ ex pituita præ se ferens. Erat autem secundum proportionis similitudinem quinta ab ipsa accessio circa decimam noctis horam principium factura, quoniam duabus semper horis celerius inuaserit. Tertianæ autem ex bile febris accessio tertia ab initio, die quinto hora. iij. erat inuasura, adeo ut inter duarum febrium initia. vj. horarum spatium intercederet, quod & factum est. Nam circa quartæ noctis horam decimam inuadente accessione, quæ febris ex pituita seruabat imaginem, atque hoc modo usque ad quartam diei horam progrediente, ubi febris tertiana mediocrem rigorem secum afferēs eidem coniuncta fuit, mistam subinde formam gerens accessio, biliosa scilicet febris ac pituitosa: sequēti nocte circa horam. viij. pituitosa febris incipiens exquisita, ac sola totam diem subsequentem ordine sextam occupauit: deinde cum media nocte declinasset, aliud subinde eodem modo fecit initium: B deinde cum reliquam dimidiam noctis partem usque ad meridiem diei septimæ obtinuisset, postmodū iam ueluti declinabat. At eandem excepit tertiana, quæ cum rigore inualit, quemadmodum exquisita tertiana cum rigore inuadere consuevit, atque cum alia omnia secum eodem modo certissima afferret indicia, uomitus bilis inuexit, atque alui excrementa biliosa, & urinas optimas, ac cum iam ad uesperasisset, breues quosdam ueluti sudores. Adeo ut quicumque febrium species didicisset, ei aperte indicaretur eam remitti ac declinare, neque ultra unam aliam periodum, aut ad summum duas debere protendi. Nam & in ea declinatione erat quies admirabilis, qualis ante uisa non fuerat, donec ad quartā noctis horam peruentum est. In illa etenim febris quæ etiam ex pituita ortum habebat, ac quotidie accessionem faciebat, cum duabus anticipasset horis, inuasit. Cumq; totam noctem occupasset, ac totum deinceps diem, rursus in secunda hora noctis octauæ aliud fecit initium, cumq; eandem pariter noctē totam occupasset, sequenti die quæ nona erat declinauit. Eodem uero die circa horam. viij. quoniam duabus horis tardius inuadebat, futura erat tertianæ febris accessio, sed tūc hora nona superuenit, hoc ipso etiam se declinare significans. Sole autem occidente ei se affociauit febris ex pituita more suo anticipando, & cū noctem illam obtinuisset, diemq; sequentem, hora. x. diei decimæ iterū inuasit. Deinde die. xi. rursus hora octaua, exquisitæ referens pituitæ naturam: deinde prima noctis hora tertianæ febris, quæ quatuor tardauerat horis, horrida accessio facta est: deinde sexta noctis hora alius biliosus excreuit, ac quidem per uniuersum corpus ueluti sudores exhalarat, post quos tota declinatio fere ad infebritationem peruenerit, neque iam in ambiguo erat quin tota febris tertiana omnino desisset: sola autem ea quæ ex pituita ortum habebat, remanserat, quæ & ipsa iam remitti incipiebat. Hac igitur ratione die. xij. non amplius anticipauit accessio duabus, ut antea consueuerat, horis, sed hora. vij. inuasit: neq; die. xij. sexta superuenit hora, sed illa etiam septima hora inuasit, quietem effatu dignam, ac declinationem ostendens. Quartadecima uero die eadem declinatio melior admodum successit, ac hora nona accessio facta est. In urinis autem erant insignia cōctionis indicia, solutionem ægritudinis in die decretorio succedente futuram præmonstrantia. Sed hoc præsentis sermonis non interest, nisi obiter dicere. Quod uero sapius commiscetur diuersorum generum febres, & biliosa pituitosa, & intermitentes cōtinuis, quæ a multis medicis ignorantur, satis hic de quo nuper scripsimus, egrotus ostendit.

De dignoscenda exquisita & non exquisita semitertiana, aduersus Archigenem

& Agathinum.

Cap. 8.

Sed quoniam & de his satis dictum est, rursus ad id redeo, de quo paulo ante est a me sermo dilatus. Febris igitur, quæ ex tertiana & quotidiana continua composita est, quam hemitritæum appellamus, aut flauam bilem habet exuperantem, atque ob id in eo sunt tertianæ febres accidentiā maiora: aut hic quidem paucior, pituita uero abundantior, atque idcirco quotidianæ continuæ affectus firmiores: aut neuter horum alterum uincit, sed ambo æquipotentes existunt. Quo tempore est exquisitus hemitritæus, talem formam representans, qualem de eo Hippocrates manifestauit, cum in primo Epidemiarum in hanc scribit sententiam: Erant uero eorum plerifq; passionis huiusmodi, febres horridæ, continuæ, acutæ, omnino quidem non intermittentes: modus uero erat hemitritæus cum alterā diem leuiorem ferret, altera uero inualesceret, ac summam in acutiem auergerentur. Dixit autem horridas non simpliciter quæ cum horrore inuadunt, sicuti hoc innumerabilibus accidit febribus, de quibus deinceps uerba faciemus: sed in quibuscunq; magnam accessionis partem horrores assumunt, altera dierum scilicet in qua & tertiana, & quotidiana continua simul inuadunt: nā altera dies solam habet quotidianam, magna uero ex parte dierum prima mistam ex utrifq; committit febrem: secunda uero ex pituita continuam. Contingit autem nonnunquā hanc primo inuadere die, secundo uero ambas simul. Accessio igitur ex utrifq; commista, quando humores fuerint æquipotētes, talis est qualē paulo ante descripsimus hemitritæon. Cum uero tertiana præualuerit, horridior fit febris, atque in annotatione sibi aliquid rigoris affociat. Confestim uero & feruidior est huiusmodi febris, & incendij plus habet, magisq; festinat ad summum, & aliquid bilis per uomitum aut per aluum, aut per sudorē excernitur.

nitur. At cū altera ex pituita febris potentior existit, tūc frigus uehementius extremas occupat partes, E
horroreſq; pauci ſiūt, & pulſuū ſit compreſſio maior ac diuturnior, tardiuſq; acceſſio inualeſcit, ac lon-
gum poſt tempus coſiſtit, non tamen aut ſitim, aut magnum affert incendium, neq; in ea per uomitum,
aut per alium, aut per ſudorem bilis excernitur. Hanc quoq; duarum febrium miſtionem Archigenes
anima diuertit uideatur, minus tamen recte atq; perſpicue, quemadmodum in ſeptimo commentario-
rum quos in tractatu Archigenis de pulſibus ſcripſimus, eſt a nobis oſtenſum. Arbitratur igitur Archi-
genes in hemitritæis aliquando febrem præualere tertianam, aliquando quotidianam, non tam æqua-
lem earum miſtionem, quæ ſola exquiſitum hemitritæum conſtituit, aut intellexit, aut in ſuis ſcriptis
oſtendit, uerum omnino prætermiſit. Nam cum æquales magnitudine fuerint, & febris ex bile inter-
mittens, & ex pituita continua, acceſſionis initium ſit cum horrore, qui medium inter rigorem & frige-
factionem obrinet locum: quorum alterum tertianam febrem, alterum quotidianam comitatur. Cum
uero ab inuaſione inualeſcit tertianæ quidem ratione, cito caleſcit, ac feſtinat ad ſummum, at propter
quotidianam ex pituita tardatur, atque in aſcenſu retinetur nonnunquam atque interrumpitur. Eſtq;
inter uarios affectus ueluti pugna quædam, cum æger nonnunquam inualeſcente febre tertiana, atque
ad cutem humores impellente uehementius caleſcat. Contra uero remorante, atq; ad interiora reuocā-
te ipſius motum febre quæ ex pituita ortum habet: ut quæ tardi ac difficilis motus, frigidaq; ac lenta F
exiſtat natura. In hoc autem certamine cum humor frigidus ſuperauerit ſyſtolæ. i. ſummiſſiones, hor-
rores, atque extremarum partium & cutis refrigerationes ſequitur, adeo ut uideatur altera ruruſ ac-
ceſſio renouari. Cum uero calidior uicerit, tunc ſtatim totum corpus caleſcit, ac iam uideatur febris pene
in ſummo conſiſtere, mox paulo poſt ad pituitam redeunte uictoria ægroti denuo contrahuntur, refri-
gerantur, & horrent. Neque hoc terminum ullum habet, donec febris ad ſummum peruenit, quod
quidem citius accidit quàm pro more pituitæ, tardius tamen quàm in bile fieri conſueuit. Nam hu-
ius quidem celeritatem cohibet pituita, ac ruruſus pituitæ tarditatem atque hebetudinem excitat bi-
lis. Talis quidem eſt exquiſitus hemitritæus ex æquali duarum febrium temperatura compoſitus,
quoniam etiam ex duorum humorum æquali temperatura conſtat. Atqui exquiſitus non eſt, ubi aut
bile, aut pituitam habet præpotentē. Secunda eſt duarum febrium, tertianæ ſcilicet ac quotidianæ copu-
latio ac cōmiſtio, quæ ſimilē quidem nuper dictæ facit acceſſionē quandam. In eo tamē differt, quoniā
in hoc febris ad infebricitationē deſinit, & quoniā die ſecunda cū rigore aut horrore ſola quotidiana
febris inuadit. Non igitur erit hæc febris hemitritæus, ſi quidē ex numero continuarum hemitritæus
exiſtat. Quod ſi etiam in utroq; genere hemitritæus collocetur, non hæc tantū, ſed multæ præterea alię
febres hemitritæi uocabuntur. Hac ratione mihi uideatur Agathinus omnes quæ protēdūt tertianas G
hemitritæos appellare. Sed quoniam de nominibus potius quàm de rebus ſunt queſtiones huiuſcemodi
di, in eiſdem minime cenſeo commemorandum. Nam de nominibus ad medicinam pertinentibus, ſeor-
ſum a nobis ſcriptum eſt alio tractatu, in quo hoc ipſum oſtenditur atque integre præſinitur, qualis nā
ſint de rebus, ac quales de nominibus diſceprationes. Ruruſus igitur ad res ipſas redeamus, hoc eſt ad
eum quem Hippocrates uocat hemitritæum horridum atque continuum, quem facit tertiana quotidia-
næ continua commiſta. Intermittenti autem non item: quoniam quæ ex ambabus componitur febris,
neceſſario & ipſa intermittitur. Non tamen ex duabus continuis, quarum altera ex bile, altera ex pitui-
ta generatur, poteſt hemitritæus conſiſtere, quoniam hæc commiſtio febrem horridam, ac quæ multas
habeat reduplications non facit. Nam cum omnis febris continua ſui quidem ratione cum exquiſi-
ta fuerit, neque horrorem habeat, neque rigorem, neque etiam quæ ex eiſdē componitur horrida fiet.
Neceſſe eſt igitur, ſi horrida ſimul atque continuus ſit hemitritæus futurus, ex duabus ipſum febris
generari, quarum altera ſit intermittens, altera uero continua. Atque idcirco tertiana quidem cū quo-
tidiana continua confula facit hemitritæum, cum neque utraq; continua, neque utraq; intermittens
huiuſcemodi queat febrem generare. Vna igitur ſola adhuc miſtio relinquitur ex quotidiana intermit-
tente, & biliola continua, quæ & ipſa poteſt continuā ſimul atq; horridā febrem efficere. Hæc uero cō H
trario modo ſe habebit quàm prior, quoniā continuitatē quidē ex bile obrinebit, horrore uero ex pitui-
ta: reduplications aut ex pugna mutua, ac tum præſertim cū humores æquas uires habuerint. Vbi ue-
ro alter eorū præualuerit, illius accidentia præualent ac dignotio, ut in prima mixtione oſtenſum eſt.
Hæc omnia & de quatuor miſtionibus, ex febre biliola, & pituitoſa, magis ad eū tractatū in quo de ty-
pis agitur, cuiſpiā pertinere uiderentur. Hic uero neceſſario de ipſis facta eſt mētio propter hemitritæū,
cuius ortū Archigenes ad tertianā transfert ac quotidianam, non tamen eius naturam recte aſſecutus,
quoniam in numero febrium intermittentiū ipſum ponit. Agathinus autem contra, hæmitritæū
in eodem genere cum tertiana manifeſte locauit, ac ſola acceſſionis uehementia ab eadem diſſerre fa-
retur. Si igitur omnium febrium differentias exquiſite ſcribentes, in nominibus tātum aberrarent,
non admodum eſſet egre ferendum. Sed quoniam neq; ſimplicium, neq; compoſitarum febrium om-
nes differentias exquiſite aſſignarunt, ac præterea plures alias ſuperſuas addiderunt, quæ neq; ad præ-
noſcendum neque ad curandum aliquem aſſerunt uſum: nos pro uiribus earum typum exquiſitiſſime
complecti tentauimus, ut qui longo tempore partim experientia, partim ratione omnes quæ utiles
ſunt differentias inuenimus. Simples igitur ad præſentem tractatum, compoſitæ uero ad eum in
quo de typis agitur, atinent, cuius tamen non erit expers omnino atque inſcius, ſi quis hunc diligenti-
ter

A. I. 4. f. 1. T. 2
c. 37. p. 786. D

A ter perlegerit. Nam per hæc quæ de biliola & pituitoſa febre ſimul commiſtis conſcripſimus, licet &
melancholicam febrem transferendo, eius cum utraque illarum complexionem, ac confuſionem pari-
ter coniectari. Voco autem complexionem, quando horis differentibus inuaſerunt: confuſionem ue-
ro, quando eodem tempore inceperint. Sic & tres ſimul febres complecti per ſe quiſpiam & confun-
dere poterit, ex his quæ nuper diximus motus. Nam horum omnium principium ſons atque elemen-
tum eſt ſingularium febrium formam atque figuram exquiſite cognoscere: neque enim plurima eſt ear-
um multitudo, cum omnes tres numero exiſtant, & quæ ex amara bile, & quæ ex atra, & quæ ex pi-
uita generatur. Quarum ſingularæ duas habent differentias, continuæ ſcilicet atque intermittētis, adeo
ut omnium quæ ex humorum putredine ortum habent, ſiant ſex numero differentia. Quod ſi aliqua
acceſſerit his particulatim, in ipſis differētia, hæc uel ex humoris multitudine, uel ex quantitate & qua-
litate putrefactionis, ac præterea ex modo motus, ac particula in qua ſit putredo, habebit originem.
Veluti conſeſtim earum febrium intermittentiū, quæ tertia quaque die acceſſionē faciunt, quæ qui-
dem breue habent acceſſionis tempus, ac cum rigore inuadunt, & per ſudores, & bilis uomitum, &
biliola excrementa finiuntur, his tertianæ exquiſitæ nomen impoſitum eſt. Quibus uero aliquid horū
deſicit, hæc non exquiſitæ, ſed ſimpliciter tertianæ appellantur. Quod ſi intermiſſionem minorē habue-
rint, acceſſione uidelicet in longius tempus protracta, hæc tertianæ extenſæ uocantur: cum tamē & hæc
ipſa res plurimam in eo quod magis ac minus, differentiam ſuſcipiat. Licet quidem ex his aliquam ſim-
pliciter extenſam nuncupare, quæ cum. xxiiiij. horas in acceſſione conſumpſerit, reliquas habet febris
expertes: aliquam uero ſufficienter extenſam, quæ uſq; ad. xxx. extenditur horas: atq; aliquam in lon-
gius adhuc tempus productam, ut quæ uſq; ad. xxxvi. horas protēdatur: atq; aliam adhuc amplius uſq;
ad quadraginta uel plures. Neque enim ex his quas diximus quælibet certis terminis poteſt deſiniri,
cum Soritica dubitatio nobis occurrat. Neq; tamē huiuſcemodi nomina adeo curioſe inueſtigare eſt
neceſſarium, cum nobis detur facultas etiā ſine illis unumquenque morbum proximis indicare, ac re-
ctam curationem adhibere, nec non futura prænoſcere. Supponatur enim aliquis. xv. horas febricitare,
& triginta tres febre uacare, hocq; deinceps eadem proportione ſeruata contingat. Nemini dubiū,
quin & tempus ad exhibendum cibum opportunum, ex acceſſionis & intermiſſionis ſpatio cognosca-
tur, & quantum ex hoc ad prænoſcendum aut curandum commodi nanciſci poterit, nihilominus id
ſufficienter acquireret, quamuis eam inqueſtione neglexerit, an ſimpliciter tertianam, an cum aliqua
adiectione quæ differentiam determinet, huiuſcemodi febrem oporteat appellare. Sed & cū alteri in-
dicare uoluerit qualiſi ſit febris egrotantis, hoc diligētius efficiet acceſſionis atq; intermiſſionis ſpatium
C oſtendēdo, quàm ſi nomē certū ac præſinitū, quod idē cōmonſtrat, inuenire ſtuderit. Hæc quidē opti-
ma eſt exponendi ac docendi ratio. Secunda uero quam paulo ante inſinuauimus, cum aliā quidem exqui-
ſitam tertianam nomino, aliam uero ſimpliciter tertianam, deinde aliam paululum extenſam, deinde a-
liam ſufficienter, deinde aliam amplius, deinde aliam plurimum. Obſcuriſſima autem atq; omnium de-
terrimum, de qua prius fecimus mentionem, in qua medici iuniores. quotidie inuicem certant atq; con-
tendunt, neque animaduertunt ſe de nominibus litigare. Sed de alijs quidē quiſpiam minus forte mi-
rabitur, de Agathino autem magis mirandum, qui cum quandam & quotidianam, & quartanam febrē
appellet extenſam: poſtmodum in tertiana non ſeruat eandem uim proportionis: nam ſi longius acceſ-
ſio protendatur, non tertianam, ſed hemitritæum appellat. Sed ſatis ſuperq; hæcenus de nominibus di-
ſputatum: nam periculum eſt, ne nos longius quàm ſit opportunum, in eiſdem tēpus conteramus. Qua-
re ruruſus ad rerum ipſarum quæ reſtant, inueſtigationem reuertamur.

Qualis ex ſanguinis putredine febris oriatur.

Cap. 9.

E X omnibus uero quæ ſuperſunt nulla eſſet contemplatio præſtantior, quàm illa in qua quæri po-
teſt, nunquid quemadmodum ex utraque bile & pituita ſiunt quædam febrium ſpecies, ita & in
D ſanguine putrefacto ſolent accidere febres. Si quidem ephemeræ eo tantūmodo calefacto, non autē
putrefcente fieri dicebamus. In putrefactionibus autem, (nam & ſanguinem quandoq; putrefcere eſt
neceſſarium) quærendum quæ nam ſit harum febrium ſpecies. Hoc autem inueniri poſſe putandum,
ſi prius cognouerimus quo pacto ſanguis putrefiat. Nam recte ſentire uideatur Ariſtoteles ab aliena
caliditate oriri putredinem. Vocat autem alienam, externam non inſitam neque natiuam in quocūq;
genere rerum: nam hæc coquere apta eſt, externa autem corrumpere, quod eſt putrefacere. Calor autē
extrinſecus ſanguini aduenit, & in ſolis deuſtionibus, & peſtilenti, & ſuffocato aeris ſtatu, atque, ut
ſimpliciter dicam, in febribus uniuerſis quacūq; ex cauſa originē traxerint. Sed & quando in aliqua
corporis parte ſanguis plurimus acruatus ſupra eiſdem uires effectus fuerit, corrumpi conſueuit, ac
tum præcipue cum in paruis uafiſ propter craſſitudinem obſtruitur, aut propter multitudinem impin-
gitur, quemadmodum in inguinum tumoribus, ac collectionibus, atq; ut uniuerſaliter dicatur, inſtam-
mationibus uniuerſis. Nam in huiuſcemodi affectibus duplicē ob cauſam corrūpitur ſanguis, & quia. ſ.
non diſſilatur, & quia à natura non conuincitur. Quod ea uero quæ non diſſilantur putrefcere ſoleant,
inducant exteriora omnia, quemadmodū fructus, & ſemina, ueſtesq; præterea. Eius uero quod dicitur,
fidem facere poteſt id etiam, quod in laterum inflammationibus cernitur: nam quidam in ipſis ſpumeū
quidam pallidum, quidam rubeum expuunt ichorem, quod nihil aliud eſt quàm ea humoris inſtam-

A. I. 3. f. 2. d. 3
c. 15. p. 69. C

inflammatione exuperantis, quæ retineri non potest, sed præ tenuitate sudat exterius. Nonnunquã uero & niger liquor ille conspicitur non statim ab initio, sed postea quando ut plurimum pallida sputa antecesserint, quæ bilis exuperantis erant indicia, quemadmodum spumea quidem pituitam, rubida uero sanguinem indicant. Quare non procul a uero est existimandum, sanguinem ipsum nonnunquam in his quæ inflammationem patiuntur, particulis subire putredinem, ex quo simpliciores quidam quam ex alijs humoribus febres fieri, similem uero accessionum proportionem assumere, qualè tertianæ maxime febres ostendunt. Nam ita in his qui laterum inflammationes patiuntur obseruatum, quo tempore maxime rubidum expuunt. Quod si sanguis supra modum asserur, pars quidem eius subtilior ac pinguior, omnino in flauam conuertitur bilem: quæ autem crassior, in atram: quod in his tumoribus qui carbunculi appellantur, contingit; nam in his ex sanguine supra modum efferuescente, ad melancholicum humorem fit transmutatio. Ita autem hoc loco accipi uolo melancholicum humorem, ut qui nōdum exquirite in atræ bilis naturam transierit, sed in quodam sit confinio constitutus. Et quidem pro uarietate humorum in quos conuertitur sanguis, febres fieri, sola bonitate uel malitia differentes. Illæ si quidem quæ sanguinis transmutationem consequuntur, sunt simpliciores, tum in reliquis, tum in caliditatis qualitate mitiori: nam etsi se plurima manu tangenti offert, est tamen omnino mitis, sicuti ea quæ in balneo contrahitur. Semper enim febrilis calor multitudine defluxus consistit. **F** Quod uero manu tangenti molestum sentitur, ex humoris acredine prouenit. Hocq; tibi sit maximū humoris febrem facientis indicium, qualitas uidelicet caliditatis: nam quæ magis uaporosa ac minus molesta existit, ex sanguine nascitur: quæ uero molesta sunt, & rodentes, atq; mordaces, urranq; bilē cōsequuntur. Cū uero in primo tactu quoddam potius uaporosum, quam acre se manu repræsentat, ac per moram paulatim mordacitas aduenit, ac maxime inæqualis, adeo ut per colatorium quoddam & cribrum percolari uideatur, ex pituitæ putredine huiuscemodi febrem oriri cognoscas.

Cur inæqualis calor in pituitæ febre tactui occurrat.

Cap. 10.

Contemplanti uero mihi ac causam perquirenti, cur in febribus alijs calor æqualis occurrat: quæ uero ex pituita ortum habent, talem calor inæqualitatem ostendunt: nulla potior uisa est quam tenacitas atque humoris crassitudo, qui difficulter dissoluitur. Nã & in hoc sicuti in alijs omnibus primo ea pars omnis expirat, quæ fuerit extenuata. Vix autem extenuatur quicquid ualde crassum extiterit. Quod si etiam natura frigidum fuerit, tunc & difficultas augetur. Nō totum itaq; neque ex omni parte æqualiter, sed ex illa tantummodo in quam putredo inualuerit inflatur, atque extenuatū effertur, non dissimili euentu ab eo quem in lentis ac crassis humoribus, qui exterius ebulliunt, inspicimus. Nam & in istis ampullæ attolluntur, quæ ubi dirumpuntur, uniuersus status effertur, omnem humiditatem extenuatam secum trahens. At in subtilioribus humoribus cum ebullierint, neq; ampullæ fiūt, quicq; ab eis uapor exhalat, est undequaq; uersus æqualis ac sibi continuus.

Quo pacto ex fluxionibus humorum morbi generentur, ac de causa februm, quæ per circuitum repetunt, & continuantur.

Cap. 11.

Sed quoniam & de his, ut oportuit, disseruimus, nunc earum februm, quæ [a continuo feruore] synochæ appellantur, causas inuestigemus. Mirum enim mihi uidetur in istis unam plerunq; accessionem usque ad quartum uel quintum, sæpius autem usq; ad septimum diem ad earum initio, donec finiantur extendi. Quanquam si quis diligentius inspiciat, maiorem illi admirationem possit afferre in quibusdam febribus per circuitum fieri accessiones. Quod enim retro atrulimus exemplum in stercore, quod particulatim putrescit, in animalis corpore non admodum fieri posse uidetur, cum putrescentes humores ijs qui putredine uacant, possint facile commisceri, utpote ex omnibus ad omnia conspiratione & confluxione existente. Vnde fieri non potest, ut putredo nunc unam, nunc aliam occupet partem, nisi inflammatio incipientem putrescere humorem alliget atque coerceat. Quoniam igitur ad contrariam partem ratio se transtulit, difficilius est earum februm, quæ per circuitum accessionem faciunt, causam inuenire, quam earum quæ synochæ, id est continentes dicuntur. De utrisq; tamen tentabimus sermonem transigere, neque hic prolixius scribentes, neque aliorum errata corrigentes, sed quemadmodum in superioribus egimus, solam ueritatem amplectentes, ex qua quispiam instructus, **H** etiam aliorum delicta comprehenderet. Sumendum itaq; initium ab ijs quæ manifestissime apparent, quæ sunt lippitudines quædam, quarum nonnullæ quotidie, nonnullæ uero tertio quoque die magis infestant: similiter & aurium dolores, & capitis, siue totius, siue medietatis, quem Græci hemicranæā appellant: quibusdam uero & pedum, & articularum dolores per circuitum exacerbantur. Quod igitur in his omnibus inspicere licet, uenas quidem in his partibus quæ exacerbantur in tumore attolli, atq; inflammationem augeri, ac dolores intendi, ac materiæ inutilis affluxū ad extrinsecam fieri: ita & in interioribus quæcunque non uidentur, seruare eandem proportionis similitudinem concipiendum, adeo ut in laterum & pulmonis inflammationibus, in accessionum quidem principijs tumores incresecant, in declinationibus autem euaporent ac submittantur. Forte autem quo pacto hoc accidat inueniemus, si de inflammationis generatione, atque de rheumaticis uocatis dispositionibus, quæcunque a nobis in alijs commentarijs sunt demonstrata, memoria repetemus: nam si quod huius interest loci, illis addatur, præsentis quæstioni satisfaciet. Qui igitur effluxus ad oculos commeat, omnes concedunt a capite destillare: quam uero ob causam statutis temporibus sæpius commeat, hoc dicere, ignorat, ut qui sciētiam

A. l. 3. f. 1. c. 1.
c. 36. p. 460.
D. E.

Atiam de potentijs naturalibus minus attigerint, quam nos tribus in libris fumus complexi, in quibus quatuor esse numero demonstrauimus, a quibus & stirpes & animalia gubernantur. Vnam quidem simillimum attractoriam, alteram eorumdem retentoriam, ac post has tertiam alteratoriam, quartam præterea extraneorum expulforiam. Duplex autem est in omnibus entibus extraneum, alterum nanque ex sui qualitate, alterum quantitate. Hoc itaque aceriari contingit ob harum potentiarum quæ in membris sitæ sunt, uigorem, & imbecillitatem. Cum enim æq; ualentes fuerint, & meatus, per quos materia inutilis excernitur, secundum naturam se habuerint, tunc membra in sanitate consistunt: ubi uero plus assumptum fuerit quam possit alterari, omne quod superfluum est a uirtute expulforia trusum, necessario excernitur. Quod si imbecilla fuerit, in eodem relidet loco: ac si multum fuerit, grauat atque extendit: si uero acre, exedit ac mordet: sicuti & quod calidum est, calefacit: quod autem frigidum, refrigerat. Hæc autem liquido in uentriculo apparent. Nam quidam ubi aliquando cibum ampliore affluente pferunt, ex nausea interdum coguntur euomere, interdum uero profluuium corripuntur. Quod igitur hic per maiora ac laxiora spatia superfluum excernitur extra, idè in alijs partibus animalis per tenuiora foramina non extra, sed ex alijs defluit ad alias, cum fortiores a se quidem pellant, imbecilliores aut suscipiant: atque hæc rursus ad alias, donec tandem in eas quæ imbecillissimæ sunt inter omnes, incidit: hinc uero ad fortiores relabi est impossibile. Idcirco in plethoris & cacochymijs. i. repletionibus & uitiosis humoribus, partes debiliores partim inflammationes patiuntur, partim erysipelata, alia herpetas, alia aliud morbi sustinent genus: quædam illi affectui sunt obnoxia, qui rheumaticus a fluxionibus appellatur, de quo nos separato scripsimus loco. Nihil igitur mirum, uel cerebrum, uel uniuersum aliquando caput aceruatam in eis superfluitatem ad partes imbecilliores expellere, ueluti aures, oculos, tempora, labra, uel dentes, uel malas, uel palatum, uel gingiuas, ad gargareona, & paristhemia, aut ad eos qui sunt in huiusmodi partibus, adenas: & cum nihil in istis imbecille constiterit, ad thoracem, pulmonem, fauces, stomachum, uentriculum, fluxio delabitur. Sicuti igitur caput talium omnium morborum sæpius est causa, ita & eas quæ in hepate sunt ac splene inflammationes, aliquæ partes uicinae, uel etiam per iouem ex remotioribus aliqua una, uel plures generat, auget, immittit, ac per circuitum exacerbant. Neque mirandum est similem eisdem contingere affectum, qualis in excretionibus excrementorum uentris conspicitur. Sicuti igitur quicq; quantum quaq; die excernitur, intuens, si causam rei eiusdem ignoret, ordinem miraretur: sic quæcunq; latet superfluitatum in capite generationis atq; excretionis causa, & qua ratione nonnullæ quidem ex ipsis ad exteriora, nonnullæ uero ad aliquem aliū confluant locum, hæret atque miratur hanc confluxus proportionem. Sic & quicunque non nouit, neque quæ partes materiam inutilem ad hepar transmittant, neque causam propter quam transmittant, intelligit, miratur in febribus quæ ex hepate accenduntur, ordinis proportionem. At qui nescius non est primam inflammationis originem ex fluxione in hepar incidente prouenisse, ac quod deinceps exacerbetur, causam in ipsa parte patiente consistere, mirari iam desinit. Duplex autem est huius fluxionis occasio, altera quam nuper diximus, quando materia inutilis ad imbecilliores partes ab alijs detruditur, altera quando eadem attrahitur, de qua iam sermonem faciemus, sumpto hinc etiam ab illis initio, quæ omnibus sunt manifesta. Nam sicuti in unxeris thapsian, huic haud ita multo post partem illam calidiorem, atque in ampliore tumore elatam conspicias: sic & si membrum aliquod iuxta ignem calefeceris, aut uehementiorem frictionem adhibueris, uel resina perunges, uel pice mediocriter calida, deinde uniuersam paulo post auferas, siue quodcunq; calidum medicamen parti cuiq; applicaueris, in hisce omnibus membrum in tumorem uidebis attolli: quoniam caliditas natura apta est fluxiones attrahere, aut easdem recipere. Neque enim presentis est loci ista discutere, cum quod proposito expedit nostro, etiam sine hac contemplatione habeamus. Illud enim cōpertum habetur, quod semper in corporibus plenis, aut in quibus inutilis materia redundat, magna portio ad eas defluit partes, quæ uehementius incaluerint. In his autem quæ superfluitatibus uacant, admodum pauca. Non parum uero & ad partes dolentes solet defluere. Sic igitur quispiam cui extremam partem digiti acus exigua pupugerit, statim indoluit, paulo post uero inflammatur, atque in magnum tumorem pars omnis circumstantis attollitur: in quibusdam uero sub alis bubones exurgunt, cum rara ac spongiosa corpora, quæ Græci adenas appellant, ibidem aliquid fluxionis admittant: quibusdam uero & in medio brachio hoc fieri conspicitur, cum in eodem loco effatu dignus aden fuerit constitutus. Quod autem dicitur, apertissime cognosces, cum ulcusculum aliquod paruum expers doloris, atque inflammationis prope unguem extiterit. Si enim negligatur, neque coalescat, atq; ad cicatricem perducatur, adnata deinde carne quæ ab ungue comprimitur, primum quidè ibidè dolor excitatur, deinde in toto digito, nonnunquã uero uel manus, uel pes ad magnam inflammationem effertur. Vsq; adeo ob doloris fluctationibus partes laborant, non tamen huiusce rei causam hoc in loco aperire est necessarium. Alibi. n. opportunius dicta est, nihilq; ipsa ad præsentem considerationem egemus. Videntur itaq; manifeste fluxionum causæ ex ipsis partibus fluxione laborantibus originem trahentes duæ esse, quarum altera est in eisdem accensa caliditas, altera dolor excitatus. Quod autem uel minus, uel plus, uel melius, uel deterius influit, causa non tantū in parte fluxionibus obnoxia consistit, sed quod melius sit, aut deterius, ex partibus mittentibus pendet, quod plus uel minus tū ex ijs quæ mittunt, tū et ex ijs quæ recipiunt. Vehementiores si quidem calores, atq; dolores, attrahunt uehementius: minus autem, debiliores: sic & partes quæ superfluitatibus

fluitatibus carent, parum aliquid trahentibus immittunt: quæ autem pleniora sunt, & materia inutilis E copiam habent, tanto ingerunt amplius quâto plus a naturali modo recesserint. Hæ igitur sunt fluxio- num differentia, quæ sine partium quæ fluxiones admittunt, imbecillitate consistunt. Aliæ uero & pro- pter harû imbecillitatē, & propter earû robur quæ superfluitates transmittunt. Omnes enim quæ sine ictu aut contusione partibus adueniunt inflammationes, ex superfluitatibus quæ a membris fortiori- bus ad debiliora confluxerint, generantur. Statim uero inflammationes huiusmodi febres accedunt, quâdo uidelicet ob magnitudinē, uel uicinitatē, earum caliditas ad cor usq; peruenerit. Putrescunt igitur in inflammationibus omnibus congestæ superfluitates, ob eas quas ante cōmemorauimus causas. Non eque tamē oēs putrescūt, cū ex eis nonnullæ quidem sint ex pituitæ speciebus, nonnullæ atræ bi- lis, aliæ amaræ. Cū uero putruerint, calor præter naturâ inflammationē patientem occupat partē, simul autem ab eadem præter naturâ caliditate corripuntur quæcunq; proximæ partes, atq; hæ rursus uicini- tatis ratione sibi continuas calefaciunt, illæq; rursus alias, donec tandem per successiōnem ad cor usq; aliquando caliditas permeat. Quisnam uero sit in partibus inflammationem patientibus affectus, in li- bro de inæquali intemperatura monstrauimus, atque in altero qui de tumoribus præter naturâ, inscri- bitur. In hoc uero ostēdemus, necessarium esse sanguinem in eisdem contentum una cum superfluita- tibus influentibus plerunq; putrescere. Quæ ab una particula infertur ad aliam superfluitas, est adeo F multa aliquando ac uitiosa, ut recipientis particula potentia afferat detrimentum: nonnunquam uero adeo mitis & pauca, ut suscipienti corpori nullam inferat noxam. Si igitur ita potentiam læserit, ut iâ dissoluatur, neque iam conuincere possit ea quæ prius conuincēbat, tunc iam sanguini necessarium est putrescere, idq; duplici ex causa: quia uidelicet humor quem proprius calor non cōiungit, nil habet re- liquum nisi ut ad putredinem transeat, & quia cum superfluitatibus putrescentibus una putrescit. Quod si non adeo potentiam lædat, ut iam dissoluta penitus quiescat, semiuitatus ac semiputridus omnino in tali statu redditur sanguis, ex uicinitate quidem putrescentium superfluitatum ad putredinem raptus, tantum uero in sua natura perseverans, quantum in eius a qua exornatur potentia ratione consistit. Vt cunq; uero se res habet, qui in prima putredine calor accenditur, est quidem acrior atq; mordacior eo, qui secundum naturam. Tantum uero augetur, quantum & superfluitatum natura suppeditat. Hæc si quidem ad eum qui ab ipsis calor augetur, fere similem quandam habent rationem, quam & ligna ad ignem. Ex ipsis enim lignis, dum alterantur, generatur ignis: non tamen in infinitum vsque tempus. hæc ad alterationem sufficiunt, sed est quidam transmutationis terminus, cum eo usq; possint exuri, do- nec aliquid natiui liquoris habuerint, qui ubi consumptus ex toto fuerit, tunc ardere iam desinunt, ac quæ reliquæ supersunt, cineres appellantur. Et quidem eodem modo putrescentium humorum calidi G tas permanet, donec omnino fuerint assati. Parum autem reliquiarum terrestrium restare ex humoribus est uerisimile, non quemadmodum ex lignis plurimum, quoniam in eorum substantia humidum & non siccum præualeat elementum: ita ut si aliquem ex exterioribus humoribus elixare uolueris, ueluti oleum uel unum paruum aliquid terrestre relinques, reliquum uero omne extenuatum in aerem ac uaporem resoluetur. Et quidem feruentibus ex putredine humoribus a caliditate extenuatis, eorundē substantia, cum febres consistunt atque declinant, in ambientem aerem dissipatur, superfluitas autem uel exigua remanet uel nulla, in crassioribus quidem humoribus pauca, in serosioribus autem nulla. Quod si nullam imbecillitatem pars inflammata contraxerit, neque iterum superfluitates immittatur, ægritudo finitur, neq; deinceps aut sequenti, aut tertia, aut quarta die, homo febricitabit. Quod si de- nuo eandem ob causam ob quam primæ etiam missæ sunt, aliæ immittantur superfluitates, aut si nec hæ quidem mittantur, sola aut remaneat potentia imbecillitas, hominem secundo febricitare est ne- cessarium. Subijciamus enim primum quidem ualidam esse particula potentiam, in tempore uero intermedio eisdem in partibus, quæ prius transmiserunt, acruatas esse superfluitates & qualitate & quantitate pares his quas ante immiserunt: hoc uero in his accidit, in quibus eadem permanet immit- tentium partium dispositio, atque eadem attracti ad eas alimenti qualitas quantitasque seruat. Est H enim, ut arbitror, necessarium, cum & æquale scilicet & simile, ab eadem potentia alteretur, æqua- les etiam & similes fieri superfluitates: tempus quoq; in quo eadem acruabuntur, necessario erit æqua- le. Si quidem enutritæ partes, quousq; eandem seruauerint constitutionem, ab eodem nutrimento enutritæ, excrementa etiam tum quantitate æqualia, tum qualitate similia, atq; eodem temporis statu- to termino cumulabunt, eodem præterea circuitu ad eas expellendas, atque ad imbecilliores partes detrudendas mouebuntur. Si quidem uis excretoria tunc primum ad suum opus excitatur, quando aut superfluitatum multitudine aggrauatur, aut ex qualitate stimulat. De hisce uero omnibus plenissime dictū est in commentarijs de potentijs naturalibus, in quibus exercitatum esse oportet quicunq; ea quæ in hoc loco dicuntur, cum demonstratione cupit ediscere: cum magna quoq; eidem ex ea contempla- tione ad curandi methodum præmia proponantur. Nam ut reliqua omnia silentio præteream, quæ a nobis in eodem tractatu dicuntur, de uno tantummodo quod magis in præcepto est, atq; a me sapissime factū, habēdo sermonē eā quæ per circuitum accedit lippitudo, non paruū existimo fore incitamentū, ijs qui adieci sunt ad eā quæ hoc loco docemur contemplationem addiscendā. Nos. n. cōtra quàm il- li qui se medicos oculares appellant, semper huiusmodi affectus curauimus. Nam cum illi semper oculis negocium facerēt, nos aliquando purgationē, aliquando balneo, aliquando meri potu, ut inquit

A. l. 4. f. 1. c. 1.
c. 3. p. 754. D.

A. ibidem 1

l. 4. f. 1. T. 2.
l. p. 773. C.

A inquit Hippocrates, aliquando missione sanguinis, nonnunquam uero utrisque, uel clystere cum san- guinis missione usi sumus. Vnde nonnunquam statim sanitas est subsecuta, nonnunquam uero post cura- tionem capiti adhibitam. Nam quicumque ita curati sunt, uel nullam amplius, uel unam tantummo- do accessionem passi sunt, eandemq; minorem quàm prius. Sed de curandi quidem determinationibus notisq; non huius interest loci. Quod uero contingat uniuersum aliquando caput quod nihil passum sit sed sanguine tantummodo uitiato atque inutili nutriatur, plures quàm antea, ac deteriores superflui- tates colligere, adeo ut naturales effluxus, atque diffusus non sufficiant, quin necessarium sit naturam ad imbecilliores partes excrementa detrudere, aut si humores quidē sani fuerint, ipsum uero caput ma- le se habeat, aut utraque incommoda conueniant, superfluitates quidē acruari, ad aliquod uero mem- brum irrumpere, præsens sermo indicare proposuit. Donec etenim & qui defluit humor similis fuerit, atque eadem dispositio capitis, tandiu superfluitates, & tempore æquali, & similes atque æquales acer uabuntur, similesq; oculorum sicut exacerbationes. Eodem pariter modo, si non caput uniuersum, sed aliqua eius pars uel membrana uel cerebrum ita fuerit affecta, ut ex huiusmodi alimento talem ac tan- tam statuto tempore contrahat superfluitatem ac deinde reppellat, quamprimum ab ea effatu dignam senserit læsionem, tunc per circuitum exacerbari contingit, uel oculos, uel aures, uel membrū aliquod B imbecillius, ad quod superfluitas detrudetur. Sicuti igitur in oculis, & auribus, & pedibus, multique alijs huiusmodi partibus, quemadmodum ostensum est, per circuitum fieri exacerbatio manifeste de- prehenditur: quid mirum est in laterum, pulmonis, & cerebri inflammationibus, atque alijs omnibus, quæ oculis inspicere nequeunt, eodem modo superfluitates defluere, eodemq; etiam febrem accendere? cum tamen pars inflammata nullum præcipuum ex se gerat affectum, ex quo inflammatio oriatur, nisi quia partibus illis quæ superfluitates transmittunt, eo tempore sit imbecillior? Neque etiam illud mi- randum, quod non iisdem statutis temporibus omnes superfluitates aggregentur. Quia enim nec qui pro alimento sanguis defertur, usque quaque similis existit: nec partium quæ ex eodem alimento nu- triuntur, eadem existit dispositio: aliud alij sufficit tempus ad tantam superfluitatem acruandam, qua primum quidem membri læditur natura. cogitur autem tanquam alienum à se detrudere id quod infe- stat. Sed neque quod non æqua sit accessionum longitudo, oportet admirari. Nam si non eadem neque species, neque multitudo superfluitatum, neque etiam omnibus æqualiter accendi aut dissolui conue- nit, quæ si quidem plura sunt ac frigidiora tenacioraq; & crassa, longiores faciunt accessiones: quæ autem pauciora ac calidiora & subtiliora, breuiores: cum adhuc etiam non parum & totius corpo- ris fabrica, & potentia robur illo tempore conferat. Nam si quod corpus rarius extiterit, bre- C uiores sui ratione reddit accessiones: quod autem spissius, longiores: & potentia quidem robur, mi- nus diuturnos, imbecillitas autem, in longius tempus producit. Nam quo potentia uegetior extiterit, eo promptius omne alienum à seipsa repellit: corporis autem raritas, quod per ipsum defertur, non re- tinet, quare necessarium est, ut qui ita fuerint affecti, si modo in ceteris paritas adsit, citò à superfluitati- bus exonerentur. Eadem ratione qui contrarium corporis habitum sortiti sunt, his multo tardius su- perfluitates excerni est necessarium, cum & potentia imbecilliter easdem superfluitates pellat, pro- pter meatuum angustiam, quæcunq; feruntur, retineantur. Cum uero hæc omnia simul conuenerint, aut longissima, aut breuissima fiet accessio: longissima quidem, ob materia inutilis multitudinem, crassi- tudinem, atque lentorem, potentia imbecillitatem, ac meatuum angustiam: breuissima autem, pro- pter materia inutilis subtilitatem, paucitatem, & potentia uigorem, ac meatuum laxitatem. Eadem ra- tione, neque cur nonnullæ quidem accessiones in febricitatione terminentur, aliqua uero non, est diffi- cile inuentu. Quando etenim prioris accessionis tempus adeo breue fuerit, ut antequam secunda su- perueniat, iam prima quieuerit: omne id temporis spatium, quod secundæ principium & primæ finem interiacet, sine febre est. Si uero secunda inuadere anticipauerit priusquam omnino prima soluat, nullum interuenit medium. Hoc igitur, ut diximus, fit, cum ea, quæ est in membro superfluitates ad- D mittente, potentia sibi ipsi similis manserit: hoc est cum sanguinem in ipso contentum, quemadmodum antea, conuincit. Quod si aliquando imbecillior reddatur, hoc quoque illi causam afferat, ut non mo- do materia inutilis, sed ipse præterea sanguis corrumpatur atque putrescat, ac febris accendatur, atque hinc aliud oriatur principium earum, quæ per circuitum sunt accessionum. Si igitur antea dicta calidi- tas perseveret, duplex febrium seuiuem complectentiū species consistet. Quod si illa cessauerit, mem- bri uero fluctationem recipientis dispositio remanserit, quæcunq; de parte mittente prius exposuimus, eadem de hac quoque intelligantur: nam & ipsa aliquas in se superfluitates generabit, idq; duplici ra- tione, quemadmodum & illa, & quia uitiatum continet sanguinem, & quoniam potentia est imbecil- lis. Eodem modo si ex aliqua quauis causa membri uis adeo debilitetur, ut is qui adiacet sanguis, illi potius onus sit quàm alimentum, illud eueniet ut corrumpatur, aut si calidior sit, facile putrescat. Quod si subfrigidus fuerit, & pituitæ naturam gerens, non subito, sed per tempus ad eandem ueniet disposi- tionem. Et quidem cum eas quæ in ipsa genitæ fuerint superfluitates coquere nequirit quæcunq; par- ticula, aut ad aliam à seipsa detrudere, tale sibi ipsi febricitandi principium constituet, quale ea quæ transmittit, alteri affert. Quod uero alio superfluitates detrudere nequeat, prima quidem causa in mit- tentis ac recipientis partis potentia consistit, altera uero in meatuum obstructionibus, quæ ex lentis ac crassis & multis humoribus fieri consueuerunt. Nihil igitur mirum, si absque eo quod alterum alteri mittat

humor præter carnē, & sanguinē, rubro colore iam uero affectus inflammationis non est carnis copia. E nam si quando carnis copia in corpore sola sine sanguinis multitudine consistat, tumor quidem fit maior, quàm naturæ modus ferat, color tamen in terminis salubribus continetur, neque pristinam naturam suam mutat: quando pristinus color in nulla re, quæ per essentiam augeatur, intenditur: nam & hoc modo nix candidior, pix nigrior, & aurum magis flauum redderetur. quam ob rem planum est, essentia incrementum aliud quid esse, quàm alterationem: siquidem incrementum in quantitate, alteratio in qualitate fit. color autem est qualitatis essentia, non quantitatis nota. quibus rebus fit, carnis copiam ab inflammatione diuersam censerit. iisdem causis in ea quispian sanguinis redundare humorem suspicabitur. Sed & cum ulceribus maximæ interdum inflammationes oriuntur, & quædam aquosa, tenuisq; sanies effluere uidetur, cum locus circumquaque cruentus appareat. itaque necesse est, densam in eo carnem, quam sibi in uulneris terminis adiciuit, ad tantam mediocritatem peruenire, ut excidere sanies permittat, intus uero sanguinem contineat. quanto autem sanies est sanguine tenuior, tanto, aut etiam amplius, est spiritu crassior. quare si caro uulneris concedit, ut sanies excidant, certe eandem uiam spiritui concederet. eo uero semel egresso, inflammationis tumor statim subsidet. enim uero ita fieri uidemus ijs in partibus, in quibus spiritus sit re uera coaceruatus: siquidem illis incisis omnis illico tumor subsidet, id ipsum etiam ortus inflammationis, quæ uulnera occupat, attestatur. in principio enim, cum uulnera adhuc recentia sunt, magna uis sanguinis effluit: tum cohibetur, uel nobis refrigerantibus, aut sua sponte ab aere circumfluo refrigeratus. sed uel nostris manibus obstruentes, uel ligantes, ne effluat, prohibemus. tum retentus in osculis sectorum uasorum, & constipatus cogitur, ut concrescit, quemadmodum grumus, nisi quod grumus est sensibilis sanguinis concretio, confertim facta: quæ uero in ulceribus oritur, non confertim, sed in paucis, ac multis uasorum sectorum finibus sistit sanguinem, eumq; crassum reddit. cum igitur eodem tempore is crassior, & finis uasorum angustior est factus, tum sanguis iam retinetur, & sanies excidunt. quæ omnia sunt argumenta maxima, quæ sanguinem in particulis inflammatis abundare declarant. est autem calidior, in partibus ita affectis, quàm natum ferat, non tamen usque adeo, ut tantum tumorem sola fusione conficiat. id quod ex multis licet conijcere: primum enim in febribus ardentissimis quo est calor uehementior, quàm in partibus inflammatis, eo maiorem esse tumorem oportet. secunda coniectura ex sanguinis essentia ducitur, nam frigore non concreuit, ut pix, ut resina, ut cera: sed semper est natura calidior. illa uero, cum calefiunt, in contrarium statum commutantur. sanguis uero suapte natura calidus paulo quidem maiorem tumorem excitabit: non tamen adeo, ut inflammationes partes affectas attollunt. iam uero pix, resina, & cera ad tantum perductæ calorem, quantum inflammatae partes contraxerunt, parum supra pristinum statum adaugentur. tumorem porro inflammatione obfessorum partium a sola fusione non effici, erit hoc tibi præter ea, quæ dicta sunt, non leue argumentum: quod exigua est sanguinis in calore alteratio, tumor uero non paulo maior. id quoque quod apparet, sit satis firma coniectura: neque enim ut plurimum funduntur resina, pix, & cera, cum uehementius calefiunt: ita etiam fit in sanguine. sed pristinum tumorem seruat, uel si in igne coquantur: uel in nullam plane, aut certe minimam magnitudinem extollitur. supra autem est etiam nobis dictum, refrigeratis inflammationibus non euenire, ut semper subsident: quia uigentis, & magnæ, in qua compactus defluxus sit, licet eam copiosius refrigeres, tumorem tamen non tolles; sed liuidam, frigidamq; partem reddes, & affectum in scirrhum commutabis. at, cum nondum impactus defluxus sit, tum facillime refrigerantibus, & adstringentibus tumor repellitur, præcipue uero si fit exiguus. quod si ante impactus tenaciter sit, nullum auxilium ab adstringentibus, & refrigerantibus admittit: sed euacuationem postulat. inuenere autem medici, eo tempore non modo calefacientibus esse discutiedum, sed et scarificationibus cuti adactis aliquam sanguinis partem esse perspicue euacuandam. hæc autem omnia magna documenta sunt, ex quibus inflammata partem sanguineo humore impletam esse intelligas. non fit autem immodice calida in ipso statim initio, sed progressu temporis, pristina perspiratione propter omnium meatuum obstructionem retenta. quare necesse est, ut et sanguis, qui ibi diutius immoratur, coputrescat. omnia. n. calida, humidatq; corpora calido in loco coaceruata, cum neque euacuetur, neq; refrigeretur, facile coputrescunt. quare fit, ut calor, qui ex corruptela eius exiit, ad eum accedat, quo erat antea præditus. in partibus igitur inflammatarum uasculis sanguinē esse copiosius collectum, est ex earum tumoribus facienda coniectura. nec minus, quod uenæ, quæ prius ob exiguitatem oculorum obtutu effugiebant, nunc appareant. non quidem quod in inflammatione genitæ sint: sed quod expletæ sanguine in tantâ sunt elatæ magnitudinē, ut in sensum cadant. id quod uel maxime in oculis, pene, & mammis cõspicitur. totâ quoq; carnē, cuius potissimum affectus est inflammatio, cruenta defluxione repleti, & color, & tumor declarat. cuius rei causa & humida tota, & madescēs, ut lana, & spongia, uidetur. id ipsum effluentes sanies, cum inflammatio ostiolum habet, attestantur. ac merito quidē, opinor, ipsa cutis cum tumoribus partium subiacentium attollitur, ac circumtenditur: & progressu temporis ipsa quoq; defluxionē recipit non secus, quàm tunica uasorum: itemq; membrana, quæ in parte inflammata sunt. neruos quoq; & tendines procedēte tempore inflammatio occupat: nonnunquam ipsis uulneratis nonnunquam uero cum ex ipsis aliter affectis malum primo exoritur. omnino autem nihil in parte inflammata manet accurate in statu naturali, si inflammatio diu perduret: sed omnia simul cum carne defluxionem recipiunt, ut etiam ossa interdum

A interdum attingatur ex ipsis quoq; primū affectis interdū oritur. ac cutis quidem, cum naturæ statū seruat, laxa est in ijs, qui non crassi sunt: ac locus medius, in quem incidit, inanis est: & ite spatia, quæ in carne sunt: de quibus dictum copiosius est in libris anatomicarum administrationum, inania sunt omnia: præsertim quæ circa arterias sunt, in orbem earum dilatationibus adiacentia: at in inflammationibus tum sanguine ex uasculis per tunicas ipsorum resudante, tum in quaq; carnis particula ad modum roris permisto, hæc omnia sanguine replentur.

De abscessu, & suppurationibus.

Cap. 3.

Cumq; progressu temporis natura superarit, omnisq; defluxio concocta sit, ac pus factum, tum extra carnē extruditur ab ea facultate, quæ habet aliena expellendi. atq; ubi notabilis est meatus naturalis ueluti riuus quidam, ad fluxionem excrementorum accommodatus; aut locus ipse ibi rarus sit, pus partim expirat, partim effluit, ut sensu percipias. ubi uero circumiecta cutis densa, duraq; est, qualis est extima in nobis, ibi pus cohibetur, eaq; a subiecta carne disingit: tum sua acrimonia corrodit, ac nisi quis scarificare eam præuertat, foras exit. cum uero natura est a defluxione superata, tum non iam in pus, sed in alienam quampiam mutationem, alias aliam, atque aliam sanguis deuenit. hæc autem a medicis plerisque communi nomine abscessus omnia appellatur, præcipue uero cum intus in profundo sunt. quidam non hæc omnia ita nominant, sed ea modo, quæ alterationē non in consuetum, bonumq; pus, sed in aliam corruptelam quandam nanciscuntur: ut etiam omnia suppurantia alij *εμπύματα*, alij *διαπύματα* uocant, ut uerbum suppurare tum *εμπύσκειν*, tum *διαπύσκειν*, alij non ita faciunt, sed cum quid tale uiscera occupet, illud *εμπύμα*, hoc est suppurationem, & homines ita affectos *εμπύστος*, i. purulentos nuncupant. alij denique medici eos solum purulentos dici censent, in quibus in media thoracis pulmonisq; regione pus collectum sit. Sed nomina eatenus, ut sæpe monui, curanda sunt, quatenus faciunt, ut rem perspicue oratione explicemus: res uero de quibus oratio sit instituta, ita peruestigandæ sunt, ut nulla ipsarum pars nos lateat. hæc enim omnia nobis aditum parant ad curandi rationem, in qua affectiones, non ipsarum appellationes curamus. horum igitur semper memores ad res, quæ nobis reliquæ sunt, rursus reuertamur.

De sinibus, deq; eorum curatione, cum callum obduxerint.

Cap. 4.

Ubi autem pus corpora excoriat, & continentia a subiectis dirimit, ac disingit, tum eo, ut ut potest, euacuato, quæ distant priorem recuperare statum non possunt, is affectus sinus appellatur. quem nisi quis cito curarit, callum contrahit, durusq; progressu temporis redditur: nec subiectis ei partibus agglutinari potest. & tamen medicamentis & ratione uictus exsiccatu adstringitur sic, ut particula integræ sana uideatur. at si quis accurata uictus ratione perpetuo utatur, ut corpus uere salubre, & excrementis uacans habeat, in eo sinus adstrictus manet. si uero aliquod excrementum suppetat, iterum impletur, fitq; iterum is, qui ab initio fuit, abscessus. siq; accommodate iterum curetur, euacuatur, siccatu, & adstringitur. hæcq; omnia multo facilius in eo fiunt, quàm in ijs abscessibus, qui initio exorti sunt: siquidem distractæ particulæ non dolent, cum iam distent, & celerrime explentur, quod sinus defluxionem facile recipiat. quin etiam confestim euacuantur, cum iam uia sit effluxionibus facta. ubi uero agglutinatae partes sint, si iterum abscessus fiat, rursus dolore conflantur. ceterum non modo ex inflammatione abscessus ortum ducunt, sed etiam statim a principio quandoq; propter alium quemuis humorem, qui tractu temporis excoriet, continentiaq; a subiectis diducit, solent excitari. proinde incisi omnigenam humorum, solidorumq; corporum formam habere in se uidentur: siquidem & cœno, & urinæ, & grumo, & succo melleo, & mucoso, & ossibus, & lapidibus, & tofis, & unguibus, & pills familia corpora in eis comperiuntur. immo uero in eis etiam animalia, omnibus ferme, quæ ex corruptela oriuntur, confamilia, inuenta sunt.

De fistula, atheromate, steatomate, & meliceride.

Cap. 5.

CVi autē fistulæ nomen est, sinus est angustus, longusq;. ea non minus, quàm alij sinus, adstringitur, & rursum ob influxum excrementorum, ut et alij sinus, abscedit. atheromata uero, & steatomata, & meliceridas, quæq; sunt generis eiusdem aliqui inter abscessus numerant: aliqui ad aliud genus redigunt, sed eorum natura est ex nominibus perspicua. nam atheromati subest quid pulticulæ simile: melli uero quid simile in meliceridibus inuenitur, ut seuo simile in steatomatibus. fere autē tunica membranosa hæc omnia continentur. suntq; hi omnes tumores præter naturam. huiusmodi etiam sunt carbunculi, gangrænæ, herpes, erysipelata, scirrhii, oedemata, cancri, & inflationes: quæ omnia non ignorare medicus sed cuiusq; originem, & essentiam spectare diligenter debet.

De gangrænâ, & carbunculis.

Cap. 6.

Gangrænæ autem, carbunculiq; sunt, cum sanguis, qui uelut inferbuit, & prope ad inflammationem deuenit, cutim deuulserit: propterea cum crusta fiunt, & pustulæ ulcus præcedunt, ut in ambustis fieri solet. febrem quoque acutissimam afferunt, & in subitum uitæ discrimen adducunt. ulceris carbuncolorum crusta nigra prorsus cinerulentaq; apparet. neque color inflammationis circumstantis ruber est, ut in alijs, sed ad nigrius uergit, aliter, quàm in suggillatis, aut gelu perfrigeratis. tumor non est uehementer liuidus, ut in illis, sed nescio quid splendentis habet, ut pix, atque bitumen. ac talis quidē est bilis, quæ plane atra est. atque inde exiit ulcerum malignitas, quæ in carbunculis sunt. nam uel statim in principio, uel in ipso feruore superassat sanguinem, fieri melancholicum apparet.

SECUNDA CLASSIS.

F 2 De

De cancro. Cap. 7. E
Atra bilis sine feruore cancos efficit: siq; acrior sit, cum ulcere eos gignit, quam ob rem sunt nigriores, quam quæ inflammata sunt, & minime calidi, uenæ autem implentur magis, atq; tenduntur, quam in inflammationibus: propterea quod humor is, qui cancos gignit, propter crassitudinē minus e uasculis in circumstantem carnem excidit, quinetiā uenæ non ita, ut in inflammationibus, rubent: sed ipsæ quoque infesti humoris colorem referunt.

De gangræna, quæ magnas inflammationes consequitur. Cap. 8.
Magnas aut inflammationes excipit ea, quæ gangrænā uocant, quæ est affectæ particulæ mortificationis, ac nisi quis eā celeriter curet, quæ sic affecta pars est, facile mortificatur; quæq; cōtinua sunt, corripuntur, atq; homini mors affertur. cū. n. in magnis inflammationibus ora uasorū uehementer obstructa sint, omneseq; cutis meatus naturali perspiratione sint priuati, tūc corpora ita laborātia facile mortificātur. in primis aut ipse coloris flos extinguitur, qui in inflammationibus aderat: deinde dolor, & pulsus abeunt, non quod affectio sedata sit, sed quia sensus perierit: cū interim a magna inflammatione separari pulsus nō possit: sic. n. ueteres sensibilem arteriarum motū, quē ægrotantes sentiunt, eumq; uel sine dolore, uel cum dolore coniunctū, appellare solitos cōperio. quocirca nonnulli inflammationis symptomata afferentes, pulsui addunt hoc, cum dolore. sed hæc in nomine cōtrouersia est. præstat aut eorū originē nosse, appellatione neglecta: siquidē in statu naturali motus arteriarum nobis nō sentitur: in inflammationibus sentitur cum dolore. nam arteria percussa, dum dilatur, corpora circūiecta: & percussio propter inflammationem, nobis dolorem affert. cum uero iam inflammatio tunicam occupauit, tum & percussio ipsa, & percussa dolorem duplicem creat. sed de his satis dictum est.

De erysipelate, herpete, œdemate, & scirrhus. Cap. 9.
Deinceps de biliosis fluxionibus dicendū est. obtinuit. n. nescio quo modo cōsuetudo medicorū, ut siue bilē absolute, siue biliosum humorē dicamus, pallidā & amarā, non acidā & atrā intelligamus. siquidē illā semper cū additione nomināt, ut cū appellatione humoris colorē cōiungant. cū igitur biliosa fluxio aliquā in partē decubit, si accurate bilis sit, cutim ulcerat: at quæ aquosās sanies, aut sanguinē mixtū habet, ea tū minus acris est, tū partē in maiore tumorē attollit, quā ut ulceret. hoc erysipelas, illud herpes nominatur. a quo aut humore gignatur, color, calorq; affectuū declarat. cūq; acriū altera fluxio magis, altera minus talis sit, scire cōuenit acriorē, esse herpetē exedētē, ut Hippocrates appellauit: alterā uero, esse aliud genus herpetis, quē quidā, post Hippocratē, miliarē, quia in cute quasidā emittentias milio cōsimiles excitat, uocauerūt. hæc defluxio pituitā habere admixtā uidetur: altera uero ex bile exquisita proficisci. quā ob rē cū erosione oritur: cū affectus cutim continuā semper occupet: unde & ei nomē est ductū. si uero sanguis & bilis æqua portione misceantur, eius affectus forma, ac natura media inter erysipelas, inflammationemq; erit. si alterutrum ualde excedat, affectus ab eo, quod superabit, nomen trahet, de quo dicitur: et, quod mixtum erit. itaq; ubi flaua bilis exuperabit, erysipelas inflammatum, ubi sanguis, inflammatio erysipelatis speciem referens appellabitur. similis quoq; erit aliarum mixtionū explicatio, ut inflammatio scirrhus, & scirrhus inflammatus: œdema inflammatum, & inflammatio œdematosa nominetur. etenim hæc quatuor ex humorū defluxione perpetuo oriuntur, ut erysipelas, ut œdema, ut inflammatio, ut scirrhus. atq; erysipelas quidē, ut dictū est, cum biliosa fluxio superet: inflammatio, cum sanguinea: œdema, cum pituita, cuius sit tenuis consistentia: ut ex crassa, & glutinosa alterum scirrhorum genus, alterum ex fœce sanguinis exoritur. ipsa aut fœx est duplex: alteram appellat Hippocrates atram: altera atra est ipsa quoq; sed proprio nomine appellatur atra bilis. ex hac cancri: ex alia nigra unum scirrhorum genus nascitur. ab altera aut, quæ pituitosa est, colore distinguitur. utriusque tamen commune est, ut tumor naturæ modum excedens, dolore uacans, & durus excitetur. utrunq; genus modo ab initio generatur, modo ex inflammationis, aut erysipelatis, aut œdematis permutatione, cum illa refrigerata sint immoderatus.

De effusis, & nigroribus. Cap. 10. H
Prope ad scirrhus accedūt quæ effusa uocātur, & nigrores. quæ senibus, cū uenæ cōtusa sunt, potissimū cōtingunt. horū, ut dixi, quædā nigra sunt, & in senibus præcipue ex leui quauis causa excitantur. quædā inter rubrum, nigrumq; media, quæ nimirum liuida nominantur. hæc omnia sanguine ex uenis effuso, partim per tunicas contusas, partim in earum finibus referatas, oriuntur.

De aneurysmate, & sifidatione. Cap. 11.
Cum arteria aperta est, affectus aneurysma nominatur. efficitur autem cum ea uulnerata, cutis que adiecta est, ad cicatricem deuenit, ulcus uero arteriæ manet, ipsa neque conglutinata, neque ad cicatricem perducta, neque carne obstructa. huiusmodi affectiones cum iam eas arteriæ contraxerint, dignoscuntur ex pulsibus. sed si eas etiam comprimamus, omnis tumor euanciscit, quod omnis eum efficiens materia, quam alibi ostendimus sanguinem quempiam tenuem simul & flauum tenui, copiosoq; spiritui commixtum, in arterias recurrat. iam sanguis is calidior est eo, qui uenis continetur. porro percussum aneurysma sanguinem eiacular, ut cohiberi non queat. in œdematibus quoque materia cedit, si digitis prematur, & pars excauatur: sed in eo affectu neque pulsus est, & color candidior, & œdema latius, maiusq; aneurysmate est: nisi cum grumus ingenitus ex aneurysmate sifidationē fecerit: sic. n. uniuersam solidorum corporum corruptelam uoco, ut ossibus etiam inest, ne dum

A dum carnibus, & uasculis. gangræna uero est ipsa quoque solidorum corporum mortificatio: sed ea ossa non attingit, & e maximis consequitur inflammationibus: estq; una sifidationū species, propriā, præcipuamq; appellationem supra communem consecuta. Sed hæc abunde sunt a nobis definita: ac iam tempus est, ut de melancholicis defluxionibus differamus.

De atra bilis decubitu. Cap. 12.
Cum in carnem atra bilis decubuerit, si mordax sit, circumiectam cutim corrodit, ulcusq; efficit: si sit moderator, cæcrum sine exulceratione gignit. dictum autem supra est, uenas magis ab hoc, quā ab inflammationibus atollit: & item qualis earum coloris species sit. non solum autem constitutū est, ulcus canci naturam referens, sed etiam alia multa cum tumoribus corporum eos continentium, esse omnia a malicia quadam humoris, ut biliosi cuiusdam, aut melancholici, aut quouis modo uirulenti & prauis ex maiore corruptela subnutriti, profecta.

De phagedænis, scabies, & lepra. Cap. 13.
Quæcunque autem ex ipsis depascuntur, & circumiacentes partes attingunt, sanumq; corpus eas continens corrodiunt, ea phagedænica, (quasi dicas depascencia) uocantur omnia. quæ uero extrinseque constata sunt, nimirum ex ulcere, & tumore circumiecto, ea phagedæna nomine appellantur. B atque herpes quidem depascitur ipse quoque circūiectas partes corrodens, sed est solum cutis ulceratio. phagedæna uero unā cū cute et subiectas partes attingit. Chironia aut, & Telephia ulcera uocare, est superuacaneū: siquidē satis est ea omnia cōmuni nomine maligna nuncupare. scabies quoq; & lepra sunt affectus melancholici solius cutis: ut si in uenis itidē, carneq; oriantur, cæcer nominabitur.

De elephante. Cap. 14.
Elephas quoq; melancholicus affectus est: cuius prima origo ex melancholico sanguine est: spatio uero tēporis copiosior, quam sanguis, atra bilis redditur. quo sane tpe & male olēt, & ad uisus aspectum molesti truces, quibuldā et ulcera cōtingūt. hunc affectū, cū incipit, satyriasmū uocāt, quod satyris aspectu similes reddātur. sunt, qui ossiū, quæ in tēporibus sunt, emittentias ita nominēt. quanq̄ huiusmodi ossiū eminentiæ alijs etiā in partibus excitantur: easq; uocant quidam ἐξοσθεις: ut etiam naturales pudendi distentiones alij satyriasmum, alij priapismum nominant.

De achoribus, fauis, myrmecijs, acrochordombus, psydriacis, epinyctidibus, furunculis, tuberculis, bubonibus, strumis, & ramice. Cap. 15.

Achor etiā paruū est in cute capitis ulcus: idq; ex pituita falsa, nitrofaq; exoriri conijceres. effluit aut ex eo sanies quædā, quæ neq; absolute aquea est, neq; iā tā crassa, quam mel, ut in ijs, qui faui dicitur cōspicitur. nam & ij cū tumore quodam, multiq; foraminibus nascuntur, humorq; melleus ex eis effluit. est quidem exiguus corū tumor, non ita tamē paruus, ut in achoribus uidetur. iam alij tumores præter naturā his minores in cute exoriūtur, ut myrmecia, acrochordones, psydriaces, & epinyctides; quos affectus nemo non nouit. nec minus et notus est furunculus, mitis ille quidē, cum in sola cute consistit: ceterū malignus, cum ex imis ualde partibus exoritur. hic similis tuberculo est, ab eoq; sola duritie differt. ambo affectus inflammabūdī sunt. est & tertius post hos, bubo: & quartus, quē οὐρολογον quidā uocāt. eiq; a ceteris tuberculis calore, & ortus celeritate distinguūt. sunt, qui uelint, phygethla solū in alis & inguinibus nasci, cū sint glandularum inflammationes. cū uero hæ partes obduerūt, affectus struma nominatur: quemadmodū testiculis induratis nomē morbo impositū est σαρκώλη, i. ramex: carnosus: & cū humor aqueus in testiculorū tunicis coaceruatus est, ὑδροκήλη, ἐπιπλοκήλη, καὶ ἐντεροκήλη, i. ramicem aqueum, aut omenti, aut intestini uocāt: & præter hæc est ex ambobus iunctum, & plus quam par est, cōnexum, ἐντεροεπιπλοκήλη iuniorū medicorū nomē, hoc est omenti simul & intestini ramex: quo oēs festi tumores appellāt, & κήλας per u, non per e, ut Athenienses solēt, cōscribunt. quædāmodum aut singula nomina, quæ prædicta sunt, morbum eius partis, de qua dicitur, ita etiam κερκοκήλη, id est ramex uaricosus, nomen recens, eius partis, de qua dicitur, affectum indicat.

De uaricibus, ruptura peritonæi, & hydropticis. Cap. 16.

Veteres alias etiam omnes uenas dilatatas κερκοί, hoc est uarices nominant. sic etiam recentiores medici uocant, ac primam syllabam per i, ac non more Atticorum, scribunt. uarices autē in cruribus oriuntur propter uenarum, quæ inibi sunt, imbecillitatem: præsertim uero cum sanguis crassus redundat in corpore. ceterum ubi peritonæum uulnus accepit, aut diruptum est, ac deinde non cōglutinatum, mollis tumor eam regionem occupat. hoc si in inguine accidat, βουβοκήλη uocant: si ad umbilicum, homines sic affectos quidam medici ἐξομφάλους appellant. nullus tamen huiusmodi affectus est solius peritonæi, sed aponeurosin quoque musculi affectam esse plane necesse est, qualis autem ea sit, in anatomicis administrationibus ostendimus. affectus igitur hi musculorum transuersorum sunt: ramices uero, qui sunt in inguinibus, obliquorum, illorum aponeurosi eo in loco unā cum peritonæo uel rupta, uel dilatata. alij quoque tumores eam regionem occupant: quod aliquod ex subiectis uisceribus sit elatum. nosq; iam diximus, quinam affectus, ea in tumorem attollant: inflammationes nimirum esse, & scirrhus, & abscessus, & quæ sunt generis eiusdem. in hydropticis autem copia materiæ eadem in regione colligitur: ut aquosæ in ijs, quos ab utriusque similitudine ἀσκήτας uocant: flatuosæ in ijs, quos tracto a tympanis nomine τυμπακήτας nominant: pituitosæ deniq; in ijs, quos ἀνά σάρκα, & λευκοκήλη, μακρὰς nuncupant.

† Videtur Iegen. παρὰ φύσιν, i. præter naturam.

Corn. Cel. I. u. ait eū panē a latinis dici.

SVnt etiam alij tumores, qui propria sunt nomina consecuti: & tamen ipsi nihil habet præcipuum, ut Sepulides, parulides, thymi, & alia huiusmodi, quæ carnosæ germina sunt: ut et uua, paristhmiæ, tonsillæ nihil aliud, quàm inflammationes sunt: atq; uua quidè, gurgulionis: tonsillæ uero, earum glândularû, quæ in principio faucium mutuo opponuntur: ut paristhmiæ, costis corporum, quæ in ipsis sunt faucibus. Hippocrates autem non omnem columellæ inflammationem appellare uua uidetur: sed unâ modo specie, in qua finis gurgulionis est uua acino consimilis. Polypodes autem oriuntur, cum uel inflâmatio, uel tuberculû aut aliquod germen, aut ut ut appellare libeat, in naribus consistit. inflâmatûdi sunt, & humidî, quæ loci illius natura est. encanthis quoque tumor præter naturam est in magnis oculorû angulis exoriens: nec tamen est toto genere præter naturam. Vngues uero germina sunt membranæ exterius oculis adnata, quæ ab ea, quæ ossa ambit, delata ad coronam peruenit, quæ autem staphilomata nominantur, partim solo situ, partim affectione præter naturam sunt, uerum de huiusmodi affectionibus omnibus, qui occupare oculos solent, alibi dictum est nobis. quare tempus est, ut, cum nulla supersit tumorum præter naturam species, quæ memorata non sit, hic finem dicendi faciamus.

GALENI DE INÆQUALI INTEMPERIE

Thoma Linacro Anglo interprete.

ARGUMENTVM LIBRI.

Omnes modos docet quibus inæqualis intemperies, & in uniuerso corpore, & in aliqua animalis particula oritur.

Quot modi inæqualem intemperiem fieri contingat.

Cap. 1.



INÆQUALIS intemperies alias in toto animalis corpore fit, ueluti in ea hydro-pis specie, quâ Græci *δυσασθρνα* uocant, & febribus ijs, quas ijsdem epialas appellant, fereq; reliquis omnibus, exceptis quas heclicas nominant. Incidit autè & in una qualibet parte, cum ea uel oedemate, uel phlegmone, gangrena, erysipelate, cancro, uel affecta. Huc pertinet & qui elephas dicitur, & phagedæna, & herpes. Verum hæc omnia cum fluxione consistunt. Absq; autem materia affluxu solis partium qualitatibus alterandis, inæquales intemperies fiunt, utique refrigeratis ijs, aut deustis, aut immodice exercitatis, aut feriatis, aut aliquid id genus passis. Iam ex ijs quæ foris corpori occurrunt, inæqualis intemperies gignitur, dum id uel frigeat, uel caleat, uel siccatur, uel humectum redditur. Quippe hæc simplices intemperies sunt, ueluti in ijs, quæ de temperamentis scripsimus, est monstratum: compositæ ex ijs aliq; quatuor sunt, cû corpus uel caleat simul & siccatur, uel caleat simul & humectatur, uel refrigeratur simul & siccescit, uel refrigeratur pariter & madescit. Quod autem eiusmodi intemperies ab æqualibus eo distent, quod in omnibus intemperanter affecti corporis partibus equaliter nõ insint, id clare liquet. Ergo quis sit omnis inæqualis intemperaturæ generandæ modus, in proposito libello statutum est exequi. Admonendi autem sumus, quo clarior nobis omnis disputatio sit, de omnibus corporis particulis, principio a maximis sumpto, quæ scilicet ne uulgo quidem sunt ignotæ. Si quidem manus, & pedes, & uentrem, & thoracem, & caput nemo est qui ignoret.

Particularum corporis diuisio, & libri propositum.

Cap. 2.

Duidamus autem earum rursus unamquamq; in proximas sui, quæ *προσχη* græce dicuntur, particulas. Verbi gratia, crus in femur, tibiam, & pedem. Item manum, in brachium, cubitum, & summam manum. Iam summæ manus ipsius propriæ particulae sunt carpus, metacarpium, & digiti. Digitorû uero particulae sunt, ossa, cartilago, ligamentum, arteria, uena, membrana, caro, tendo, unguis, cutis, adeps. Has autem diuisisse in aliam speciem non est, sed sunt similes ac primæ, exceptis tamen arterijs & uenis. Hæc nanque ex fibris & membranis sunt conditæ, ueluti in tractandæ dissectionis ratione est traditum. Quinetiam complura esse spatia inter ipsas primas & similes particulas, atque ijs etiam plura maioraq; inter ipsas instrumentales, & compositas, aliqua uero & in una qualibet simillari particula, ueluti ossæ cuteq; hæc quoque omnia in ijs, quæ de administrandis dissectionibus scripsimus, sunt prodita. Ac quæ mollia quidem sunt corpora, ea quoniam sibi inuicem incumbunt, interposita spatia latere conspectum faciunt. Quæ dura siccaq; sunt, in ijs cernere spatia licet, sicuti ossi caueriulas. Cõtinèt hæc naturaliter multum in sese humoris, huiusq; crassi & albi, in id comparati ut ossa nutriat. Quæ in cute foramina sunt, ea qua ratione fiât, in ijs quæ de temperamentis præcepimus, est dictum, atque

Atq; hæc monuisse necessarium erat claritatis causa eorum quæ a nobis deinceps sunt dicenda. De inæquali uero intemperie nunc agendum, tum quænam eius natura sit, tum quot eius generandæ modi. Ergo quod in omnibus particulis corporis quod ita est affectum, unica temperies non sit, prius est dictum, uerum id cõmune omnis intemperamenti inæqualis est. Differentiæ eius, ipsam corporum affectionum sequuntur naturam cum aliter simplex caro, aliter uniuersus musculus impari temperamento sit affectus.

Quo pacto inflammatio in aliqua particula oriatur & finiatur.

Cap. 3.

QVippe calida fluxio, ubi in musculum procubuit, primum maiores arteriæ, uenæq; opplentur, ac distenduntur, ab ijs minores, atq; ita res procedit, donec ad minimas sit peruentum. In ijs ubi ualenter impacta fluxio est, nec amplius contineri potest, partim eius per ipsarum ora, partim per tunicas colatum foras transmittitur, tum uero spatia ipsa uacua, quæ inter prima sunt corpora, fluxione implentur. Sic omnia ab humore, omniq; ex parte incallescunt, ac perfunduntur. Ea sunt nerui, ligameta, membrana, caro ipsa, anteq; hæc, arteriæ & uenæ, quæ scilicet & primæ & præter cetera uario dolore afficiuntur. Quippe interius a fluxione tum excalfiunt, tum distenduntur, ac diuelluntur: exterius nõ modo excalfiunt, sed etiam premuntur, ac degrauntur, reliquæ particulae aliæ comprimendo solum uel in calefendo, aliæ utroq; genere laborant, appellaturq; morbus ipse phlegmone. Est autè inæqualis intemperies musculi, feruet enim iam qui in eo est sanguis. Is secum excalfacit primû quidè ac maxime arteriarum & uenarum tunicas, mox uero omnia quæ extra has sunt, quibus scilicet circumfunditur. Ita duorû alterû necesse est sequi, ut si fluxio, uicerit, corruptio sequat uictorû corporum: si fluxio sit uicta, ut musculi ad naturale statû redeat. Esto igit prius uicta fluxio, (rectius. n. a. melioribus incipitur) duplex hic incidit curationis genus, quod uel digere, quicquid humoris in particula procubuit, uel cõcoquetur. Verum digestio optata maxime curatio est. Cõcoctionem hæc duo necessario sequuntur, puris generatio, & eius in aliquo spatii abscessio. Abscedit aliquando in capacitatum, quæ propinquæ sunt, tum maximam, tum minime momentaneam, quod sane abscessionis genus optimû est. Alias in nõ momentaneam quidem, non tamen maximam. Interim in maximam, nõ tamen non momentaneam. Ac quæ in uentriculum incidunt abscessionum, optima est quæ in sinum eius internum abijt, in quem etiã plerunq; se aperiuunt: mala uero, quæ sub peritonæum. Pari modo in ijs quæ circa cerebrum existunt, bona est quæ in priores eius uentriculos abscedit: mala, quæ sub inuolucra eius: item, quæ in posticum eius uentrè se recipit. Qui uero circa costas abscessus colliguntur, hi in capacitatis erumpunt thoracis, ac musculorum quidem abscessus, sub cutem uiscerum uero, in arterias & uenas, quas in se continent, uel in membranâ qua operiuntur, quæ ipsis pro cute est. At si uicta a fluxione particula fuerint, in tantam deuenient intemperiem, unde tum earum pereat actio, tum ipsæ spatio corrumpantur. Porro desinent tum primum dolere, cum mutatrici qualitati fuerint adsimilata. Non enim cum mutata particularum temperies iam est, siue (ut sic loquar) in ipso mutatum esse, dolent, sed dum mutantur, siue in ipsa mutatione. Quemadmodum mirus dixit Hippoc. dum alterascit ac corrumpitur natura, dolores sunt. Alteratur autem ac corrumpitur cuiusque natura, cum uel calefit, uel frigeat, uel siccatur, uel humefit, uel eius unitas dissoluitur, in ijs quidem intemperamentis, quæ inæqualia sunt, ex calefaciendo, uel ex frigefaciendo potissimum, quippe cum efficacissimæ qualitates hæc sint: secundo loco e siccando, uel humectando, ex esuriendo uero, uel sitiendo, deficiente hinc humida, illic sicca substantia: ex uulnerando & erodendo, & tendendo, & premendo, & conuellendo, unitate ipsa soluenda.

* διαλλάττεται.

De ortu inæqualis intemperiei in uniuerso corpore animalis.

Cap. 4.

ERgo si calor sanguinis in particula, quæ phlegmonè laborat, mitis est, tum qui in toto animalis est corpore mediocriter attemperatus, non facile unâ cum afflicta particula calefit: si uel ille feruet uehementius uel qui per totum spargitur animal, biliosus est, illico totus ad calorem uertitur, multo uero magis sicubi ambo concurrunt, ut & qui in phlegmone habetur, admodum calidus sit, & qui in toto est animante, biliosus. Porro calefit primum qui in arterijs est sanguis, quod scilicet si tum natura calidior, tum uero magis spirituosus sit: post hunc uero etiam qui in uenis est. Quod si propinqua uisceri, cui plurimus sit sanguis, obfessa phlegmone particula fuerit, iam celerius cum hoc uniuersus qui in animali est sanguis, calore afficitur. Vnoque uerbo, quicquid ex facili alterabile est, aut calidum natura, id a quouis calefaciente primum excalfit. Non secus & ab eo quod frigefacit, quicquid facile alteratu est, uel natura frigidum, id primum refrigeratur. Ac promptus quidem ad alterandum spiritus est, utpote ex tenuissimis constans partibus. Calidissima natura merito est flaua bilis, at frigidissima pituita est. Reliquorum humorum sanguis, post flauam bilem maxime est calidus, sicut nigra bilis post pituitam est frigida. Quinetiam alteratur flaua bilis leui momento, ex quouis in eâ agente, nigra ægre alterascit. In summa quicquid tenuium est partium, id prompte alteratur, contra cui crassæ sunt partes, ægre. Ita necesse est multifariæ phlegmonis alterationes incidant, propterea quod multifariam affecta sunt corpora. Principio nanque succus qui phlegmonem excitat, magis minusue calidus est, deinde succi putrefactio, pro ipsius natura respondet, non minimum certe prout is magis minusue est impactus. Quippe quæ per spiratu carent, celerius putrescunt, ueluti & in externis accidit omnibus. Ceterum cum calida temperie sunt & humida, tum utiq; potissimum. Iam ipsa phlegmone laborans particula, uel prope, uel longe

SECUNDA CLASSIS.

F 4. lita

G A L E N I L I B E R D E C A V S I S
P R O C A T A R C T I C I S.

Nicolao Regio Calabro interprete.

A R G V M E N T V M L I B R I.

Probat causas dari procatarticas, & refellit ueterum medicorum sophismata.

*Aduersus sophistas qui procatarticas causas negarunt, ac quot & qualia
sint genera causarum. Cap. I.*



NATVRALES philosophi illi ueteres, quorum studium erat, ut humano generi prodesse: non modo ea quæ aperte cognoscuntur, tractabant, uerum, & operam nauabāt, ut abditarum etiam rerum complures inuenirent: & inde proueniebat ut illis temporibus rerum inuentionibus maxima fieret accessio. At uero ex his posterioribus tam philosophis quàm medicis nonnulli, gloriæ quidē cupidi, desperantes uero, ut par est, eius se posse fieri cōpotes, quibusdam uersutis impliciti fuere. Alii autem quum propositas sibi cauillas diluere nō possent, e duobus alterū passū sunt: nam uel illis perinde ac ueris acquieuerē, uel arbitratī sunt æquum esse ut de omnibus dubitarem. Et nimirum circa causas a Græcis procatarticas, quasi præincipientes uocatas, (nos forsitan nō inepte antegressas appellare possemus) aliquod etiam reperitur sophisma, quod in causa fuit cur priores, alios quidem ex his qui successere in dubitationem ducerent: alios uero ad id ut illi assentirent, adducerent: ita ut eam contemplationem, quæ ipsa per se & sufficiens & necessaria est, quamq; longam artem Hippocrates nominauit, istis suis his mirabilibus captationibus longiorem reddant. Tu uero o Gorgia, quum huiuscemodi medicos derideas, præsertim autem nuper, dum uideres quendam delusum atque ab ipsis huius artis operibus redargutum, efflagitasti a me, ut de antegressis causis, seu procatarticas, quas etiam antiquorū complures, occasiones uocant, commentarios tibi scriberem: ob id enim censuerunt, eas esse morborum occasiones dicendas, quod in primis imbecillitatem corporum animalium monstrant. Nullus etenim qui bono constet corporis habitu, si uel secundum crura frigeat, uel calore aestuet, uel præter modum exerceatur, uel tristitia uel alia huiuscemodi re afficiatur, statim et ægrotat. Sed huiuscemodi generis causæ sola inualida corpora commouent, & inde (ut quidem arbitror) præstitæ sunt sophistis occasiones argumentorum, dum probare nituntur, quod si aliquando non obsunt, non sunt etiam quum imbecilles tangunt, pro ueris causis habendæ. Quia si ea sint natura ut agant, ex se uim habent agendi, neque ab inualidis corporibus habent ut effectrices uiderentur, quod tamen secus est: uidemus siquidem mille simul in theatro sedentes, e quorum numero quatuor tantum æstuant, & in eis unus a febre arripitur, nec plures, quemadmodum & Menandrum familiarem nostrum, pridie uidimus: qui quum e stadio post certamen exiret, conquerebatur quod secundum caput doleret, & paulo post coepit febre teneri. Illum nos secunda die uisentes iussimus (ut nosti) caput rosaceo oleo foueri, mox dormire, postmodum impenso lauari, nihil timentes, si aliqua adhuc reliquæ febris uiderentur relicta: ceteris tamen medicis celsentibus expectandum tantisper, donec uideretur qualis foret inuasio quæ per tertiam diem solet inuadere, Græci diatrioton dicunt. Habitis igitur uerbis multis, quorum gratia hæc a nobis literis mandari rogasti: dum neque nos unquam illos, neque illi nos de sententia mouere potuissent, ægrotanti facultate permissa, ut quod Hille mallet, eligeret: omnes unam recessimus. Sed paulo post accessit ad nos quidam ex Menandri domesticis rogans ut ad illum rediremus, id quod fecimus. Nam neque adeo erat Menander rudis, ut eas rationes uel non apprehenderet, uel non cognosceret eas quæ ueriores sint esse efficaciores, uel ignoraret etiam iudicem dissidentium rationem esse in primis experientiam: nec obliuioni præterea mandauerat ea quæ peracta erāt quando iuuenis ille, qui ex labore febricitauerat, balneis adhibitis, reclamantibus tamen medicis aliis, confestim integritati restitutus est. Sed & alium (ut te non latet) qui diceret se præ æstu febre fuisse arreptum, balneis pluribus sanauit: quumq; ceteri timerent, & fateretur se ignorare qualis esset futurus euentus morbi illius in iuene, qui iam delirabat: ego subridens nō multo post inquam, fluorem sanguinis e naso patieris, & sic omnino a morbo liber euades. At illi irridebant, aciebantq; nequaquam hæc diuinari posse: uerum statim e dextra nare sanguis defluxit. Sed & sudorem qui deinde superuenit, prædixi, & copiosam alui deiectionem, & uomitum, & multa etiam alia quæ ad naturam & curationem morborum attinent. Illi autem eo absunt, ut credant posse quippiam tale opus perfici, ut uatum potius quàm medicorum munus esse putent huiuscemodi præfagire. Non ergo eis ille credere debebat, qui etiam mihi dixit, eorum se nullum a principio aduocasse: sed illi hoc etiam inter alia mirabile agunt, quod neque etiam acceriti ægrotos adit. Tu uero (ait ille) me doceas quo me uelis

De causis procatarticas.

46

Alis modo rosaceo uti, quibus etiam cibus a balneo uesci: ob id ipsum enim te rursus uocauit. At ego his, sicut tunc mihi uisum est, institutis, ad alium accessi ægrotum, qui parum ab urbe aberat: mox altera die rediens reperito homine absque ulla omnino febre, iussi iterum lauari & copiose etiam, & deinde solitas aggredi actiones, & sic ea omnia obiuit munera, quæ sibi ex natura debentur, famulo illo nō expectato diatrioto. Nosti præterea & alium adolescentem, qui pene consilio huiuscemodi medicorum deperijt. Is siquidem biliosissimus, nec non & calidissimus erat, atque iter per æstum, locaq; profunda ac arenosa, concitato motu fecerat, & ita exiccatus in gymnasium se contulerat: (Nam ex his erat qui ea exercitatione delectabantur:) ubi post frictiones & unctiones alter adolescens illi ætate par, obuiam factus & amplexus, eum iterum exagitauit, ita ut iam & frictionum oblitus, & quod inunctus esset, coluclauit diutius: moxq; tertio quum se lauisset, domūq; rediret, illi oblata est occasio maioris erroris. Occurrit nanque quibusdam amicis, qui inter se rixabantur, iamq; ad uerba deuenerant. Quos dum ille diuellerē conatur, adeo exiccatus est, ut horrere statim coepit, uicq; sibi uideretur: tandem domū delatus, decubuit. Sed quum in istorum medicorum manus incidisset, illi inuasionem tertiæ diei expectari iusserē: nobis tamen consulentibus, ut quamprimum uberrime lauaretur, & cibus quam humidus administraret. Tu uero probe tenes, quod quæ tertiæ diei inuaderet exacerbatio, ille pulsu penitus carebat, & frigebat, nec se aut mouere, aut transferre poterat. Præ siccitate aut uiriumq; imbecillitate, neque os neque linguam mouere, neque uel modicum quid loqui potis erat. Necessitate igitur ea famulus ipsius compulsus, nos adiit rogās, ut quàm celerrime accederemus, & opem adolescenti ferremus: quem accedentes tabe confectum uidimus, & postea uix diebus pluribus ualitudini restitutum: & tu, qui in terfuisisti, hæc omnia scis. Id enim medicis omnibus uidebatur esse præter omnium opinionem, quum ab antiquorum nemine scriptum reperiatur, & censebant hoc nostræ potius esse temeritati adscribendum, uelle ante accessionem cibum atque etiam uinum adolescenti offerre. Sed & os quādoque illi uiperiebam, ut cibum ingererem. Quum uero ille se melius habere coepit, ante inuasionem ab exhibendo cibo me continebam, ut animaduertere posses quo pacto ille dissolueretur, frigidusq; & prope sine pulsu redderetur. His tamen sic etiam peractis, uix potui illis medicis qui aderant, persuadere, id ipsum fuisse, uinum inquam cibumq; ante inuasionem obtulisse: quod adolescentem superstitem seruauit. Illi autem ex me sciscitabantur qua tandem ratione id agerem: erat enim illis hoc admirationi. At ego existimabam non esse par, ut illis responderem, qui in ipsis statim artis inijs aberrarent, utpote quum & quæ sint elementa animantium, & qualis morbus febris sit, ignorent. Verum in alijs literarum monimentis de his disseruimus: neque operæ pretium est, ut pleniorē de his sermonem habeamus, quæ sunt præter institutum, quamuis sint etiam utilia, quàm de ijs de quibus loqui instituimus. Nobis enim proposuimus nullius præterquam utilium rerū per hos libros meminisse, immo ea omnia remouere, quæ male se habent, eos imitantes qui uias ueteres spinis ac sentibus obsitas, depurgant. Nam neque illis is erat scopus ut spinas & sentes rescarent: sed dum ad negotia sua properarent, puncti ab his syluestribus plantis, coguntur primum ea abscindere, & ita deinceps ad id quod sibi inter initia proposuerant, redire. Quod si non modo spinis & uepribus uia sit intersepta, sed hamis quoque, & alijs præterea quæ illi possint esse impedimento: multum ille qui eam purgaturus est, tempus conterere cogetur. Porro in hac nobis in præsentī proposita contemplatione, nonnulla reperiuntur sophismata, quæ spinarum similitudinem gerunt, quædam uero ueprum, alia hamorum, a quibus, incautus si quis ceciderit, statim capietur. Et proinde non secus odio habendi sunt illi qui huiuscemodi sophismata consuunt, quæ beneficæ arti impedimento sunt: ac illi etiam qui ea in uijs, per quas homines frequentes transeunt, semināt. Nos itaque & horum nonnulla rescindamus, aliqua emendemus, alia coneramus, ut antiquam uiam quæ non ad ciuitatem, sed ad artem omnibus ciuitatibus utilem fert, expurgemus. Primum igitur eos, qui nunquam inter morborum causas immodicum frigus, uel æstum, uel repletionem, uel alia eiusdem generis numeranda censent, interrogemus quanam illi sapientiæ ratione, aut qua opinione inducti, ista nobis suadere uelint. Num ex his quæ hic in terra degūt? Atqui nemo nostrum est, qui media æstate, circa meridiem, præsertim sub ortu canis, si in calidis regionibus uentis nō expositis, quo maxime tempore uenti † [qui per annū flare solent,] nulli feruntur, se offendi non animaduertat ac fugiat. Quod si immoderatiores æstus omni carerent offensione, quis unquam esset frigidarum domorum usus? quæ frigidarum aquarum commoditas? quæ uini aut balnearum delectatio? quid sibi præterea uult declinatio ea, quum eo tempore ad umbratiles domos diuertimus? nam quis tunc nō hortatur ad utendum uino moderate, ut uia ad pulmonem humecta reddatur? Vnde si citra quodlibet periculum possimus æstui nos exponere superuacaneum esset ab eo fugere. Cur ergo mulieres pileū non abijciunt? cur bubulci atque etiam pastores ceteri coronas ex uirentibus ramis non deponunt? Nullus tandem uiator coniecto capite iter faciat. Careant etiam conuiuia æstiuæ hederæ, careant coronis ex rosas contextis: fugiamus cetera quæ nobis æstuosis temporibus solatio esse solent, doceamus pastores bubulcosq; ne solem meridie fugiant, ne etiam ad umbrosa & aquilonibus exposita loca pecudes conducantur. Cur enim hæc fugienda si molestia carent? Cur etiam his quæ nullum afferunt incommodum, remedia quærimus? Nunquam sane ista illis persuadebis, neque poteris unquam cetera quæ à natura sunt procreata, ita docere, quin ea quæ ex natura contristant, sint fugienda. Dic quæsto tu unde huc accedis? ex quo tandem mundo exortus es? nonne hic omnia usquequaque animantia

† et est.

mantia suis functionibus deliramenta hæc tua redarguunt? quippe quæ per multa stadia peregrinantur, ut æstate calorem, frigus uero hyeme fugiant: & quæ præterea fugere nequeunt, æstum ac frigus locorum mutatione, cauernisq; & similibus habitaculis, uel tectis declinant. Ego autem libenter uell em, o sophista generose, ut tu æstate media, oriente cane, in regione aliqua humili, nullis peruia uentis stares, nudo capite, neq; etiam per totam diem, uel subinde per multos, sed unico tatum, immo tribus solummodo horis illis tamé meridianis. Nam non modo ureris, febreq; laborares: sed delirares, exanimareris quoque. Neque malum præterea esset, si hyeme media, niuosis temporibus, & plurimū pluuiosis, nec ita modo, uerum exiens ex tepidioribus balneis: sentires siquidē quid frigus possit, & quas etiam causas morbus sequatur. Neq; possim non admirari, quum tu balnea damnas ceu nō recte administrata. Nā quid aliud est male balneas administrari, nisi eas nō habere temperatū calorē? uel cur etiā eas dānas, quæ quod sint iusto calidiores uel frigidiores, temperiē excedunt: si nihil nos possimus a calore uel frigore lædi? aut cur ij qui in balneo concludunt, mortē obeunt? cur etiā multi in itinere ex frigore anteq̄ ad hospitium peruenire potuerint, interiere? Nisi forsitan uerū quidē esse putas, aliquos ab immoderatis caloribus uel frigoribus posse mori, non tamen ab his ipsis quæquam posse lædi, quasi possit quispiam absq; ulla læsione mori. Profecto hos iniquos sophistas deceret, ut sub terra se absconderent, uel saltem præ pudore prauas has opiniones desererent. Hi tamen adeo ab hoc abfunt, ut subinde etiam non uereantur alia quoq; sophismata, quæ & absurditate & impudentia maiori referta sunt, prioribus annectant. Dicunt enim se contendere, nō quidem quod ab huiusmodi rebus non lædantur homines, sed quod non sint nocenti causa: quia si causæ existerent, semper eandem haberent rationem. Oporteret autem nos dissoluere hosce nodos, quorum uis nō in rebus est, sed in uerbis: quia si aliquid sit quod possit quidem nocere, uerū non semper sit morbi causa, & tu nolis, quia aliquando solum nocet, & aliquo tempore, causam appellare: iam non amplius de re erit quæstio, sed de nomine tantum erit ea cauillatio. Dic ergo id sane nocere, nec tamen esse nocenti causam: & noxium appella, illius tamen appellationis rationē nega. Noxium siquidem, sicut & salubre, nuncupatio quædam. Istius uero nuncupationis nulla alia ratio est, nisi quia nocenti causa est. Vnde si quispiam horū quæ a te proferuntur ignarus sit, & illi dixeris aliquid esse noxium: intelliget ille quod nocenti causa est. Dices quod mihi nocet non est omnino noxium, causa enim semper causa est. At qui saltem quū nocet, necesse est fateri, esse causam nocenti corpori cui nocet: & id ipsum est quod nos quærebamus. Nam quemadmodum si semper noceret, semper causa esset nocenti dicenda: ita quū non semper, sed aliquando nocet: tunc quoq; solummodo causa dicitur: quod si tu hoc uolueris uocare noceri, nihil hoc ad rem faciet: lis enim erit tantūmodo de noīe. Quod si quæras, quid igitur est de re ipsa litigare? De re, inquam, est quæstio, quum quærimus si iis homo qui nunc febricit, id passus sit a nocentem sibi a solis æstu, uel a gelu, uel ab immodicis exercitiis illato. Differere uero an id quod nocuit, sit appellanda causa, uel ne: non est ea amplius dissertatio de re, sed de uerbis. & si quis his assentiet, nihil propterea medicinæ oberit, non tamen hæc sunt admittendā. Possimus nos quidem & sine ullo fere negotio explicare quid hoc nomen causa significat: & ea res adeo exigua est, ut nullus fere in hac lingua eductus illius ignoret significatum. Si enim quempiam se in forum conferentem interrogaueris, quamnam ille de causa domo exierit, aduerte quid ille respondeat: dicit etenim, quod aliquid empturus, uel amicum conuenturus, uel aliquid aliud huiusmodi, ita ut semper insinuet id quod sibi opportunum est, causam fuisse. Vnde hæc omnia ad idem genus attinent, siue id dicas propter quod aliquid factum est, siue utilitatem generationis eius, siue finem, siue scopum, (nam nec quicquam inter hæc interest) semper nimirum te uelim id intueri quod dicitur, non autem semper de uocabulis esse sollicitum. Quod si alia quoque exempla desideras, pete a fabro qui lignum perforat, uel dirigit, uel dolat, uel cōglutinat, propter quam causam id efficiat: ille statim respondebit, lecticæ causa. Vnde & ipse scopū suæ actionis causam uocat: quem ubi est affectus, uniuersa actio definit. Nec secus etiam textor, si eum interrogaueris cur fila staminis deducit, uel lanam pectit: propter id respondebit, quod suæ actionis finis est: affirmabit enim se omnia indumenti gratia facere. Quod si rursus quam ob causam indumentum fecerit, ab eo petas: dicit ille ut corpus contegat, & a frigore tueatur, & id genus causæ quæ maxime omnibus est in usu. Est & aliud non minus hoc consuetum, quum causam in materiam referimus: unde si reprehendatur faber quod paruam fecerit lecticam, statim ille id lignis attribuit, figulus uero terræ, & pictor coloribus. Quis enim est qui non frequenter homines audiat, quum petitur cur lignorum compages in lectica dissolutæ sint, aut cur floridus picturæ color cito defloruerit, quid etiam fuerit in causa quod aedes cito corruerint: respondentes, fuisse id, quoniam ligna uiridia erant, quæ subinde, quum aruere, distorta sunt. Quod etiam optimorum colorum copia pictorem defecit. ædificator uero ait, quod uel calx, uel lutum, uel quippiam aliud his simile praua fuere. In omnibus siquidem his materiam causamur. In his etiam instrumenta ponimus. Si enim causam quæris cur faber lecticam male coagmentauit, qui tamen non esset malus artifex: ille statim respondebit, quod prauæ affecta erat dolabra, terebellum crassum, lima & malleo carebam, securis etiam erat obtusa. Pari etiam pacto si ex librario petas, cur nō recte scripserit: dicit ille, chartam asperam extitisse, atramentum uero fluidum, pēnam autem obtusam, defuisse etiam cultellū quo ipsam rectius formaret. Is etiam dum chartæ & atramenti meminit, materiam profert: dum pennæ & cultelli, instrumenta. Sed quis est præterea qui ignoret, quod etiam ipsos artifi-

cēs

Aces culpamus tanquam causas errorum, qui in opificiis committuntur: tunc in primis quum nihil habemus quod possit in instrumentorum defectum referri? Præstantium quoq; opificiorum causam fuisse artifices profitemur. Dicimus enim quod is (utpote Phidias) statuam illam effecit, alius uero Iouis Olympici simulacrum: nec non & medicum sanitatis, quam in ægrotis efficit, causam, & gubernatorē nauis, quam a procella seruat. Dicimus etiam causam esse nauis illum qui eam construit: & idem de lectica, carpento, & similibus. Ut tandem duæ quidem sint primæ causæ, atq; maxime principales: scopus inquam, cuius gratia fiunt omnia quæ fiunt, & effector a quo ea fiunt. Has dignitate sequuntur tertia & quarta, instrumenta nimirum quibus, & materia ex qua. Porro in humanis artibus, nisi causæ omnes conueniant, nullus unquam effectus absolui poterit: nam nisi aliqua esset lecticæ utilitas, nunquam faber illam construeret. Sed si aliqua sit illius utilitas, careat uero dolabra, ferris, terebello, aliq; instrumentorum supellectili, neq; sic lecticam coagmentabit: & si hæc illi omnia præsto sint, & mox ligna deficient, neq; ita componetur lectica. Neque si instrumenta & materia parata sit, & utilitas urgeat, absit autem artifex, unquam quicquam fiat. Et hoc in omnibus aliis artibus pariter inuenias. Omnes siquidem alicuius gratia agunt, egent etiam tum instrumentis, tum materia. Quod si aliquando secus fiat, tunc unico uidentur genere causæ orbari, eo inquam, quod dicitur cuius gratia sit, quod in his accidit, B quæ casu fiunt: ea quippe nullius gratia fiunt: deficit tamen quandoque & id per quod fiunt. Per quod autem est instrumentum, sicut propter quod, est utilitas generationis rei: a quo, est artifex: ex qua, est materia. Et iam quidem hoc constat, nihil unquam reperiri posse, quod materia non egeat ex qua constet, & efficiente a quo sit: nec aliquid reperias quod contra se habeat. Semper etenim necesse est sit conuentus alicuius patientis, quod uicem materiæ habeat, & alterius quod circa ipsam agat, & efficientis rationem teneat, & hoc eget nonnunquam instrumento si alicuius gratia egerit. Agit tamen aliquando etiam sine instrumento, quum nullius gratia agit. Nempe si quis calcitratus in pugna inde fuerit mortuus: qui calcitrauit causa effectrix (ut ita dicam) mortis fuit. Instrumentum autem crus fuit materia corpus illius qui fuit calcitratus: & si id ex proposito ille fecit, causa alicuius id effectum est: quod si non alicuius gratia factum est, illud in fortunam referendum est. At quum ex frigore continentis aeris uel æstu læditur quispiam: aer continens effectrix causa est, materia corpus quod afficitur. Quare nunquam speraueris te posse aliquem reperire effectum, nisi efficiens & materia coeant: ablato enim eo quod patitur, ex quo fiat id quod faciendum est, qui poterit esse efficiens a quo fiat? Vnde oportet ut hæc utraque aliquid ad generationem rei conferant: quæ autem ad rei generationem conducunt merito causæ appellandæ sunt. Iam nō omēs hoīes causas appellat, quæ ex sui natura ad rei generationem aliquid afferunt. Potes autem tu uel causam nominare, si libet, uel principium. Verum in oībus his aliquid istis oppositum reperias, quod tamen per accidens est. Faber nempe, terebellum, & lignū ad uasīs generationē aliquid ex sui natura conferunt. Statim n. ut id cōstructū est: poteris intueri lignū & foramina, quæ terebello fuere a fabro facta. At locus ubi iacebat lignū, unde a fabro fuit ad hoc opus assumptū, & aer qui id in orbē cōprehendebat, causæ dicentur, non primū, sed per accidēs: & quia artifex homo erat, eū aliquo contineri loco necesse est. Quod quū ita sit, nec præterea opus sit intercedere inter ipsum & lignū corpus quod solidū sit, obsisteret enim ne ille in id agere possit: necesse fuit ut illud quod inter utrunq; mediū est, aut inane, aut si secus, saltē corpus sit quod cedat: qua ratione & aer aliquid ad uasīs generationē affert. Hæc uero magis tibi euidentiā uidebuntur, si cogitaueris artificē, perinde ac ipsa natura facit, per uniuersam permeare materiam, dum agit: non autem uti nos, qui exterius tantummodo eam attingimus. Tunc enim satis erit apertum, nullum tunc loci usum fore ipsi opifici, nisi illius forte quo materia continetur, neque aeris in orbem circūfusus, neq; inanis. Quapropter sæpe in lapidibus atque etiam in terra gignuntur animantia, ubi eundem penitus locum opifex occupat & ipsum opificium. Indiget itaque faber, ut agere possit circa lignum, spatio intermedio quod nō impediatur, non ea ratione qua artifex est, sed qua corpus est, quod alium ab eo qui materiam quæ efficitur, continet, locum occupat. Hæc nimirum ex accidenti sunt, & tanquam ea sine quibus non. ea uero quæ ex accidenti sunt: quatenus præsentia sunt, nihil ipsa operantur. uidentur tamen ea ratione adiuuare, quod dum ea adsunt: ab eo loco ea, quæ obsistere possunt, procul sunt. unde magis ualent, si abfuerint, impedire actum, quam quum præsto fuerint. solidum quippe corpus interiectum inter fabrum & ipsum lignum, impedimento est, quo minus faber possit circa lignum operari, quod si de medio tollatur, ex accidenti consequitur, ut aer in illius locum subeat. quum enim nusquam in hoc mundo inane consistere possit, locus, quem solidum illud corpus dereliquit, inanis omnino persistere nequit, sed aere, qui in orbem id continebat, defluente repletur. Constat igitur fabrum aere ex accidenti indigere. palam præterea est, quod qui ambulat substrato corpore solido eget: cui nitatur: alio uero circumfuso quod cedat. Non sunt tñ hæc illi opportuna qua ambulās est, sed qua corpus est, quod deorsum, hoc est uersus mundi centrum, fertur: quodq; rursus in sublime ambulando nequit ferri. citius enim deorsum uersus terram delaberetur. Sed neque antequam progredere, eo a quo continetur, illi non cedente. Quapropter recte illi, qui hæc pertractauerunt dixere, hæc ipsa potius rationem rei tenere sine qua aliquid fieri non potest, quam quod causæ sint generationis eius. Porro ambulatiois causæ sunt ipsius utilitas, uis animalis, atque etiam crura. Causæ uero sine quibus id fieri nequit, externe, corpus circūfusum cedens: interius uero, alterum quod resistat. Iam itaque uniuersum de causis sermonem absoluiimus, & explicauimus

explicauimus quæ illæ sint quotq; & quales, & quo modo inter se, tum etiam ab his quæ per accidens, E uel sine quibus non, differant. Quod si nolit rursus sophista fateri fabrum esse causam generationis le- ticiæ, respondeat quæso, num fateatur saltem factam esse lecticam a fabro: si uero id conceperit, an po- stea de appellatione adhuc disputabit? Si enim uel quod ex se facta sit respõdeat, uel quod ab eo, utro- que modo delirare redarguetur. quia si dicat ab aliquo quidem factam, de appellatione tamen uoluerit mox disputare: nonne primum uerecundabitur, quod non de re aliqua, sed de nomine est sua ipsius lis. deinde totam quoq; uitam euerit & confundit. Ut enim dixerit fabrum fecisse quidem lecticam, non fuisse autem illius causam: nonne perinde ac si quis concedat, aliquem alium quempiam occidisse, illū tamen nolit fateri fuisse causam mortis istius: putabitur extrema insania teneri. Libentissime uero au- direm illum coram iudicibus loquentem, atque ita dicentem. Viri qui iudices constituti estis: fatetur quidem Dion se occidisse Tiphonem, nec tamen putandus est Dion extitisse causa mortis illius. Profe- cto si id quod quippiã facit, est etiam eius causa: conuinceretur Dion fuisse causa mortis Tiphonis. quod si alius sit a quo fit aliquid, & alius est rei illius causa: ille a quo occisus est, hic non fuit mortis istius cau- sa, nec reus ipse habendus est, & proinde absoluetur, qui conuinci non poterit fuisse causa mortis. Sed quis non iudicabit hæc esse deliramenta & insaniam longam? Quare satius erit iam his relictis: alia ag- gredi horum deliria, ut quod præterea superest uiæ purgemus. F

Aduersus Erasistratum qui procatarticas quidem causas admittebat, sed negabat habendas in numero causarum. Cap. 2.

Est & alterum sophistarum chorus, qui sane concedunt aliqua fieri, ac interire, lædique & alterari, E atque etiam horum omnium aliqua existere causas putant: mox tamen uerentur concedere pro- catarticas, id est antegressas, appellandas esse causas, utpote qui nolint ab æstu, uel a frigore, neque a ple- nitudine, neque a labore fieri unquam morbos. Quorum amentia mihi magis miranda uidetur, quam prio- rum, qui eas omnino, ac si non sint, negant. Istorum enim sophisma occasione aliquam a mutata appel- latione illius nominis habet: illorum uero penitus sophisma est, immo, si uere loqui, liceat, potius cir- cumuentio. Quia si hi existimant aliquid esse causam: hoc addidisse deberent, an ea materia circa quam id aget, impatiibilis sit, an uero patiat. quod si ipsi impatiibilem esse affirmauerint: ne materiam quidem seruabunt. hoc enim est esse materiæ, ut ab efficiente patiat, atque facile ab eo regatur. Si autem fatean- tur materiam pati: nunquam amplius negabunt, quin hæc quidem magis, illa uero minus patiantur. nã causæ quæ in eam agunt materiam, aliqua sunt fortiores, aliqua imbecilliores comparatione materiæ. Quæ omnia ubi illi conceperint: quæ deinde ratio afferenda erit, cur e mille qui in theatro aderat, qua- tuor tantummodo fuerint a febre arrepti. num hos tantum a solis calore comburi contigit? Nam si nõ G modo decem, sed unus solummodo in febrem sit illapsus: nihil hoc absurdi secum habet. Quid enim ue- tat quo minus hic solum idoneus fuerit, ut in eo temporis spatio ab ea affectione læderetur, aliorum nonnullos ob corporis bonum habitum ætate omnino neglexisse, aliquos uero imbecilliores quidem fuisse quam ut possent se ab æstu omnino tueri: uerum fuisse opus longiori interuallo temporis, ut ea læ- sio in febrem desineret? Sed nos iam illum introducamus qui primus adeo fuit in his impudens, & ip- se fuisse uerbis loquatur, quæ in hunc se habent modum. Causas sane febrium primum atque etiam nunc sciscitari solent, & ab ipsis ægrotis audire uolunt, an is morbus, ex frigore, uel labore, uel plenitudi- ne, uel alia simili causa originem habuerit, qui nec uere, neque ut conuenit causas morborum inquirunt. Erenim si frigus febris causa esset: qui magis refrigerantur, magis febre tenerentur. sed hoc nõ ita est: multi siquidẽ qui ad extremum usque periculum præ gelu deuenere: mox ab eo seruati, absque ulla febre permasere. Nec secus etiã in labore & plenitudine fieri uidemus. in fortioribus. n. quidam laboribus uersati, maiorique repletione graues: nunquam febre passi sunt. Hæc sunt Erasistrati uerba in primo libro de febribus. Hæc uero ipse ita impudenter proferre coactus est, ut suum dogma sequeretur, sicuti paulo post exponemus. Sed nõ tm̄ de Erasistrato mirandũ est. ipse. n. gloriæ cupiditate adductus, multa ex his quæ a prioribus tradita sunt, innouauit, multa etiam diruit: quantum de his qui ipsum sequuti sunt, H illius siquidem gloriæ ipsi minime erant participes. Vnde si isti hæc consulo agunt, manifeste insaniunt. si uero secus, admodum ignari sunt: quippe qui ipsam ueritatem non agnoscentes, facile decipiuntur. Porro huius dissolutio sophismatis neque multam etiam dialecticæ disciplinæ peritiam exposcere uide- tur. sic enim ait ipse. Si refrigerari, febricitandi causa est, qui magis refrigerit: ille magis febricitabit. At res hæc nõ ita se habet. Quia si effectrix causa ipsa id absque patiente apto efficere possit: qui magis refri- gerarentur, magis quoque febricitarent. At si frigus non omni corpori febrem afferre potest, sed illi tan- tum quod paratum est ad hoc: tunc non amplius erit necesse, ut qui frigerent magis, magis quoque febrici- tent. immo facile reperias aliquos qui ne semina quidem febris concipiãt. quæ uero sint febris semi- na, non spectat ad nostrum in præsentem institutum. Sane nulla cogit necessitas, ut febricitare magis se- quatur eos qui magis refrigerantur, potest nanque & id euenire, ut qui magis refrigeratur, magis febriciat. potest etiam & omnino secus. sed & tertium accidere potest, quod magis, inquam, quis refrigeretur, & minus febricitet. & quartũ quoque fieri potest, ut magis refrigeretur, pari uero febre arripiatur. & præterea potest qui magis refrigit, nulla teneri febre, potuit siquidem quispiam nihil quidem febricitare, uerum fieri attonitus, uel torpidus, uel tremulus, uel conuulsione apprehendi: ut accidit Alexandro, dum tẽpore æstiuo in Cydno Ciliciæ flumine se lauaret. At uero nec illud est re uera confici potest, ut qui magis frige- scit,

A scit, magis quoque lædatur. nempe id sequeretur si ille pari modo aptus esset: tunc nimirum si magis frige- ret, magis læderetur. Porro nec id etiam sequitur, ut si magis lædatur, magis febricitet. quum aliquãdo contingat ut aliquis magis lædatur, qui tamen non modo non magis, sed, nec omnino febricitet. Quia si nocumentum omne in solam definiret febrem, ubi maius esset nocumentum: ibi maior quoque adesset febris. quum autem multi sint nocendi modi, qui possunt eos qui refrigerantur, alij alios sequi: falsum esse multifariam monstrari potest, quod qui magis refrigerat, magis febricitet. Quod si nõ est necesse, ut qui magis friget, magis febricitet, uel magis nocumentum subeat: fatuum erit dicere, quod idem ho- mo, quum magis riget, magis etiam uel febricitat uel magis læditur. Effet quidem necessarium, si ip- se eodem esset affectus modo sicuti prius: ut quãdo magis riget, magis sit febris obnoxius. Sed si secus, nulla amplius necessitas est uel magis febricitare, uel magis lædi. Hæc profecto Erasistrati dictio eo li- bro descripta praua omnino est, quippe quæ sophismati occasionem & fidem potius præstat, quam quod illud dissoluat. Sed mihi admodum temerarij complures uidentur, qui nunquam in logica disci- plina uersati, ita ut ne ea quidem sophismata, quæ fallaciam in promptu & omnibus expositam habet, possint discernere: audent tamẽ de ueris decretis aliquid statuere, & deinde similes illis uidentur, qui ambigunt an motus omnino sit, quoniam rationes, quæ de eo afferuntur, intelligentia consensu ne- queant. Diogenes uero Cynicus rationes illorum qui motum negabant, apposite satis deludebat. quum enim hac de re interrogaretur: Miror equidem (aiebat) cur, si motus non sit, nauarum quotidie clamant ad Rhodum, ad Cnidum, ad Co. Et ipse ne tentabat quidem huiuscemodi diluere sophismata, quæ ad- uersantur his quæ euentia sunt. Dialectici uero in his potissimum uersantur. ipsi etenim rationem ita- tum falsam esse cognoscunt, ex eo quod repugnat his quæ manifesto conspiciuntur. mox uero inquirunt num in proloquijs, uel in figura lateat fallacia. & si in proloquijs: an in omnibus, an in aliquibus, an in u- no, & quo etiã modo. & si in figura: hic quoque inuestigant ubi error commissus sit, & unde ratio habet, quod quamuis sit falsa, ueri tamen similitudinem ingerat. neque enim iudicant par esse, aut omnino tutũ, uelle eas rationes examinare quid, inquam, ueri contineant, antequam in his, qua aperte falsa sunt: fue- rint exercitati. Nos autem sæpe uidemus multos homines, qui quum per hanc artificiosam uiam ince- dere nolint, neque etiam per compendiarum illam Diogenis, & subinde diiudicare uelint falsos sermo- nes: id nec recte nec perfecte facere possunt. Porro si sint philosophi Cynici: nullum quidem quod abdi- tum sit, aggrediantur. præsertim si illis qua manifesto apparent, uideatur aduersari. quin & rationes eas quæ istis contrariæ sunt: omnino spernant, adeo ut neque uelint exquirere quæ parte fallant. Si uero sint Dialectici: statim paruo etiam negotio hæc captiones agnoscent. Verum ipsi utraque de causa culpandi sunt nimirum & quod adeo temerarij sint, ut in eas rationes, quarũ sunt imperiti, se ingerere uelint, & quod ea omnino obliuioni tradiderunt quæ manifesto apparent. Sed uelim recorderis, quod non modo uiri sapientissimi: uerum etiam rustici omnes, bubulci, ceterique pastores, immo & ipsæ pecudes, gelu & calorem immodicum fugiunt. non ne multi ob horum excessus interiere? an forsitan tu solus inter mortales, ex balneis male administratis nunquam læsus es? Non potes Erasistrate eas rationes dissoluere quæ afferuntur contra causas procatarticas: Et non modo has, sed nec illas etiam quæ con- tra motum, quæ contra demonstrationem, nec eas, quæ contra doctrinam, uel disciplinam, uel inquisi- tionem, uel inuentionem, nec etiam eas, quæ contra horum causas afferuntur. Num igitur hæc omnia erant a te, tanquam non entia, spernenda? uel potius fides his, quæ euentia sunt, præstanda erat, ut si quid ab aliquo fiat, hoc illius causam appellemus. Num ab immodico frigore uel immodico æstu nihil fit? at ob utrumque moriuntur multi. Num moriuntur quidem, non tamen læduntur? qui fieri hoc un- quam potest? Num etiam ab alijs forsitan causis lædi potest, ut præ æstu uel gelu nunquam a febre possit inuadi? Oportet sane attendere ea quæ quotidie sunt, res etenim hæc non eget demonstratione. quum plerumque uideamus nocumentum, quod ex æstu est, uel in febrem definire, uel in quippiã aliud simile, & illi (ut ego quidem puto) qui memores sunt eorum quæ ob hæc quotidie eueniunt: eos deri- dent qui in hunc modum delirant. Quidam se in theatrum contulit, quum nullum in corpore sentiret incommodum: sed ubi soli ardenti caput exposuit: illud paulatim & calidius, & plenius redditũ est. mox coepit dolere & exuri, subindeque secundum uniuersa tempora dolens discessit. qui postea difficultate tenebatur cutem, quæ circa frontem & caput est, mouendi, aridamque eam sentiebat, & paulo post, illũ febris adorta est. Sed medicus die sequenti accedens, caputque omphacino oleo frigido, uel rosaceo e- tiam perfundens, & administratis balneis, illum sanitati restituit. Quid quæso putas quẽpiam uel uul- garem existimaturum de tuo hoc sophismate? Quid præterea si uideat aliquem qui probe quidem con- coquat, nec ullo alioqui symptomate teneatur, nisi quod post exercitationem, ex litigio quodam rur- sum exerceri adhuc magis coactus, coepit articulos calidiores sentire, & paulo post, totũ etiã corpus ari- dum & inæquale: quod dum mouere uellet, uidebatur suboriri sensus quasi ulcerosi cuiusdam doloris, moxque febricitauit: sed peritus medicus inclinante febre, adhibito balneo, ipsum pristino & afflueto ui- ctui restituit. Putas ne igitur illi unquam persuasum iri, non posse quenquam ex labore febricitare? At mirabitur quispiam fortassis, cur nulli uulgari homini hæc Erasistratus persuaserit, medicis uero non paucis persuadeat. Sed id quidem mirandum non uidebitur si audierit eorum plures afferentes: esse po- tius patriam prodendam, quam proprium dogma. Cur ergo tempus perdimus dum Erasistratorũ dog- mata redarguimus? huiuscemodi enim deliramentorum ea unica causa est, quod qui putat omnem febrem

febrē sequi phlegmonē: oportet ut mox exponat, quo modo ille qui ex exercitio in febrē illapsus est, paulo post ratione uictus instituta liber euasit. Non erat autem uerisimile rem ita succedere si phlegmone adfit, atque longe etiam minus, quod ex ciborum ac uini oblatione id contingat. Vnde illi duorum alterum erat necesse, uel ut nihil ex his immutaret: quæ ex ratione prius tradita fuerat, uel ut ad sophismata cōuerteretur. Primum autem ille nequaquam poterat perferre, quippe qui sibi hoc persuaserat, si usquequaq; antiquos imitaretur: apud omnes in nulla se gloria futurum. unde coactus postea est secundum aggredi, & mendacia cauillaq; confingere. nec modo in his Erasistrato ac eius sectatoribus necesse fuit cauillari, uerum & in illis quæ de hypostasi in urina tradita sunt. Nam si suos assuefacerent discipulos in dignoscenda discernendaq; hypostasi, quæ purulenta est, ab ea quæ subinde insanis conspicitur: redarguerentur facillime, ex his in primis quæ uidemus quum phlegmone in suppurationem uersa soluitur, per purulentas urinas. neq; enim illis similes sunt, quæ solutis febribus excernuntur. In his siquidem id quod residet album est, neq; foetorem habet, neq; colorem etiam quem purulentæ retinent, neque lentorem. Ne ergo aperte conuincantur, se deridere eos præferunt, qui hæc obseruāt, & eos tinctores appellat, qui aliquid ex urina percipere uolunt, quos suppositicia etiam urina sæpe decipiunt. Et hæc omnia agunt, ut admirandum illud dogma defendāt, quod omnes febres ex phlegmone fiant. ob id etiam neque frigidam aquam potandam illis concedunt, qui ardente febre tenentur. **F** ea enim opportune exhibita, confestim sudant, liberique à morbo euadūt. & tu Gorgia nos id sæpe effecisse intuitus es: quum nulla obstabat uiscerum inflammatio, tunc enim maximam febrem soluit frigida potus. Hi igitur, nequaquam bibenda est, aiunt, ut omnia ea declinemus, quæ nostram subuertere se etiam ualent. Sed & alia præterea artis huius auxilia reiecerunt, quippe qui timeāt ne ex illis redarguantur. in quo ordine reposuere etiam rationem causarum procatartearum, quum minime mōstrare possint, quo pacto homine exastuante, uel laborante, uel irato, uel mœrente, transfusio ea sanguinis fiat in arterias, quam ipsi *σπέρματι* uocant. unde uarias rationes contexunt, sophismata machinantur, commentis quibusdam excogitatis illis insidiantur: qui eo accedunt ut artem benignam & uitæ opportunā addiscant. quibus ex tot horum insidijs secus ac ipsi sibi prius propofuissent, euenit. dum enim rudes essent & imperiti: communes omnium notiones seruabant, & his quæ manifesto apparent, credere assueuerant. mox uero adeo ab istorum mirabilibus sophismatis peruertuntur: ut adducantur ad id, quod nō amplius rebus manifeste apparentibus credant, eorum nodos soluere nescientes. Hoc etenim admirandum commentum contra suos discipulos excogitauerunt huiuscemodi medici, ut neq; eos permittant soli insistere experientia, neq; ad rationem adhortantes ad dialecticos remittunt, ut eos his irretitos sophismatis detineant. At illi, qui nullam unquam adhibuere exercitationem in dissoluendis sophismatibus: hos præceptores quasi deos admirantur. Tu sane nosti quod nonnulli, qui à quadam ueluti aduersa fortuna ad tales medicos delati sunt: fatentur sæpe, quod dum in memoriam reuocant ea quæ ipsi alias passi sunt, assentiuntur quod ex æstu alijsq; huiuscemodi, febres accendi possint. at quum ea quæ ab Erasistrato literis mandantur, perlegunt: statim sententiam mutant. Qui si alicui præceptoris artis dialecticæ perito adhaesissent, facillime eius fallacias agnoscerent, ubi ipse inquit, quod multi in longè maioribus uersati sunt laboribus, atq; in maiori plenitudine fuere, quàm hi qui febricitauerunt, & tamen ab omni morbo liberi permansere. Sed quæso, num propterea quod qui in maioribus laboribus uersati sunt, nulla sunt arrepti febre: non potuere alij minus laborantes in febrem incurrere? Sed in medium proferamus nos aliquem oratorem, defendentem quendam pugilem, qui quod pugno uetula percussit, unde illa mortua est: ab aduersarijs accusetur, & in iudiciū trahatur, ubi ab actore probatur: quod ille eam percussit, quodq; ea mortua est fingamusq; rei patronum hoc modo cauillis Erasistrati confisum illum defendere. Vos o iudices, millies hunc hominem in stadio pugnantem uidistis, ac maximis aduersarios plagis pulsantem, uicissimq; ab illis pulsatum, nec tamen is ab illis, aut illorum aliquis ab hoc interfectus est. non ergo quod percussit, causa mortis extitit. quia si percussit in causa esset quod quis moreretur: qui uehementius percuteretur, citius moreretur. quod quidem falsum est, quum iste H maximas intulerit, ac etiam pertulerit plagas, nec ipse mortuus inde est, nec alium interfecit. quis igitur credat quod ex illata plaga non admodum etiam magna, obierit anus? Nimirum si ex plaga nō immodica posset quis mortem oppetere: hic qui alioqui plurimis & ualidioribus plagis expositus fuit, è uita iam multoties decessisset. Quid obsecro facturos iudices si talia audierint putatis? non ne irridebunt palam tam patrono quàm reo qui huiuscemodi patronum protulerit. Nam nemo mehercle est, qui non comprehendat, quod robur athletarum multas potest uel etiam ualidas spernere plagas: quum tamen anus prætirium imbecillitate, ne mediocrem quidem & unicam possit ferre. Is sane orator solis usus sophismatis Erasistrati nec iudices decipere, nec aliquid obtinere poterit. Accedat autem aliter orator isto quidem peritior, qui inspecta uetula à iuene percussa, respirante adhuc, paulo post tamen moritura, affinisq; ipsius illum homicidij accusantibus, à quo illum defendere uelit: & ita dicat, Si hic totum serè uitæ tempus tum feriendo, tum ictus perferendo transegit, nec unquam uel ipse interfectus, nec ex aduersarijs quenquam interfecit: non est profecto ipsi causa mortis istius uetula tribuenda, sed potius eius imbecillitati. Nam si unica plaga mortem inferre posset: longe magis & multæ & ualidiores inferrent, quod tamen non ita est. Quare si uetula mortua est, ob suam mortua est imbecillitatem. Hic quidem orator multo est priorè præstantior, qui non modo reum uidetur causa uelle absoluere,

A soluere, uerum & illam alio transfert. nihil tamen & ipse efficit, quum necesse sit tandem fateri, quod anus, percussente iuene, mortua sit. Attamen Erasistratus nec isto et dicendi modo usus est, quo sæpe nostri utuntur: ut nimirum causam eius quod æstum uel frigus sequitur, in ipsam transferret rationem rerum patientium. primo enim occursum ratio ea quæ ex translatione causæ depromitur: plurimum uidetur audienti efficax, qui tamen si illi mox institerit diligenterq; perpenderit, inueniet aliquid in ea afferrī, quod congruere non uideatur. Nam oportet tandem asserere quod is affectus ex cōuentu amborum nascatur, frigoris, inquam, ac imbecillitatis rei patientis. siue modo effectus sit ex his, quæ sponte & casu proueniunt: siue ex his quæ plurimū. semper enim & frigus cum imbecillitate patientis concurrat. At hoc nihil decretis Erasistrati fauere potest. utcumq; etenim fateamur frigus, æstum, laboremq; aliquid ad febrem facere: statim interrogandus erit, quo id fiat modo. Vnde quum ipse respondere nequeat: necesse est ipsum nō parum turbari. neq; n. hoc leue est, rationabili interrogationi respondere nō posse, sed longe adhuc grauius est, ab huiuscemodi rebus oibus, suppositiones ipsius coargui. Etenim qui in æstu uersatus est, is febrē sentit: quæ in capite primū exorta, in uniuersum corpus mox diffunditur, tanquam a lare ubi accensa est: alter uero qui plurimum laborauit, ab articulis accensum calorem in reliquum corporis transfundit. Quis enim est qui si plus iusto ambulauerit, nō sentiat sæpissime ex motu crura calefieri? quæ si adeo subinde calefant, ut unā partes ceteras calfaciant: perueniente tandem calore in uiscera, necesse est febrem exoriri. Quæ quidē febris in huiuscemodi rebus manifesta est cunctis hominibus, quippe cuius substantia ex abundantia caloris constat. Sed & id ex procatartearum causis, labore inquam, calore, & istiusmodi ceteris augmentum illi præstari. At utrūq; negat Erasistratus, qui neq; febris intellectum seruat. nam & eius substantiam acceptaret, ait uero quod semper quancumq; febrem phlegmone præcedit. Si. n. ipse eundem huius affectus, quæ ceteri oēs intellectu teneret, eadem etiā causas generationis illius teneret, moxq; ab experientia res quæ euidenter sunt doctus ipse, ab his exorsus ad alia accederet. sed nihil ille haberet, postea quod de Hippocrate dicere posset. Vnde omnis illum sereno defecisset, ipse uero aliquid dicere sibi necessarium esse putabat. hoc siquidem illi constitutum erat. Quare constat quod illi necesse fuit multa innouare, & sophismata aduersus ea quæ euidentia sunt, cōmisceri. unde etiam nos cogimur in his Erasistrati captionibus immorari, ac si nullū aliud nos negotium detineret. Habet itaq; aliquam causam Erasistratus ut diximus, cur non concederet quod causa nocumēti ex infirmitate est eorū quibus nocetur. ut enim hoc concesserit, & præterea aliquid oīno fieri a causis procatartearum: statim uniuersa ipsius de febribus decreta corruēt manifeste, eorūq; absurditas apparebit. Porro causæ notio aliquid uidetur in se cōfusi & indeterminati cōtinere. **C** & propterea alij quidem dixerunt causam nihil in se habere, quod melius sit aut præstantius. alij uero, in quibus sunt empirici, dubij fuere sit ne causa nec ne alij uero, ut Herophilus, acceperunt quidē causam esse, sed ex hypothesi. Sed illi qui tāquam principē Erasistratū sequuti sunt: ex ordine causarū procatartearum remouent. has aut oēs nomine mutato, & confictis rationibus, occasiones appellant. Attamen si concedamus q̄ utilitas rei quæ sit, ab hominibus causa uocetur, quodq; & effectrix, quæ principium dicitur unde sit, & cum his materiam atq; organa: facile deprehendat q̄ ij cauillantur, dum aiunt procatartearum non esse causas: immo hinc oīa ea pendent, quæ perperā de causis prolata sunt. Inde. n. ipsi conficere uolunt, nullam esse cuiuspiam rei causam: q̄ nullum ex his, quæ quippiam efficere dicitur, in omnem materiā agere uideatur. nequaquam tñ hoc illud est, quod inde conficit, sed id potius, q̄ nulla causa sola ipsa absoluta & perfecta esse possit: materia siquidē semper effectricē causam, & effectrix materiam aptam exposcere uidetur. Superius aut iā mōstrauimus, q̄ ea quæ ab Erasistrato contra procatartearum causas adducta sunt: nullam aliūde quàm ex mutatione huius uocis, causæ. s. habent uerisimilitudinem. apertius tñ id ipsum ostēdetur, si ipsa eius uerba ascripsero. Si refrigerari causa febris esset: qui magis refrigerarentur, magis essent febrei obnoxii. Vbi nos ea quæ Erasistratus consulto omisit addentes, rationem uniuersam absoluaui, & ostendimus, q̄ propter id quod ab ipso prætermisum est, accidit sophisma. ut id igitur uideatur, sit uniuersa eius series hæc. Si refrigerari sola esset febricitandi causa, tunc qui magis refrigerarent, magis febricitarent. At non est o Erasistrate ea sola febricitandi causa refrigerari inquam, uerum opus est patiente natura, ut qui magis refrigit, magis febricitet. sicuti quum dicimus quod ille qui magis calcitratus fuit, magis quoq; læsus fuerit. Profecto, & si ea istorū ratio solis causis procatartearum uideatur aduersari, omnes tamen in uniuersum causas oppugnat. Vnde nō esset admodum difficile, si modo sophista respicere uellet, eis ostēdere quo modo uniuersa hoīs uita utatur nomine causæ: facile etiā erit, omnem in his ambiguitatē, ea quæ manifesta sunt sequendo, de medio tollere. Sed hæc ipsa etiam res palam tibi faciet, q̄ nullus unquam ita sibi cauere sine dialecticæ disciplina potest, quin decipiatur. & proinde medici qui ab experientia empirici dicti sunt, ea quæ in uita hominibus eueniunt, sibi obseruanda proponentes: ab horum tamen sophismate deuicti sunt ita, ut dubitarint de procatartearum causis, & de ijs nihil pronunciare ausi sint: qui adeo tamē sapere uisi sunt, ut concesserint aliquam omnino causam rationem in procatartearum seruari. Erasistratus uero, qui eas omnino subuertit, palam est quod nullam eorum ipse rationem habet, quæ uel ratione, uel experientia reperta sunt. Vnde si in alicuius Erasistratij medici manus quis incidere, ex æstu uel labore in febrem illapsus: necesse erit ut tertium, & quartum diem expectet: quum tamen possit, citra tertium bene se habere, possit etiam alioquin in longiorem morbum uel etiam in grauius incidere periculum, quemadmo-

dum illi adolescenti, de quo iam meminimus, contigerat. Oportet itaque non hæc tanimodo animaduere, sed omnes etiam quantumlibet simplices sopherarum sermones. & si enim hoc satis uideatur exitum, non uti nimirum in omnibus ratione, sophera tamen semper nouissima quæque sectantur. Vellem autem te in hoc quoque libro exerceri, si tibi dandam operam dialecticæ putas.

Aduersus Erasistrati sopherata quibus repletionem nullius esse morbi causam monstrare conabatur.

Cap. 3.

Poterant hæc sane ad hos sopheras redarguendos satis esse. uerum quoniam eos omnino confutare institimus: iccirco rursum reuertamur ad Erasistratum, qui unã cum ceteris procatarticiis causis repletionem etiã tollit, ac si illa nunquam ullius morbi causa sit. Ait enim ipse, quod ea est ueluti materia quæ nullius morbi proxima causa est, nisi aliquid aliud interim agat, sicut omnes pro cõperto habent. Oportet siquidẽ ut ex eorũ quæ comeduntur uel bibuntur ingestione, in uenis aliqua gignatur plenitudo: ab ea uero (ut ipsi græce autẽ) parẽptosis (quasi intercedentiã dicas) in arterias. in præsentia. n. ex suis decretis hũc sermonẽ institimus. In hac uero parẽptosi cor uehementius spiritũ mouet & sanguinem, ut expellat ad extremas arteriarũ partes. ubi ea cõculcata phlegmonem pariũt. Materia igitur ea est quæ media plethora seu plenitudine & parẽptosis facit, ac tandem conculcationem. Sed si ita est: quãuis plethora nõ sit prima phlegmones causa, quã tamen illã in ea-causarũ consecutione tã ordine quam tẽpore primã admittant, dum a repletionem plethorã (sic. n. ipsi nõtant uenarũ plenitudinẽ) fieri aut rumant, a qua mox fieri autẽ parẽptosis, subinde uero cõculcationẽ & phlegmonẽ: nescio cur postea nõ audeat affirmare repletionem esse morbosam causam, & de nomine postea litigent. Hæc uero uidet maior illius, quã in alia quapiã re, fuerit, impudẽtia. nimirũ quod concedat, repletionem plethorã efficere: hanc uero, sanguinis parẽptosis ad arterias: & hanc, phlegmonẽ. & postea nolit, his hoc modo cõstituitis, concedere repletionem phlegmones causam existere. Nã & nos pari pacto dicemus, quod qui plaga homini illata uenas colli secuit, nõ extitit illi causa mortis. quo modo autẽ? quoniã causa proxima & materia fuit, nõ ille qui percussit: sed sanguinis potius effusio. Vnde accersamus oratorẽ aliquem Erasistratum, qui uelit percussorem ab homicidij crimine eripere, & hoc modo dicat (utatur uero definitis nominibus, ut res clarior fiat.) Non est Orestes causa mortis Clytemnestræ: mouit. n. ille manus quidẽ. nã id nos fatemur quod manu sua ille hoc fecit: manus uero Orestis, non ipse Orestes, ense mouerunt: unde iam ex hoc Orestẽ infontem esse ostendimus. Sed ex alio etiam magis. nã ab ense præterea incisæ sunt uenæ in collo, non ab Orestis manibus. fuit postea in causa effusionis multi sanguinis sectio uenarum, nõ Orestes. quod uero mors Clytemnestræ a uenarũ sectione & sanguine multo effuso prodierit: neq; ab his qui accusant negari arbitror. Quare non est putandus Orestes fuisse causã mortis Clytemnestræ: quum nequeant accusatores nostri mōstrare, quod idem sit Orestes & multi sanguinis effusio. Quod si hæc nõ sunt unũ & idẽ, & iam pro confesso habetur, quod horũ alterũ fuerit mortis causa: relinquitur alterũ nulli amplius crimini esse obnoxium. Quo modo ergo uolunt isti, simul & fluorem sanguinis, ac etiam Orestem fuisse mortis causam, quum minime fuerit Orestes causa cur sanguis fluxerit: sed potius uenarum sectio: sicut istius, ensis? Quod si uos propterea culpate Orestem uelitis, quia eius propositum causa fuerit cur ille ense mouerit: uidete ne eadem etiam ratione Clytemnestram criminis ream efficiatis. Vnde quotiescunq; effectus alicuius prima proximaq; causa reperta, hac non contentus, aliam uoluerit quis antiquiore ista inquirere, & illa aliam: illi profecto res hæc infinitũ abibit. Cur igitur non sit satis attulisse, causam mortis Clytemnestræ fuisse sanguinis profuuium? Verũ si tu ulterius prouectus dicas, At non esset sanguis effusus, nisi uenæ fuissent sectæ. nec illæ incisæ, nisi ensis fuisset admotus. nec is admotus esset, si manibus Orestes illum non tractasset. neque manus id effecissent, nisi sibi illud Orestes proposuisset: Nos quoque pari modo ulterius progressi, de hac re, sicuti & tu fecisti, differamus, quum possimus hoc afferre, quod neque Orestes esset, nisi illum Clytemnestra genuisset. quo deinde fiet, ut sit necesse affirmare Clytemnestram ipsam sibi suæ mortis causam fuisse. Sed poteramus nos statim in prima assignata causa persistere, nec ulterius eoulsque sermone H prouehi, quod uideretur Clytemnestra fuisse suæ mortis causa. Vnde talis profecto uidetur is orator, qualis ille qui nos docet quod si semel cõperimus impudentes esse, nulla nos sopheratum copia deficere possit. Sed item nobis permittatur, ut liceat in exemplum secundum afferre iudicium. Accusatur medicus quod exitiale medicamentum dedit. dedit autem illud puero cuiusdam mulieris, quæ illi, ut id emeret, mandauerat. illa uero posteaquam uenenum id habuit, iussit, ut seruus qui priuigno ministrabat, illud ipsi offerret, quo assumpto, ille mortuus est. unde omnes damnati sunt, no uerca, & ille qui uenenum obtulit, & ille qui emit, & præterea medicus qui uenenum uendit. Accedat itaque orator ab Erasistrato instructus, & dicat: Quod mortuus quidem puer sit, nemo negat: non est tamen a puero qui uenenum exhibuit, interfectus, sed a medicamento potius. Est enim præter rationem omnem, quum causam apertam habeamus, id uelle in hominem innoxium referre. neque enim idem est homo, & medicamentum, sed diuersa sunt hæc. Quod si propinatum medicamentum mortem peperit: cur amplius oportet alteri esse molestos? longèque minus culpanda est nouerca, quæ uenenum misit, uel ille qui illud attulit. Sicuti si quis alicui funem tradidit: qui postea, factò laqueo, se suspendit, unde necatus est: iustum minime est ut ille accusetur, qui funem uendit. Is itaque orator si ab Erasistrato edoctus, & in dicendo callidus fuisset, hæc omnia susque deq; uersando

A uersando, potuisset forsitan iudicibus persuadere, ut medicum absoluerent. sed nullam ille habuit cum Erasistrati consuetudinem, qui in disceptando uehementes admodum sunt, dum nos docent, quod repletio non est morborũ causa. Quis ergo amplius erit qui nos præterea uetet cibo potuq; repleti? cur quispiam nos ab inconcoctione auocat? cur non exercemur? cur uictus rationem qui suo constat ordine laudamus? Hæc omnia a nobis reijcienda sunt, quum ita ab Erasistrato didicerimus. Negligamus æstum, frigus, quemadmodum & uigilias, hæc enim primum pituitam gignunt & cruditatem. facile autem cruditas negligi posset, quæ aliqua ratione nihil possit officere. nam neq; ex cruditate febris oriri potest: omnes siquidem cruditatem passi febricitarent. neque conuulsio: nam conuellerentur qui cruditatem passi essent. sed neque membrorum resolutio, nec quisquam morbus alius: eadem enim est eorum omnium ratio. Et proinde prædicare merito præclarum hoc Erasistrati inuentum, possumus. atque eius admirari benignitatem, qui nos ea uana superstitione, qua nos omnes tenebamur, liberauit, quæque nostram uitam lædebat plurimum. Ne igitur amplius timentes laborem prohibeamus, quo minus quis se totam diem & noctem exerceat. nec etiam ab æstiuo sole quenquam abigamus. neq; serui indumentis utantur, neq; nobis calciamentis est amplius opus. Stultum enim est quod suspectum frigus habeamus, uel æstum, uel laborem, uel uigilias, si hæc nos lædere nequeunt. neq; erũt mox hi increpandi qui se cibo nimis replent, uel qui inebriantur: si uana ea est opinio quod repletio ex repletione agitudines fieri. Cur ergo non delendi sint antiquorum tũ medicorum, tum philosophorum libri, qui cruditates, repletiones, refrigerationem, æstumq; damnauere? Cur Erasistrato aurea statua Delphis non sit collocanda, & plurimã illi gratiã referenda, qui hæc nos docuerit iussitq; tanquam illi qui præ tot uiris gloriosis & raris primus ueritatem adinuenit: neq; n. Diocles, neq; Polybus, neque Hippocrates potuit unquam huiuscemodi rationes contra gelu & æstum, laboremq; & repletionem inuenire, ut hæc omnia omnino negligamus. Secus præterea philosophis uidetur. Aristoteles enim Theophrastus, & ante hos Democritus & Empedocles, & multi præterea ex minoribus philosophis consulunt, ut ab excessibus caueamus. Solus uero Erasistratus noluit quicquam horum esse a nobis timendum. est ergo ipse uti deus adorandus. Ego autem quã libenter hoc unum, si possem, ab eo sciscitarem. at nõ possum, quã iã uita functus sit. si tñ uiueret, facillime nos forsã doceret, a qua inquit re nobis cauendũ sit. Ego enim si neq; ab æstu, neque a gelu mihi timendum sit, neq; a labore, neq; a crapula, neque a uigilijs, neq; ab ira, neq; a moerore: facile sperauerim me posse assequi propemodum immortalitatem. & fortassis neq; uerendum est, quod me quispiam interficiat, uel sumpto ueneno inteream. ab alijs enim omnibus, quæ priores timere, nullus mihi uidetur timor imminere, ab his siquidẽ omnibus opera Erasistrati ereptus sum. In reliquum ego neque balneũ tanquam male administratum damnabo, neq; caput uel pedes cooperiam, nil amplius domibus in hieme, uel indumentis calidioribus erit opus. non ciborum uel potuum moderatione, uel eorum quæ externa sunt. Horum itaque omnium gratiã, Erasistratum ut deum colamus.


Aduersus Herophilum qui nullam dari causam censebat.

Cap. 4.

Sicuti autem nobis de Erasistrati sapientia, quam in suis præ se fert rationibus, mirandum est: ita Herophilus de timore damnandus, qui quum de causis omnibus ipse multis & ualidis rationibus dubitauerit: demum illum inuenimus dicentem, Sic hominibus multis uidetur. Hoc uero maximam uidetur ostendere timiditatem: relicta ratione, hominum sequi opinionem. Ait igitur ipse. An uero causa sit uel ne, ne inueniri quidem potest, refrigerari autem æstusq; ac cibo impleri quadam potius opinione constare uidetur. Sed rationes illæ quæ ex [nominis mutatione] assumptæ sunt, caput hoc in dubium reuocarunt: & illæ præterea quæ ex modo quo gignuntur ea quæ quomodocunq; sunt, depromi solent: & hæc insuper, qua quaritur, si sit alicuius rei causa, quæ incorporea existens, alterius corporis opifex sit: uel ipsa corpus existens, incorporea rei sit effectrix: an etiam ipsa mota, moti, uel potius manentis, præterea an præsens præsentis, uel præsens futuri. & postea ut ea omnia quæ ex ea partitione inuenta sunt, prosequutus est, quæ tamen nequeunt probari, tandem infert non esse rei alicuius causam aliquã. Ipse enim sic inquit, Aut causa corporis incorporea est: aut corporea. & cetera quæ ex partitione recenset. manifestum autem quod nullum horum sit, & proinde causa omnino esse nõ potest. At tu sophera generosissime nõ animaduertis quod uniuersam hominis uitam subuertere potes modo eo argumentando in his etiam quæ manifesto apparent. nam quum uidemus aliquid: sit illud quoniam uel ab his quæ uidemus aliquid egrediens ad oculos nostros peruenit: uel ab oculis aliquid exit, quod ad id fertur, quod a nobis uidetur: uel id quod a nobis exit, illi occurrit quod ab illis egreditur, & hæc mutuo se tangunt, & ita uidemus: uel neq; ab illis ad nos, nec a nobis aliqua ad illa fertur loco aliquo sed sensus per mediũ, quasi per baculum sit. Sed nullũ istorũ est, neq; primũ in quã, neq; secundum, neq; tertium, neq; quartum. unũquodq; n. horum multifariam in quæstionem trahitur, unde sequitur quod non uideamus. Potest & hoc idem alio modo probari, si distinguamus, aut tam id quod uidet, quã id quod uidetur, corpus est, aut incorporeũ est quod uidet, corpus uero quod uidetur, aut cõtra, aut utrumque incorporeum: ac deinde unoquoq; horũ demonstrato quod uerũ non sit: inferat quispiã nos nõ uidere. Põr & id ipsum alio modo trahi in dubiũ, ut distinguat aliquis, q. si rei cuiusquam in nobis sensus excitet: oporteat, quod uel quiescens moti sensum moueat, uel motũ quiescentis, uel quiescens quiescentis, uel motum moti. mox autẽ ostenso quod nullũ horum sit rationi consonum: astruat nos nihil uidere.

Reijcitur empiricorum sententia de indicatijs, quibus cognosci plenitudinem existimabant : & vera deprehendendæ plenitudinis ratio declaratur.

Medicos, qui Galeni tempore vixerunt, confuse de plenitudine locutos esse, ideoq; reprehendendos. Cap. I.



Vt nullum aliud est, quod in ore omnium fere huius temporis medicorum frequentius, quam nomen plenitudinis uerfetur, ita neque aliud, quod magis ab ipsis ignoretur, comperias. Pleriq; autem eorum, qui exposcere, reddereq; rationem possunt, quærentibus, quid ipsi plenitudinem uocent, respondere solent, hoc nomen non secus, quam nimium & parum, esse ex ijs, quæ cum alio conferuntur ita, ut comprehendi mensura non possit: propterea quod id, quod alteri multum est, parum est interdum alteri. Cumq; eos rogas, rem ut exponat, cuius collatione plenitudo dicatur, quidam magis, quam pisces, obmutescunt: quidam tam multa, tamq; absurda effutiunt, ut quid uelint, intelligere plane non queas. paucissimi tamen respondent, multum ac parum ad uirium comparationem intelligi. si uero percuncteris, quid ipsi uires appellent, nonnulli ne respondent quidem: alij si quid pronunciare audent, ita loquuntur, ut alter alteri non consentiat: plerique uero omnia potius, quam nomen uirium interpretentur. Si quis autem inter eos ad eum sapientiæ gradum peruenit, ut uires dicat esse effectricem essentiam, aut effectricem causam: si eum interrogas, primū sit ne talis essentia quedā, quæ animal gubernet: deinde si sit, quid nam ea sit: is ad hanc etiam quæstionem nihil respondebit: sed uel tacet omnino, uel sua oratione sic deflectet de uia, ut eum tacuisse præstiterit. iam uero si inter eos aliquem eo disciplina: prouectū comperias, ut quamuis explicare non possit quænam sit essentia uirium, eas tamen esse ex functionibus conijciat: is subinde interrogatus, num ea, quæ Asclepiades, multiq; Asclepiadei, methodiciq; scripta reliquerunt, ut nullas esse in animantibus uires ostenderent, considerarit unquam, atque dissoluerit: is eiusmodi est, ut ne, utrum hæc ab illis sint, nec ne, prodita literis; scire quidem uideatur. ceterum eos ipsos, qui nullas esse uires statuunt, negare plenitudinem & intelligi, & consistere ad earum comparationem, plane manifestum est: siquidem fieri non potest, ut plenitudo ex collatione ad eam rem quæ nulla prorsus sit, aut intelligatur, aut consistat. existimant autem multum & parum esse, prout ad solas uasorum capacitates referuntur. est interdum, eum ne plenitudinem quidem prorsus nominent: neq; ullam euacuandi indicationem ab ea sumant: sed a sola constipatione; quam a nemine ipsorum eodem modo exponi, alibi docuimus. est alius tertius quidam coetus, qui neque scit, neque se peruestigare proficitur, sint ne ullæ uires, nec ne: sed e signis quibusdam euidenter apparentibus, quæ circa ægrotum consistunt, euacuationem sibi longa experientia repertam esse contendit. at si quæras, quænam ea sint; distentionem uasorum, totius corporis ruborem, & grauitatem, pigritiam ad motum, & membrorum retentionem respondebit. Quidam uero ipsorum ulceris, ac lassitudinis sensum, itemq; superiore uitam in otio, copiosioribusq; esculentis, & poculentis traductam, & excretionum consuetarum retentionem addiderunt. in hac συνδρομή (ita enim concursum & multitudinem symptomatum uocant) aiunt obseruatum esse, expedire, ut uena secetur, qui quidem homines non solum se ipsos, sed etiam alios omnes ratione priuant: cum omnia inueniri experientia fateantur. alij, ut modo diximus, rationis usum admittunt: uires autem nullas omnino esse quidam eorum aiunt; alij esse illas quidem, sed earum essentiam hinc ignorari: ut paucissimi tandem sint, qui subsistentiā essentiamq; uirium pronunciare audeant. Sed earū neq; eundem numerum, neque eandem essentiam omnes proferunt. immo uero, qui nobis suas sententias literarum monumentis consignatas reliquerunt, alij sine labore rem transigunt, de unica semper facultate, quæ animal gubernet, differentes, neque ullam rationem afferentes: alij demonstrare quidem conantur, ceterum non esse plures una confirmant. quibus quidem sit rebus, ut qui in corpore ægroti esse plenitudinem pronunciet. is iam a medicis, qui empirici, quique methodici nominantur, desciscat: & id quod multum est, aut uires, aut uasa respicere dicat.

Refellitur sententia eorum, qui sola grauitate, aut uasorum tensione plenitudinem metiebantur. Cap. 2.

Agnos quidem disputationem aduersus empiricos, methodicosq; in aliud tempus differamus, & ad eos, qui se artem ratione pertractare aiunt, trāseamus: tam etsi quidam huius temporis usq; adeo sint audaces, ut a sectis sibi nomen imponant, quid tamen ad eas attineat, plane ignorent. Vnde multos sæpe apud ægrotos dicentes audias, hominem plenum esse, ideoq; mittendum sanguinem. ubi uero de aliqua ratione fiat mentio, tum se methodicos, aut empiricos nominēt. at nos, ut diximus, eos aggrediamur, qui ratione utuntur: & cum illis primum differamus, qui plenitudinē uiribus metiuntur. hi enim fere uidentur nūquā utres, neq; culeos nimium plenos cōspexisse: neq; se unquā cibo plus, quam par

Apar esset, expleuisse, ut uentriculus inde distēderet: neq; urinā copiosius in uesica, quam eius ratio postularet, collegisse: aut steruus in recto intestino coaceruasse: siquidē in his omnibus cōstitutionibus unūquodq; prædictorum instrumentorū euidenter distenditur, ut nisi hoīes, quod redūdat, celerius excernant, molestia afficiantur. ueruntamē res eundē sensum nō affert, cū grauat, aut mordet, aut aliqua qualitate, quæ exprimi oratione nō queat, infesta est. unde uel ipsos uulgares audire licet, id ipsū quod eis accidit, sine pertinacia, quod ullius sententiæ additū sint, euidenter explicantes, cum interdum se a cibis, quamuis paucissimos ingesserint, grauari, & premi, interdum morderi, & erodi aiunt. sæpe uero, cū nesciant, accurate, quod eis accidit, exponere, fastidio teneri se dicunt. nullus enim horum sensuum idem in hominibus excitatur, cum uentriculus præ immodica ciborum plenitudine plurimum extensus, distensusq; est. atq; in huiusmodi casibus periculum esse aiunt, ne uentriculus dissipatur: quē etiam plurimū intentū uidemus: ubi uero se grauari cōqueruntur, cū quandoq; cōtractū intuemur. nō secus in uesica fit: alia. n. eius affectio est cū plurimum humoris cōtinet; alia cum parū, aut cum grauat. itaq; in ea, quæ ex repletionē tēditur, copiosam excretionē cernes; in ea, quæ grauatur, paucissimā quidem, sed densissimam: quippe quæ tēpus, dum repletur, expectare nō queat: sed statim quod noxiū est, cupiat extrudere: sicut ubi ab eius qualitate mordetur; siquidē tūc quoq; assidua fit excretio. etenim cū uelut ab onere contento grauatur, tūc, licet eius tunica nō prorsus distēdatur, haud tamē recte hoc dicet, eam male affectam esse, quodq; eam grauat, esse multum. Hæc autē si huiusce opinionis principes affirmant, negantq; ij, qui contra sentiunt, interrogādi utriq; sunt, an eandem molestiam afferat uesica quoquo uersus distenta, ut rumpendi periculum imminet, quod nō iam id, quod inest, detineat: & grauata, & morsu affecta. hic rursus qui semper uasorum amplitudinibus plenitudinē metiūtur, his prompte assentiuntur. qui uero eam uiribus æstimant, huiusmodi afferri quæstiones ægre ferunt, uarijsq; modis irascuntur, & ultro, citroq; repugnant, quod hanc quoq; esse plenitudinem nolint concedere. nos utrosq; precati, ut contentionem missam facerent, eos ad concordiam sumus cohortati. atq; eos quidē qui nolunt unquam plenitudinem dici ex rei continentis capacitāte, quibus cum etiam primo disputationem instituimus, admonēbamus, ut memores membra nimium repleta dolere, cum distenduntur, ueritati acquiescerent: eos autem, qui hac tantum ratione consistere plenitudinem existimant, ut id quod grauat, ei quod grauatur, esse multum concedant. præterea ut utrosque in hanc sententiam adducamus usu eorum quæ euidenter apparent, commonemus, ac separatim quidem eos, qui plenitudinem solum uiribus metiuntur, peritonæum plerunque rumpi, ac dilatari præ ciborum copia. atque etiam foris id ipsum utres, uesicaeque pati ostendimus: immo uero etiam doliā, ubi flatuosa plenitudo, uiolentaque fuerit. hoc quoque ab illis quæremus, num ij, qui ex pulmone sanguinem tussi reijciunt rupto aliquo uase, citra tamen ictum, aut casum, aut aliquam aliam externam, uiolentamq; causam; in eum affectum propter plenitudinem, quæ uas plurimum distenderet, incidisse, illis uideantur. separatim uero alijs ad memoriam redigimus, non posse pusillum puellum onus aliquod ferre, quod iuuenis boni habitus gestabit. id enim opinor, iuueni erit leuissimum, quod puello grauissimum uidebitur. Vtrū igitur, ne onus quidē prorsus dicemus, quod ferre quis nequeat? uel quod ita graue est, nō appellabimus multū? an onus quidē, & graue, sed plenitudinē uocari nō cōcedemus? at isto modo nō de re, sed de noīe erit controversia. alioqui ne homo quidē esset habēdus, qui nūquā grauari se diceret: quāuis illi uel uiginti talēta humeris imposueris? sed nihil unq; cōperies, quo satisfiat ijs, qui seruili se dogmati cuiuspiā addixerūt.

quidam autē hæc etiam in l. v. reperiri. Ac tēperatis hominib; hæc sitis: sed &c.

Quot sint genera plenitudinis: & de vi contentrice contra Stoicos, & Herophilos. Cap. 3.

Hos igitur iam missos faciamus: uel, si fateri uerum oportet, a nobis faceffere iubeamus, & cum ingenuis, & amicis ueritatis differamus. duas nimirum esse plenitudinis notiones, relationesque posuimus, alteram ut ad robur, uires referuntur eius, qui eam fert, alteram ut ad suscipientem capacitātē. quam ob rem hæc ipsa ponamus, ac deinde quæ sint uniuersæ uires animantis, itemque quomodo plenitudo quæ in una earum quaque consistat, agnoscenda, curandaque sit, inuestigemus. præterea uero quot sint eorum humorum genera, qui aut uires aggrauant, aut sustineri ab ipsis uasculis non possunt. his enim in rebus decet medicum diligentem, eximumque esse: non autem euidentia cōtemnere, que sunt cuiusque demonstrationis initia. uerum haud fortasse mirabile est, hoc ab istis ignorari, qui nihil unq; de demonstratione uel quæsierūt, uel inuenerunt, uel didicerūt, uel deniq; exercuerunt. quā ob re adeo sunt absurdi, ut si in quempiam eorum hi commentarij incidant, statim is in spem ueniat, me primum ea omnia hoc in opere demonstrasse, quæ nosse eum oporteat, qui uelit accurate de plenitudine differere: deinde se etiam cuiusque plenitudinis tam cognoscendæ, quam curandæ esse rationem inuenturum: nescius sane, si res adeo magnæ essent ea natura, ut unico in libro demonstrari possent, artem utique longam non fore. nos autem in libris, qui sunt de Hippocratis Platonis que decretis, iam satis docuimus, aliam uim esse eam, quæ in uenis; aliam quæ in arterijs; aliam, quæ in nervis consistit, ibidem etiam cor quasi fontem esse facultatis arteriarum: cerebrum neruorum, ac iecur uenarum probauimus. in libro uero de elementis ex Hippocratis sententia ostendimus substantiam subiectam omnibus ijs, quæ oriuntur, & occidunt, a quatuor qualitatibus per se totam immutari, ab humiditate inquam, & siccitate, & caliditate, ac frigiditate: & ex certa quadam harum temperatura omnium corporum substantiam, & proinde etiam uirū earum, quæ corpus nostrū regunt, constare. quippe cum nō sit, nisi quedā ipsius tēperamenti proprietatis. id quod a nobis in libris de facultatibus naturalibus est

demonstratū, & item seorsum in alio cōmentario quodam . ceterum in alijs plerisq; libris sēpissime si E
 gna plenitudinis cognoscendā, quę ad utrūq; genus pertinet, tū priuatim signa singulorū, exposuimus.
 utrunq; autē dixi, tum quod uiriū cōparatione æstimatur, tū id quod ad illud refertur, quod ἐγγύμα, qua-
 si affusionē dixeris, refertur: sic enim ipsi id genus plenitudinis uocāt, quod ex cōtinenti capacitāte men-
 suratur, quod nō modo ī animātibus reperitur, sed etiā in rebus inanimis, ut in uestibus, uinculis, pelli-
 bus, uasib; & fictilib; & aeneis, & ferreis. itēq; in omnib; alijs, quę uel ex ære, uel argēto, uel stāno cō-
 ficiuntur. hæc enim oīa rumpunt, cū multū statuosę substātia in eis includitur, nisi forte uelit quis, hu-
 iusmodi plenitudinē uim cōtentricę respicere, oblitus nimirū eius sententię, cuius initio, ut ad uiriū no-
 men pertinet, mentionē fecimus: quo in loco uim esse causam effectricę diximus: quā siue ἀπασινῶν, siue
 ἀπασινῶν dixeris, nihil interest: ut etiā nō repugnabimus, si quis nō effectricę causam, sed ipsam facultatē
 dicere substātiā uelit: siquidē id solū in hoc sermone seruari uolumus, uim efficacē, & effectricę, nō ma-
 terialem, aut patibilē, dicas modo ut placet, uel causam, uel substātiā. hoc si erit a nobis seruatum, pla-
 num erit, uim esse alicuius actionis causam, quā etiā necesse erit esse motū ab agente in id, quod patit:
 sicut affectus quoq;, qui in patiēte est, motus erit ab agente in patientē. quare uires suā notionē ex alte-
 rius cōparatione habēt: substātiā uero ex relatione ad alterū. ut autē quidpiā in seipsum agat aliquid,
 aut faciat, intelligētiam excedit, ut etiā ut quid se ipsum cōtineat. Stoici enim, qui uel maxime uim con-
 trentricem introducere conati sunt, alterū quod cōtinet, alterū quod cōtinetur, esse posuerūt, ac substā-
 tiam spirituofam id quod cōtinet, materiā quod continetur, esse cēsent. itaq; aerem & ignē continere
 arbitrātur; aquam uero, & terrā cōtineri. qdam uero, qui se Herophileos nominari uolunt, ne in somnis
 quidem hæc unquā audierūt. & tamē de ui cōtentricę audacter ꝑnunciāt. se enim nescire fatentur, sit
 ne aer, aut ignis, an utrūq; id, quod lapides, ligna, ceteraq; huius generis cōtinent. id tamē affirmāt, uim
 quādam omnino esse, quā hæc omnia cōtineantur. nam & dilaberentur, atq; diffuerent, nisi quid esset,
 quod ea contineret, atq; cōpesceret. qui mox interrogati, num huiusmodi effatō, quo statuatur, omnia
 egere cōtinenti re; ipsi suis in sermonibus uti audeāt, nec ne: prompte statim affirmāt, & interrogationi
 assentiuntur. si uero deinde aliquo incommodo, urgeantur, id totum in ea reijciunt, quę nos proposue-
 rimus. quin etiam aduersus eos, a quibus interrogati sunt, indignantur: quasi nimis importuni illi sint,
 atque Sophistę. est enim hoc positum in more medicorum huius temporis, ut de maximis decretis au-
 dacter statuunt: cumque redarguuntur, ægre ferant, eosque, a quibus sunt reprehensi, Sophistas uocēt.
 nos autem, quo modo in absurda inducantur ij, qui rem quamlibet egere aliqua causa contentrice sta-
 tuunt, deinceps ostendemus. causa contentrix quęcunq; ea sit (nam Herophili seclatores se illam igno-
 rare fatentur) aut res est, aut nihil profus. si eam esse nihil dixerint, eorum ego sapiētiam admirabor, G
 qui uelint rem quamlibet eo indigere, ut constet, quod nihil sit. si causam contentricem in rebus po-
 nant, debēt illud recordari, quod primo statuerūt, re quāq; indigere causa cōtentricę, ut sit. ergo neces-
 se erit, illā causam alia causa egere, ut cōstet: & mox hæc alia quādā, ut tandē res exitū nullū sit repertu-
 ra. si uero dixerint res esse eiufmodi, ut alia causam requirāt, ut sint; alia ex se se hoc habeāt, primū intel-
 ligant, se nō iam illud decretū seruare, quod initio ꝑmulgarunt, quodq; esse uerissimū prædicabāt, rem
 quāq; requirere causam cōtentricem, ut esset. deinde sciāt, longissima eis opus esse oratione, ut cur hæc
 egeat ea causa, illa nō egeat, exponāt: demū quodnā sit, quod ad hæc, uel ad illa sit aggregandū. ut enim
 multi ex Herophileis, sic Stoici iuniores nullā demōstrationē afferūt, ut ꝑbent, spiritū & ignē se se, &
 alia ēt cōtineri: terrā & aquā alio cōtinentē indigere. nā primo obtutu quod durū est, reuētēs, & dēsum
 cōtineri potius uideri possēt: q̄ rarū, molle cedēsq; est, aliud postulare, a quo cōtineret. hi tñ solū sine
 ulla demōstratione uolūt suo decreto fidē adhiberi, sed etiā nō aīaduertūt, se pugnātia statuere. uolunt
 enim ea uim cōtinenti habere uel maxime, q̄ tenuissima, mollissimaq; sint, cuiusmodi sunt ignis, & aer: &
 hæc eadē ꝑterea in causa esse, cur terra dura, solidaq; sit: ꝑinde ac possit quodpiā alteri eā aut uim, aut natu-
 rā, aut actionē, aut qualitātē, cuius ipm expers sit, impertiri. ac nos qdē aperte uidemus ita nihil ab igne
 cōtineri, ut omnia potius ab eo dissoluātur. uerū cum aduersum Stoicorū sententiā alibi satis disputaue-
 rimus, ad Herophili seclatores redeamus. quā in re mihi ēt satis fore puto, si dixerō, eorū seclatorē
 longe aliter, quā par esset, se gessisse: quippe qui in multis, ubi in ꝑoptu demōstrationes erāt, hæsitari-
 de ijs uero, q̄ demōstrari nullo modo poterāt, quęq; nō nisi falso statuebātur, sententiā tulisse cōperiat.

Quibus in partibus plenitudo uires aggrauans facile, aut difficulter cognoscatur. Cap. 4.

QVare his quoq; omisissis, dicamus, cū præ multitudinē aliquid nimis distēdit, aut distūpitur, eū affe-
 ctum ad uasā cōtinentia, nō ad uires aliquas ꝑtinere: cū grauiat, ad senstricę facultatē. nā neq; id
 ipm ad hæc oēm facultatē absolute ꝑtinet: siquidē grauari nō est naturalis facultatis affectus. quare si in
 cōmentarijs de facultatibus naturalibus recte ostēdimus, inter eas unā esse, quę ꝑpria attrahat; alterā,
 quę hæc ipsa alterat; tertiā, quę contineat; quartā quę expellat aliena; certe alia sunt inquirēda indicia,
 quibus cuiusque earum plenitudinē cognoscamus: cum in his grauitas satis esse non possit. neq; enim, ut
 imbecillis uentriculus maxima ui sentiēdi præditus ea, quę sibi grauiā sunt, per se sentit; ita etiā uena ar-
 que arteria, sed aliter. in neruis quoq; an eiufdem generis sensus reperiāt, an alterius & an exponendū,
 & ad faciendā fidem prolixiore opus oratione est. quibus autē signis accōmodate ad scientiā deprehē-
 di possit arteriarū plenitudo, quę ad earū uires refertur, in cōmentarijs de pulsibus declarauimus. horū
 autē omnium inscīj sunt ij, qui quotidie nomen plenitudinis tam facile, habēt in ore. eius uero, quę ad
 uenas

A uenas refertur, neq; ego signum ullum unquam, quo id scientia perciperetur, neq; ab alio quouis lire-
 ris mandatū reperi: quippe cū nemo nobis prior de facultatibus ex scientia disseruerit. Philippus qui-
 dem, & Archigenes earum contemplationem parumper attigerunt, neuter tamen ipforum rem plane
 absoluit. proposita autem disputatio exposcit, ut non hæc modo peruestigentur, sed etiā ut de plenitudi-
 ne agatur, quę partes quasq; singillatim occupat, ut iecur, cor, renes, colon intestinum, cerebrum, & itē
 ossa. ex ijs autem quęcunq; uel parum sentiunt, uel omnino sensus sunt expertia, non parem cum uen-
 triculo aut uesica eorum excrementorū, quę in ipsis collecta sunt, sensum retinent: sed uel exiguū om-
 nino, uel penitus nullum. atq; exiguum quidem, ubi maxima plenitudo fuerit: nullum, cum ea non mul-
 ta sit: in pulmone enim, ac iecore, itemq; in renibus aliquis interdū ꝑderis sensus oboritur. in ossibus
 quoq; nonnulli grauitatis sensum quandoq; percipere, qui tamē esset perobscurus. at in cerebro nō ob-
 scurū modo, sed ualde manifestū nōnunquā sui sensum grauitas affert. at in partibus, quę sensu uacāt,
 nullus nedū grauitatis, sed ne alterius quidem symptomatis haberi sensus potest. uidentur autē sensu ca-
 rere ossa nōnulla, & adeps, & glandulę quędā. oēs præterea medullę sunt sensus expertes. in cerebro ta-
 men, spinaliq; medulla sensum esse, quibusdam placet. tutius tamē quispiā dixerit, carnē, ex qua gibba
 iecoris pars constat, quā medici quidā affusionē uocant, sensu uacare: propterea quod in eā nullus ulla
 B ex parte neruus inseratur. de illius autē caua parte facile ꝑt aliqua uisbori dubitatio. etenim nerui, qui
 iecori prope portas distributi sunt, ita exiles sunt, ut solam ipsius contexere membranā uideantur. est ēt
 aliqua de renibus & liene dubitandi occasio, ac multo etiam magis de pulmone: cum ille sensus graui-
 tatis, qui in hisce uisceribus interdum oritur, in membranā, & tunicam, quę ipsa inuoluta sunt, potius,
 quā in ipsa uiscera referri possit: præsertim uero in pulmone, atq; iecore: quod hæc partes quasi suspen-
 sę pendeant, nec stabili suffultæ loco sint. & qui ex his uisceribus laborant, sæpe superiora ad clauiculā
 usq; distēdi plane sentiunt, sicut cum iecur tumore aliquo grauitateq; tenetur. sane hic affectus tā fre-
 quenter omnes fere mortales inuadit, & qui toto suā uitę tempore eum nunquam senserit, admodum
 felix fuisse uideatur. quodam etiam in loco Hippocrates ita scripsit, In renē dolor grauis, qui pulmo etiā
 ut medici ferme oēs prædicant, grauitate tentatur, ubi inflammationē uiscus contraxerit. cum uero ple-
 rique medici nihil horū quæserint, immo uero quidā ne illud quidē perscrutentur, qñq; per uniuersum
 corpus, quādoq; in quadā parte, uel ēt pluribus posse plenitudinē cōsistere, temere de plenitudine ꝑ-
 nunciant. sed præstiterit fortasse in præsentia has difficultates missas facere in facilioribusq; uersari.

Quomodo nota plenitudinis, quę singulis in partibus sint inueniantur. Cap. 5.

Mihi autem ea deniq; facilius uideatur uia, ut rursus a grauitate exordiamur: Siquidem ea eviden-
 tissimum est eius plenitudinis signū, quę ad sentiēdi uim pertinet, quā in re illud prius est perqui-
 rendū, utrū grauitas necessario plenitudinē cōsequatur, an illam potius antecedit. quippe cum non ea-
 dem ratio sit, ut grauitas præcedat, aut subsequatur. sane hæc est rei ueritas: si in aliqua particula, quę
 sensus sit particeps, ulla humorū copia colligatur, in ea sensum grauitatis excitari: non tamen cum gra-
 uitas alicui loco infuderit, ibidem etiam humorum copiam esse congregatam: quod fieri possit, ut, si fa-
 cultas fiat imbecillior, ab ipsis solidioribus membris prægrauetur: ut in resolutis corporibus solet con-
 tingere: musculis. n. propter resolutionē factis imbecillioribus, quorū ea facultas erat, ut resolutū mem-
 brum mouerēt, & transferrēt, is, qui resolutus est, sentit in motu grauitatem. ita tamen, ut quod infirmū
 est, sibi ipsum graue non sit: musculus inquam, aut neruus, aut quicquid illud sit, quod primum mem-
 bra mouet. nam affectus, qui grauitas appellatur, ea natura constat ut et ab altero, & in altero gi-
 gnatur. ac neruus, aut tēdo, aut musculus, aut quicquid sit, quod nos mouet, ꝑt fieri se ipso inualidius,
 atq; imbecillius: ut uero sibi ipsi graue sit, id fieri uero non potest. ceterum si id fiat robustius ualidiores
 eius erunt, quāam antea actiones: si imbecillius, languidiores: quemadmodū musculus, si uerbi causa, ip-
 se crus moueat, cū bene ualet, eam mēbri partē, cui a natura insertus est, ualide attrahet: siq; optime sit
 affectus, id munus ualidissime obibit: at infirmus redditus, inualide: quā si uires habuerit resolutas,
 D [uix] & languide. si uero nō musculus, sed neruus sit, qui musculum ipsum moueat, is etiā, quę sua crit
 ualetudo uel morbus, bonus habitus, & infirmitas, eadem in mouendo membro aget, quę modo de mu-
 sculo diximus. simili quoq; modo si dixerimus, spiritum esse id quod primum mouet crus, eadem erūt
 de ipso censenda. iam igitur, maioris perspicuitatis gratia, ponamus nunc musculum a spiritu per neruū
 delato moueri: a musculo uero tibiā primum, in quam is inseritur: quā mota articulus in genu, ubi totū
 crus cōmittitur etiā subinde moueatur: certe his ita constitutis, poterit quispiā uere dicere, & musculū
 inualido spiritui esse oneri, & totum ipsum membrum, hoc est tibiā. si uero præterea ponamus, neruū
 a spiritu moueri, & a neruo musculū, a quo tibiā cieatur, ab his omnibus spiritus imbecillis grauibitur,
 quare ex his iam constat, minime posse accurate cognosci, quid sit id, quod primum grauet: quodq; ꝑ-
 rimum grauetur, nisi prius intelligatur, quid primum in nobis unamquāq; particulā moueat. hoc tamē
 alias accuratius perscrutabimur. nunc enim id, de quo institutus sermo est, nobis est pertractandū: ubi
 ut clarior sit oratio, totam rem quibusdam positis consiciemus. statuamus igitur, musculū esse id, quod
 tum se ipsum, tum etiam os tibię primum moueat. ipse quidem sibi ipsi, etiam si sit inualidissimus, esse
 grauis non potest: sed tibiā potius illi grauis est. utrum uero id illi solum, cum mouere tentat, accidat,
 an etiam dū quiescit: hoc ad aliam contēplationem, quę non ita leuis est, pertinet: eāq; nos in libro de
 motu musculorum definiuimus: sine qua, cū grauitatis sensus aderit, uel ipsa affectio, uel locus affectus

accurate comprehendere nunquam poterit. ac ne longe abeamus, nonnulli sunt, quibus uel membrum ali- E quod, uel totum corpus, cum mouere ipsum uolunt, graue uideatur. idem, si quiescant nullum grauitatis sensum percipiunt. non desunt, qui etiam prius, quam moueri uelint, se grauari dicant. nequit autem horum affectio unquam cognosci, nisi prius comperias, quænam in toto crure partes sint, quæ moueant, quæque moueantur. etenim si fibræ neruorum per musculum dispersæ, primæ sunt, quæ mouent, cum quibus mox membranarum, uenarum, arteriarumque genus mouetur, & præterea ligamenta, certe tum ab his ipsis, tum a ceteris omnibus partibus, quæ in hoc sitæ sunt membro, grauitatis sensus excitabitur. nos uero consideremus, ac definiemus, quando moto membro, suasque actiones obeunte, & quando item quiescente, grauitas oriatur. porro si ligamentorum quoque in eo genus cum carne moueatur, siquidem ex his omnibus ipsa musculi constet substantia: ex nullo unquam horum sensus grauitatis excitabitur: sed uel ex uenis, uel ex arterijs, uel ex adipibus, uel ex quibusdam eorum, aut certe ex omnibus. si uero in huiusmodi diuisionibus omisum a nobis sit, ex quibusdam, aut ex omnibus, ipse qui leget, ea poterit subaudire: quod in omnibus hisce sermonibus non disunctiue, sed subdisunctiue coniunctiones intelligendæ sint. itaque ex iis, quæ exposuimus, satis constat, si quis uelit eam partem quæ ex plenitudine laborat, cognoscere, oportere eum, accuratam earum uirium, quæ nos gubernant, consequi scientiam, itemque dissectionis, & naturæ cuiusque; particulæ, quæ in animali habeatur. inde enim exorsus partis nimis repletæ indicia fortasse comperiet.

Explodendam esse Erasistrati sententiam de notis plenitudinis.

Cap. 6.

SI quis autem sit, qui nulla ueritatis habita ratione, in hoc tantum studium incumbat, ut illos fallat, quibus cum ueratur, ac præ se ferat, se quid egregium scire, is facile poterit sine ullo alio maiore negotio primum Erasistrati librum salubrium perlegere: si quidem ille nullo alio in loco signa plenitudinis explicare aggressus est. quam ob rem eius uerba attendamus: ac primum quidem ubi ait, quænam sit plenitudinis origo (ita enim ipse uenarum repletionem uocat) deinde uero, ubi etiam signa, quibus dignoscatur, subiungit. hæc igitur ex eius sententia illius origo est. Cum alimenta, inquit, distribuuntur, nec præterea aut apponuntur, aut, ut cuique mos est, elaborantur, aut alioqui excernuntur, tum uasa concoctionis, distributionisque repleti necesse est: & actiones, quæ in ipsis eduntur, impediti. mox uero cum alimentum, quod prius erat in uasis, nulla alia ratione consumitur, sed aliud deinde ab ijs, quæ ingeruntur, accedit: uasa in corpore magis distenduntur. quæ ubi eo uenerint, ut amplius eam ferre sarcinam non possint, alijs insuper alimentis ex uentriculo iugiter eo comportatis, illa, quæ incrant, in proxima uasa spiritus irruunt. quare cum ex his planum est, eum de illa plenitudine loqui quæ infusionem respicit, tum uero quia plethoram proprie nominat: siquidem hoc nomen illi tantum affectui conuenit: & non item illi, qui ex uirium comparatione aestimatur. ubi uero pauca quædam de ea dignoscenda attulisset, hæc subiunxit. danda igitur, inquit, nobis opera est, ut etiam supra diximus, ut plethoræ affectionem cognoscamus. in principio enim dum uasa modice repleta sint, uidetur hi ualidiores, & robustiores reddi, quam ipsi esse consueverunt. sique maior etiam repletio accesserit, brachia, tibia, manusque pleniores uidentur atque; atque iis qui ab exercitatione eas partes distentas habent. sed repletione subinde adacta, iam affectu eo, qui ulceris sensum inuehit, tenentur uidentur, tardioresque, & ad motum ineptiores sunt: & uniuersum eorum corpus tæsum, lassitudineque oppressum uideretur. hæc autem corporis affectione nisi quis comode, periteque soluat, morbus statim excipiet. in his cõfudit Erasistratus notas plenitudinis diuersi generis: quod quædam minime necessaria intermiscuit. id quod statim ex principio suæ orationis, si recte illius uerba attendamus, intelligemus. ait enim inter initia: dum uasa modice repleta sint, uidetur hi ualidiores robustioresque reddi, quam ipsi esse consueverunt: qui quid sermo nullam habere necessariam cõsecutionem uel ex affectu ad signa, uel ex signorum ad affectus collatione uideatur, neque, nisi necesse est, cum uasa modice sint repleta, eos homines reddi ualidiores, robustioresque: neque si ualidiores, robustioresque uideantur, uasa modice repleta esse: cum fieri possit, ut licet aliqui non nisi modice repleti sint, imbecilliores tamen uideantur, aut saltim in neutra parte, imbecillitatis iqua, aut roboris, inclinent. si uero et robustiores, quam prius, efficiantur, id non modo nulla adacta in eis humorum copia fieri poterit, sed potius ea quædoque imminuta: quandoque eadem plane, quæ prius erat, cõseruata, utriusque horum ponas, statim quicquid horum primum pronunciaris, illa tria consequentur. nam si auctos esse humores statuas, poterit maiorum uirium imbecillitas, poterit etiam maius earum robur sequi, quam esset prius: poterunt illæ etiã in eisdem terminis consistere. nihilominus fiet, si facias, ut robustiores, quam solerent, sint redditi. possunt enim & aucti, & imminuti humores esse, & suum item modum seruare. nunc uero siue humores, siue sanguinem dixeris, pro eodem habeatur: ceterum hæc duo suo loco distinguuntur. Erasistratus autem hæc absolute pronunciauit, nulla eis adiecta demonstratione. nos uero non ita, sed necessarijs demonstrationibus, quæ nuper diximus, commo- probemus, sumpto iterum ab Erasistrati uerbis initio. itaque cum ait, eos ualidiores, robustioresque uideri, aliud ne significat, cum ait robustiores; aliud, cum ualidiores? & duo ne sunt modicæ plenitudinis signa nobis ab eo expõsita, an unum, quod duobus sit nominibus expressum? equidem nullam penitus in horum significatione differentiam comperio, neque in genere, neque in specie, neque maioris, aut minoris ratione: sed idem significari ab utroque arbitror. at, si uis fingere alterius cõparatione intentionem, incrementumque significare. siue igitur ualidiores de robustioribus, seu robustiores de ualidioribus dixeris, utriusque significatio erit penitus uniuersum. ubi enim eadem forma permanente incrementum sit, ibi non

A non est duarum significationum præceptio. ceterum planum est, eius plenitudinis, quæ uires respicit, nullam penitus factam esse ab Erasistrato mentionem, idque neque hoc in libro, neque in eo, quem de febribus inscripsit: quandoquidem plethora causa est, ut ipse quidem putat, intercidentia; unde inflammationes oriuntur, & febres excitantur. ipse uero prædictis uerbis plethoræ originem euidenter exposuit: quæ uasa corporis nimio grauari onere, plurimumque tendi affirmabat. quæ sane uocabula ipse usurpauit, sicut etiam cum dixit, cum iam eam ferre sarcinam non possunt, succi superflui in arterias cadunt. nam quæ uenas nimis replent, inde cientur, ut irruant. sed hoc etiam in loco quidpiam in diuisione desideratur. non erat enim ita absolute dicendum, cum uenæ amplius eam sarcinam ferre non possunt, eorum, quæ in ipsis sunt, in uasa spiritus impetum fieri: sed præstabat dicere, alterutrum horum duorum ex prædicta plenitudine sequi, uel tunicæ illius ruptionem, uel sanguinis in uasa spiritus transfusionem. existimare autem ideo sanguinem necessario transfundi, quod a uenis contineri non possit, hominis est, qui omnino oblitus sit, uasa quandoque ob plenitudinem rumpi: ut illud interim omittam, sæpe etiam sine tali transfusione fieri, ut in ampla intestinorum, aut uentris, aut stomachi, aut oris, aut faucium oscula uasorum aperiantur. sed ut mancas suis in sermonibus diuisiones Erasistratus adhiberet, non modo in hoc ipso libro, sed in alijs quoque ei peculiare fuisse comperies.

Vires necessario nec augetur, nec diminuit, siue increseat sanguis, siue decreseat.

Cap. 7.

NOs uero rursus uideamus, quale nam illud sit, quod ait, si modica plenitudo sit, eos robustiores, quam prius, uideri. sed o Erasistrate augetur ne robur corporis nisi cum sanguinis plenitudine, an ipso etiam simul crescente? equidem maxime esse necessarium putarim, si ualentiores edende actiones sint, ut etiam simul uirium robur augetur. si uero censeas, solo sanguine adacta, non autem auctis uiribus actiones ualidiores reddi, uideberis potius Asclepiadis sententias euertere, quam statum uirium constituere. ipse enim nusquam sic absolute dixit, eum, cui plus sanguinis insit, esse robustiorem: qui minus habeat, inualidiorem necessario, quamuis enim ille nullas in nobis esse uires, nec uitalis, nec animalis, existimari; tamen quasdam ijs, quæ apparent, consentientes distinctiones attulisse perspicitur. uidemus enim quosdam, qui & robustiores, quam essent prius, & item magis sanguinei sunt facti: alios, qui robustiores illi quidem sint redditi, sed tamen minus sanguinei: quapropter cum minime necesse sit, ut aucta sanguinis copia, uires increcant, uel ea diminuta, imminuantur; par est existimare, hæc quoque ab Erasistrato esse tractata negligentius: quippe cum neque ea, quæ nos modo proponimus, si quis eum comouisset, unquam negasset, actionum inquam firmitatem potius ex uirium robore, quam ex sanguinis incremento sequi. quam ob rem illius nos sermonem, addita ea parte, quæ deest, absolutiorem reddamus, ad hunc modum: cum sanguis unum cum uirium robore adaugetur, actionum augetur firmitatem necesse est. si ita dixerimus, uerum quidem erit, quod protulerimus, sed nihil ad nostrum institutum faciet: siquidem uerum erit, eos quibus sanguis pariter, & robur auctum sit, fieri ualentiores: non ita tamen uerum erit, ijs, qui ualentiores facti sunt, hæc etiam utraq; adacta esse: neque enim uires cum aucto sanguine crescunt, cum uel sola augetur possint. si quis enim eum, qui pituitosi sanguinis copiam ex ocio collegerit, & uiribus etiam sit imbecillis, optimo cupiam exercitori offerat, hunc ille non ita multo post ualentiores quidem, sed non tamen maiore sanguinis copia, quam cum eum accepit, affluentem reddet, ut igitur necesse non est ijs, qui suis in actionibus obcundis ualentiores, quam prius essent, effecti sunt, humores adactos esse: ita si qui firmiores actiones habeant, ijs ualentiores factas esse uires necesse est. porro non modo ab actionum firmitate sumpto initio ad uirium robur, sed ab ipsis etiam uiribus ad actionum firmitatem necessario peruenies. est enim in suis actionibus firmior, qui ualentioribus est uiribus: ut hæc ambo se uicissim consequantur, firmitas inquam actionum robur uirium: & uirium robur actionum firmitatem. utrumuis autem posueris, statim alterum accedat. nulla tamen a sanguinis copia est futura necessaria consecutio: cum neque si is sit maiore copia, quam prius, homo sit futurus ualentior: neque si minore, imbecillior: ut nec si æqualis sit, ille tantum deobtinere uirium. ex ijs autem, quæ diximus, iam perspicuum est, actionum firmitatem esse propriam & inseparabilem uirium ualentium notam: sanguinis uero aucti, non esse. quod uero mox est ab Erasistrato conscriptum, non est proprium plethoræ signum: separari tamen ab ea non potest, quod ipse impleri dicit. clarius fuisset, si tendi dixisset. nam & exercitores, qui diligentiores sunt, cum aiunt lassitudinem aliam ulceris sensum inuehere, aliam tentionis, aliam inflammationis, nihil significant aliud, nisi in ea, quæ tentionis sensum affert, membra esse repleta. dicunt enim unamquamque particulam tunc repletam esse, cum in se tentionem quandam sentiunt, sed & in inflammatione tentionem sentiunt: uerum illa aut semper, aut plerumque pullum quandam præter naturam adiunctum habet. quam ob rem dolore pulsantem quispiam, qui rem apertius exponeret, appellare eam posset. quicumque autem præter eam tentionem, nihil quicquam patiuntur, ijs neque inflammata est tensa particula, neque item necessario plethorica: sed duorum alterum, uel lassitudine laborat, uel plethorica est. si lassitudine tenetur, id ei nimius labor inuexit: si nullus labor præcessit, non iam ex labore lassita particula est, sed alia de causa: ut liceat affirmare, ubi tentionis est sensus, nec tamen præcessit exercitatio, ibi necesse sit plethoram esse coaceruatam. si ita loquamur, hoc signum proprium, inseparabileque redditur: siquidem hæc se uicissim consequuntur. nam & tensio, quam nulla præcesserit exercitatio, plethoram sequitur: tensusque signum inseparabile efficitur, utpote quod a plethora, tãquã a causa proueniat. si uero eatenus sanguis augetur

† Videtur legedi, ἰσχυροί, lassitudinem, non ἰσχυρόν, ut impressi lib. habent.
† Quidam addunt hæc. & tentione sine exercitacione abortiã, præcedit plethora.

ur, quatenus nondum uenas distendat, adhuc plethora non est. sed quid causa fuit, cur Erasistratus in E sua oratione fecerit brachiorum, tibiarum, manuumque mentionem? cum nihilo minus etiam in collo, & dorso, & lumbis, & thorace, & abdomine hæc consistere tentio queat. ut autem horum membrorum meminit, quod fuit superuacaneum: ita etiam multo magis id fuit, sensum ulceris commemorare, quando is potius ex mordacibus humoribus gignatur, quam ut plethoræ sit indicium. est enim is talis sensus, qualis in partibus ulceratis excitatur, cum tactu, aut purulento humore, aut acri medicamento irritatur: immo uero ex solis interdum motionibus exoritur. ut enim in copia humorum, qui ea, quibus continentur, distendunt, peculiaris tentio est, ita sensus ulceris mordacem qualitatem sequitur. proinde in multis quandoque per uniuersum corpus suboritur, qui tantum abest ut plethoram, ut ne moderatam quidem sanguinis mensuram habeant.

Utrum plenitudo in solo sanguine consistat, an ex molestia, tentione, & alijs empiricorum notis sit uere cognoscenda.

Cap. 8.

SI hæc ita se habent, ut profecto habent, iam tempus est, ut nonnulla ex ijs, quæ dū perenderemus signa ab Erasistrato descripta in hunc locum distulimus, desiniamus. præstitisset enim distinguere, num ea plenitudo tam quæ uirium comparatione æstimatur, quam quæ ad rerum continentium capacitatem refertur, possit in solo sanguine, an alijs etiam in humoribus consistere: id quod illi etiam indefinitum reliquerunt. cum uero hi affectus, nempe defectio & plenitudo non ipsos modo humores inuadant, sed etiam mala qualitas, ego medicos omnes, & qui ex uiribus, & qui ex humorum incremento plenitudinem æstimant, interrogavi, an solo sanguine eousque aucto ut ferri amplius nequeat, uenas extendi contingat: an uero si in quadam etiam particula, uel in ipsis uenis pituita, & cum ea, aut sine ea, bilis aliqua, aut sanies, aut spiritus flatuosus, adeo excrescant, ut capi iam ubi continebantur, non possint: necesse sit hic quoque tentionem ab animante sentiri. enim uero si particula, quæ tenditur, sensus sit particeps, necesse est, ut quæcunque ea res fuerit, quæ ipsam adeo distendit, ut capi amplius non possit, sensum tentionis in animante excitet. atque affectus, qui tum membra obsidet, tentio nominatur, quæ quidem si plurimum augeatur, tunc etiam quod tenditur, rumpatur necesse est. quod sane mihi cū ijs, quæ apparent quotidie, consentire uideretur: siquidem intuemur non modo neruos, ac funes, sed dolia quoque cum ex multo, quod flatuoso spiritu turgens continent, uel tentionis distrūpi, ac nuper uas stanneum ita medicamento ex uiperis, cuius erat plenum, inflatum est, ut & corium, quo erat inuolutum, & funiculus, quo deuinctum erat, rupta sint, & item incuruatum sit operculum. ac mea quidem sententia nemo est, qui si ea, quæ in ægrotis quotidie uidemus, obseruare, ac perpendere studiose uoluerit, quin nouerit, ex flatuoso spiritu in membris animantium intercepto, præsertim uero in colo intestino, aliquos sæpe uehementissimis doloribus esse conflictatos. quare melius est, existimare, ex quacunque humida, flatuosaque materia posse tentionis affectu particulas obsideri, quam ut is solū inter omnes humores affluentem sanguinem consequatur. sed his missis, ad eos redeamus, qui semper plenitudinem uirium comparatione statuunt, & ab ijs, quod maxime in promptu est, quæramus: si tamen quiddam huiusmodi, loco exempli, statuamus: sint duo, qui onera humeris imposita gerant: alter lignum, aut lapidem, aut grauissimum quoddam pondus: alter spinas paucissimas, & acutissimas ferat. hoc spectaculo proposito, ab ijs, qui plenitudinem uirium comparatione semper metiuntur, perquiramus, num illas paucas spinas onus uocent: an potius utriusque pondus habet hoc symptoma commune, ut illis hominibus non parum molestiæ afferat, nec tamen eadem sit, sed plurimum differens eius molestiæ species. nam alter non pungitur, sed grauatur: alter sine grauitate pungitur. quare si quis pūgi, aut morderi, aut quæcunque esse molestiæ possunt, onus, ac plenitudinem appellat, is etiam cogetur uel simplicem spinam, uel tenuissimam acum interdum onus uocare, quo nihil excoGITARI magis ridiculum poterit. hæc autē absurda sunt, & communi omnium sententiæ contraria. nobis uero propositum est, non euertere, sed seruare communes omnium sententias. quam ob rem, quod aggrauat, multum: quod pungit, aut morderi, aut quoquo nomine quis appellet, molestum dicemus. constat autem inter omnes, multos inueniri mordaces humores, qui partim in nobis gignantur, partim foris adueniant: quorum quatuor in maiore, & minore copia, sunt differentiæ: nam qui modice mordent, prurimum afferunt, quo in genere scilla est, qui uehementius, ij mordent, ut cepa. nam si nostrum corpus alteri cuiquam corpori, quod hanc naturam habeat, occurrat, eiq; hæreat diutius, ulcerabitur. si uero quædam sint his acriora, horrorem excitabunt, præcipue si ulceratis particulis imponantur. horrorem autem protracto, & adueto, symptoma illud rigor nominatur. in nobis quoque fucci mordaces gignantur, qui eadem ratione per has quatuor species distinguuntur: nam prurimum afferunt, qui modice acres sunt, ulceris sensum mouent, qui sunt mordaciores, qui autem sunt etiam multo mordaciores, horrorem: ut qui iam mordacissimi sunt, rigorem pariunt. his de rebus nos multis in libris locuti sumus, possunt tamen, quæ a nobis in libro de causis symptomatum, secundo, & in quarto de ualetudine tuenda sunt mandata literis, satis esse ijs, qui horum aliquid habere compendium uelint. uerum si quis rationem naturæ rerum maiore scientia percipere aueat, ei suppetunt libri de facultatibus medicamentorum, deque temperamentis, qui hos etiam præcedunt, quos perlegat. sed plerique medici non secus affecti sunt, quam illi, de quibus scribit Hippocrates, qui in fracturis, alijsque affectionibus huius generis, quæ medici iubent, facere plane nolunt. quæuis enim recuperare sanitatem cupiant, ita tamen curationis laborem, ut hi disciplina subterfugiunt, sed

A sed non possunt illi statim conualescere, solo finis consequendi uoto, neque hi docti fieri, nisi tota ea uia confecta, quam modo commonstrauimus. intelligent enim, si uolent, ulceris sensum in uniuerso corpore, siue ex multa præter consuetudinem exercitatione, siue sine hac exciteur, a mordaci succo generari: eamque ob causam exercitores eos qui supra modum se se exercuerunt, oleo largiore, mollibusque frictionibus, & calidis dulcium aquarum balneis, accurate temperatis curant, ut mordaces succi discutiatur: qui gignantur cum adeps, aut caro mollior, eliquata sit, aut ipsi humores ex nimia sint exercitatione in nostro corpore exalfacti. itaque si quis tantisper ferat, donec perdiscere horum demonstrationes queat, is solus habebit firmiter persuasum, ulceris affectionem ex succis mordacibus generari: ubi uero grauitas adfit, a multitudine, ad uirium comparationem. quæ uero tentionem adiunctam habet, non secus, quam illa, ex humoris copia consequitur, non facta quidem cum corporum continentium uiribus collatione, sed solum cum spatio, quo illi continentur. Erasistratus autem in primo salubrium, cum plethoræ originem exponit, hanc tertiam e prædictis affectionem apertissime docet. mox uero cū, de signis agit, nõ ea magis quæ huius, quam quæ aliarum sunt, explicat: siquidem ad hanc tentio solum pertinet, quod ipse adimpleri uocat. at sensus ulceris neque eius, de qua modo est dictum, plenitudinis propria nota est, neque etiam eius, quæ uires attingit: ac minus etiam, quæ se grauius, aut difficilius moueri sentiant. quando hoc proprium indicium illius plenitudinis est, quæ uiribus æstimatur. parum igitur absuit, quin uerborum inuenit, & τριτογενῶν, hoc est tritimorea uocauit, nõ secus, quam empirici, subiunxit, cū ait, cum alimeta, quæ distribuuntur, nec præterea aut apponuntur, aut, ut cuique mos est, elaborantur, aut alioqui excernuntur, nihil. n. interest, siue hoc modo loquaris, siue ut illi aiunt, uitam in otio traductam, & solitorum excernuntur, suppressionem indicat excrementorum. denotatio enim plenitudinis, ex tempore ducta, quæ præteritum tempus respicit, uitam otiosam unam cū extremis suppressis cõplectitur: quæ præsens, adimpleri, ulceris sensum, pigritiam ad motum, corporis uniuersi grauitatem, & cetera huius generis, quæcunque adiunxerunt: quæ denique futurum, si qui sic affecti sunt, euacuetur, eis magno emolumento fore: quod quidem Erasistratus prætermiserat. quod tamē recta dignotionis, & curationis est testimoniū, ut dignotionis, uel ut ipsi aiunt, notationis ne ulla quidē pars fuerit, si affectus per notationem uolumus denotari, ut inde opportuna curandi ratione inueniamus. si enim possemus aliunde rectam curandi rationem consequi, esset ea notatio superuacanea. cū uero præsentis temporis meminit, ruborē, uasorumque distentionem omisit: quæ ab omnibus fere empiricis, & a pluribus dogmaticis, ut etiam alia quædam, ut iam diximus, addita sunt. nec mehercule sine causa, qui plethoræ ex solo sanguine gigni uolunt, eius dignotioni ruborem, uasorumque distentionem addiderunt: immo & quod ipsi aiunt, brachia, tibias, & manus adimpleri, non magis ad hoc pertinere debent statuere, quam faciat plenitudo, quæ carnes, uniuersos musculos obsidet, uel etiam uenas: si modo sua tueri decreta uoluerint. & tamē si hoc posuerimus, statim necesse erit, duplicem dignotionem instituere, alteram eius plenitudinis, quæ sensiles uenas, cunctis hominibus perspicuas, respiciat: alteram, quam ipse solus peripexisse uideatur. iam igitur, arbitror, ijs, qui animum adhibuerunt, declarauit, non leuis negotij rem esse, plenitudinem cognoscere. cum enim ne sermone quidē est eius dignotionis facilis explicatio, sed potius difficillima, quomodo res hæc in ipsa arte exercenda recte poterit casu transigi ab ijs, qui nec de ea quicquā unquā uel cogitauerint, uel compererint?

Impugnatur plethoricus empiricorum concursus, quem illi συνδρομῶν nominant.

Cap. 9.

Sed ab Empiricis nostrum de plenitudine sermonem rursus exordiamur, cū ipsi caute admodum has uitare difficultates putant: quod se nihil horum prorsus scire fateantur, quæ ad plenitudinis essentiam pertinent: sed obseruasse dicant, sanguinis detractionem in eo concursu, quem plethoricum uocant, semper profuisse. colligunt. n. in unum omnia, quæ ab omnibus sunt allata dogmaticis, atque eorum ope se hisce explicare difficultatibus arbitratur. uerum, si quis animū illorum uerbis adhibeat, magis, quam illos redargui posse cõperiet. præstiterit autem fortassis oia rursus a capite arcessere. fac igitur, uictus rationem præterito tpe præcessisse, usque ab initio cõsuetam, quantum ad cibos pertinet, largiore tamē in quibusdam copia, quæ prius fuisse et excrementorum cohibitionem, & uitam uniuersam in otio tractam: esse autem in præsentem corporis totius tentionem, aut saltē quarundam partium: adesse itē pigritiam ad motum & infirmitatem ad actiones obeundas: præterea uero grauitatem, & ulcerose cuiusdam affectionis sensum, nõ sine tumore uenarum. accedat uero, si lubet, rubor, quæ huc quoque nonnulli addunt: & itē tumor totius corporis, & inæqualitas quædam ac lassitudo: siquidē hæc et quidam ad superiora aggregant. tū quæreda ab eis erunt, quæ ego adhuc adolescentis empiricū magistrū percūctabar, quo tempore ille me docere hæc coepit: utrum in quâ ea oia, quæ modo sunt dicta, simul cõgredi necesse sit ad recordationem, ut ipsi aiunt, euacuationis: an potius, si uel unum ex ijs uiderint, sanguinē missuri statim sint. ille uero confestim admodum ad hanc primam interrogationem respondit: opus esse, ut oia cõueniant. est. n. cõcurfus tale quidpiam, collectio nimirum eorum omnium, quibus ea cõpletur. cū uero in memoriā ei duos reuocassem, quibus ipse paulo ante mittendū esse sanguinē sperasset, alterū, qui uehementi oculorum inflammatione tenebatur: alterū, qui e curru deciderat, & loribus implicitus multum tractus fuerat, ut et quædam ei membra sint cõtrita: ille mox obticuit. tū ego tertium præterea memorauit, cui ille sanguinis detractionem iniunxerat, cū modice febricitaret, esset uero doloris capitis impatiens: & alium addidi, qui & si lateris inflammatione cõstictabatur, in eo tamē omnis ille cõcurfus non erat.

erat. unde ille in maxima erat dubitatione constitutus. ego uero alios et memorabam, illud insuper admo-
 nes, ipsum iussisse, uenam secari ijs, de quibus modo dixeram, in quibus tantum aberat, ut uniuersus ille
 concursus inesset, ut ego plane affirmarem, me ne duo quidem ex ijs, quae ad ipsum concursum pertine-
 rent, in illis hominibus conspexisse. ille enim, qui e uehiculo cecidit, quotidie exercebatur, excremen-
 ta consueta exercebat, moderate comedebat, nobiscum fere tota die uersabatur: ac neq; ipse magister,
 neq; alius quisquam eum indigere euacuatione existimabat: tamen cum illo casu membra quaedam illi
 essent contrita, neq; rubor, neq; uasorum tumor, neq; aliud quidpiam ex ijs, quae concursum illum con-
 ficiunt, in eo esset, sed solum dolor ex partibus contritis excitatus, uenam illi secandam censuit. simili
 quoque modo ei qui lippitudine, quiq; capitis dolore uexabatur, & si nihil eorum, quae in plethorico
 eocursu memorauimus, adesset, tamen incidi uenam uoluit. e quidam alios quaplures, in qua ego, cognoui,
 quibus uenam incidistis, qui uel omnibus ijs, quae uos concursu plethorico contineri uultis, carebant,
 uel certe ea omnia non habebant. nunc enim, inquam ego, dum omnium, quibus uos sanguinem detra-
 xistis, mihi uenit in mentem, ne unum quidem habeo, qui omnia ea symptomata habuerit, ex quibus
 constare concursum censetis: sed alij incisa uena est, quod in lassitudinem incidisset; nec alia re praeterea
 laboraret: alij, quod uehementi febris, aut oculorum, aut capitis dolore constaretur: uel quod deflue-
 res haemorrhoides, aut menstruae purgationes essent suppressae. nunquam autem ea omnia aderant, quae
 uos plethoricum conficere concursum arbitramini. hinc efficitur, si tu omnes affectus, ad quos acco-
 datam esse sanguinis missionem obseruatum est, concursus plethoricos nominandos censeas; iam lip-
 pitudinem, pleuritis, uehementem dolorem, casum e curru, aliaq; innumerabilia plethoricos concur-
 sus nuncupabimus. si uero nihil horum ad plethoricum concursum pertinet, quippe qui eorum sympto-
 matum, quorum modo meminimus, sit collectio, certe non erit uena alicui secanda, nisi ea ad sint om-
 nia. quo modo autem ille ad haec responderit, & nihil unquam attulerit, quod ad rem faceret, maiore
 esset otio explicandum: atq; hoc non est huius instituti. cum enim non multum mihi ad nugandum sup-
 petat temporis, statui non hic, sed in alio libro de uenae sectione omnia, quae ad hoc remedium pertinent,
 proposita persequi, quae nemo adhuc accurate, definiteq; descripsit.

*Quantum tentio, tumorq; totius corporis & uenarum ad indicandam, uel non indicandam
 plenitudinem ualeant. Cap. 10.*

Empiricis igitur omissis, ad eos iterum redeamus, qui rationales uocantur, & singula symptomata,
 quae descripta ab eis sunt, perpendamus: quaedam enim eorum ad plenitudinem illam spectant,
 quam uiribus metiuntur; quaedam ad eam, quae infusionem intuetur. quaedam praeterea non sunt notae
 omnino plenitudinis; sed huiusce: quaedam uero nullius plenitudinis, sed humorum potius prauitatis,
 corruptelaeq; signa sunt, aut uirium imbecillitatis, aut tumoris solidorum corporum. tu uero si animum
 his, quae dicentur, adhibueris, haec ita se habere, facile perdisces. ea igitur affectio, cui tentio adiuncta est,
 nisi ab exercitatione consequatur, plurimam omnino in corpore sensibili contineri substantiam indi-
 cat: ut tamen quod ad tentiorem solum pertinet, nec quanam ea sit, nec quae illius species, declaret
 (est enim hoc cuiusq; substantiae commune, tam tenuis, quam crassa, tam mediae consistentiae, quam fla-
 tuosa; itemque tam calidae, quam frigidae, uel mediocris) sed alijs indicijs ad haec discernenda opus est.
 infirmitas uero, quae in actionibus esse cognoscitur, uires esse imbecilliores indicat, dum id, quod mo-
 uet, impeditur: ut in languidiore manu motu contingit: quod multos consequi status potest: si enim
 in aliquo genus earum particularum, quae ex carne, & adipe constant, augeatur, uiresq; eiusdem terminis
 cotineatur, certe imbecilliores edimotiones oportebit: quod res mota sit aucta, moues uero in aequa-
 litate permaneat. at si uel unus ex humoribus, uel omnes simul excrecent, uires autem alioqui non simul
 augeantur, sic quoq; inualidas reddi actiones necesse erit. nec minus, si ambo creuerint, humores in-
 quam, & quae infusiones appellantur, nec ullum uirium fiat incrementum. si uero sit horum par modus,
 uires imbecilliores euadent. possent etiam usu uenire, ut haec ambo simul conuenirent, ut de uirium ro-
 bore dematur, & humores una cum infusionibus uel copiosiores, uel pauciores reddantur: quorum
 utrumuis eueniat, uires inualidiores efficiuntur, siue modo ex uno eorum id accidat, siue ex duobus, si-
 ue pluribus, siue etiam omnibus. existimare enim ex bona solidorum corporum nutritione imbecillio-
 rem edimotionem posse, hominum est, qui facultates per tota solida corpora permeare igno-
 rant, sed arterias & neruos ut fistulas, canalesq; spiritui praeparant. scies autem, ut haec praua sit opinio,
 si cum alios ex nostris, tum uero eos, qui sunt de decretis Hippocratis, & Platonis, & de naturalibus fa-
 cultatibus libros perlegeris. solidorum igitur corporum bona nutritio, proprie ad bonum habitum per-
 tinet: sicut ad carni incrementum bonus carnis status, & carnis exuberantia, magis uero etiam adeps
 augetur, eius proportione seruata. quandoq; tamen magis adeps, quam caro augetur, uel adeps tan-
 tum. sed de his in libris de temperamentis locuti sumus. quemadmodum uero in carne est bonus
 carnis status, & carnis exuberantia; sic etiam in sanguine est bonus sanguinis status, & eiusdem exube-
 rantia. ac planum est ad bonum sanguinis statum pertinere, ut suam rationem accurate seruet, tam quod
 ad quantitatem, quam quod ad qualitatem refertur. in exuberantia enim recta in qualitate ratio serua-
 tur: in quantitate non omnino culpa uacat, cum maior eius copia sit, quam suapte natura, & ex suis ori-
 gibus initis ei debeatur: uel saltem, quam postulet uirium ratio. interdum enim accidit, ut haec ambo pari
 ratione plus, quam ratio eorum ortus exposcat, simul augeantur: ut in bono athletarum habitu quan-
 doq;

Adoque perspiciamus: in quibus humores, caro, & uires ad eandem proportionem adaugentur. satis igitur
 constat, eos, qui inter signa plethorica tumorem corporis statuunt, uerum non dicere. poterit quidem
 fortasse plethoricum signum esse tumor uenarum, at carnis & adipis moles indicat quidem earum copiam,
 non tamen erit eius plenitudinis, quae plethora nominatur, quam hoc sermone inuestigamus, indicium.
 cum enim sermo sit de ea plenitudine, quae euacuationem indicat, institutus, quidam statim homonymia
 decepti sic de uia desexerunt, ut ad plenitudinem tum adipis, tum carnis deuenirent. quare tumor
 corporis in signis plenitudinis non est recte numeratus. uenarum uero tumor eas fortasse, quas tumi-
 das uidemus, esse plenas significabit: neque tamen necesse est, ut aliae etiam, quae imis sunt in partibus, ple-
 nae sint: siquidem contingit, ut saepe quae extra sunt, distendantur: non tamen aliae, quae latent, & que disten-
 dantur: ut frigore correptis sanguis ad interiora repellitur: & uenae extremae sanguine redduntur uacuae,
 uix ut uideantur: at calore ingruente, aut si quis lauerit, contra fit ut sanguis internas corporis partes re-
 linquat, & ad externas, cutimque efferatur. praeterea si ardens febris sit, efferuere, ac quasi uri sanguinem
 necesse est, ac proinde fundi, in flatumque conuerti. atque ita quidem uenarum tumor non erit insepa-
 rabile plenitudinis humorum indicium, nisi cum ita primum se corpus habuerit, ut neq; interna exter-
 nis, neque haec illis magis calcant: tum uero neque immodicus calor uniuersum animalis corpus obfi-
 deat. si ita distinguas, uenarum tumor erit sanguinis plenitudinis signum: ut tamen sanguis per experientiam
 intelligatur: cum praesertim fieri nequeat, ut adeo sincerus in uenis sanguis reperiatur, quin aliquid
 aut bilis, aut pituitae, aut serosi humoris admixtum habeat. quam ob rem superius admonebam, hoc sem-
 per modo esse accipiendum, quoties aut sanguinem, aut ceteros abundare humores dicerem. nam since-
 rus sanguis & non alij humori permixtus nusquam in uenis inuenitur. ostendimus enim alibi, nihil om-
 nino referre, siue humores, siue sanguinem uoces, quoties tamen cunquae is sit cum alijs non utrunque
 permixtus, sed certa quadam proportione seruata, in ijs nimirum animantibus, quae ita affecta sint, ut
 natura eorum exposcit. Nam cum omnes humores intra eam, quae eis natura debetur, mensuram creue-
 rint, tum sanguinis dominatis, & humorum nomen significat. nihil autem interest, si humores, siq; san-
 guinem augei dicas. quippe qui ita loquuntur, hoc significant, cum intra pristinam proportionem om-
 nino crescere. atq; haec ita definita sint nobis. nunc ad institutum reuertamur. tumor uenarum indicat san-
 guinis plenitudinem, si tamen is a nulla externa constitutione quae inualescat, aut fusione, aut ebullitione gi-
 gnatur. cauendum etiam erit, ne particula decliuis fuerit: aut ne uehementiore, quam alij, motu sit prius agita-
 ta. has autem singulas definitiones facile quispiam una communi ratione complectetur, dicitq; tumore uenarum
 sanguinis plenitudinem indicari tum, cum omnes corporis particulae eundem statum cum mediocri
 etiam calore obtineant. etenim si illae oes nimio calore pariter ferueant, inde humores fundunt, uenaeq;
 in tumorem attolluntur. quae res potius flatuosam, quam sanguineam plenitudinem indicat: siquidem
 concalascit humores in flatum conuertuntur. quocirca qui uenarum tumorem esse plenitudinis signum
 dixerunt, recte locuti esse uideri poterunt, si modo quis ad eorum sermonem addat, id in illis uenis esse
 intelligendum, quibus hoc ipsum acciderit. Quando necesse est, ut quae substantia uenis tumorem af-
 fert, sit copiosior, quam prius esset: nec tamen iam clarum est, cuius nam generis ea plenitudo sit: cum
 tumor, qui est praeter naturam, ad quamuis substantiam, modo multa sit, pertinere queat, siue is sanguis
 sincerus sit, siue biliosus, siue serosus, siue pituitosus, siue flatuosus. iam & tentio uenarum non secus, quam
 illud cuiusque differentiae plenitudinis est commune: siquidem ipsa quoq; potius quantitate, quam
 differentias formarum effectrices sequatur. igitur tam tumor, quam sensus tentiōnis nihilo magis cu-
 iuspiam humoris, q̄ status copiam indicat. quae ob rem si quis ita dicat, necesse est, ut ubi tentiōnis sensus est, ibi
 sit etiam plenitudinis, is a uero non discidet. neq; etiam ille erit medax, qui plenitudinem, quae in particulis sen-
 sibilibus sit, quaedam affectione inuehere affirmabit. si uero praeterito communi nomine aut humorum, aut pleni-
 tudinis, sanguinem dicat, iam non erit necesse, eum uerum esse, propter eas causas, quas modo recessu. uenarum
 uero tumore, & tentiōnis affectione non si impliciter plenitudinis, sed eius quae in ipsa magis, minusq; est, dif-
 ferentiam esse, uel ex eo patet, quae nulla particula praeter plenitudinem dolet, nisi ea prius uiolenter distendatur.
 licet. n. in tumore attollatur tamen si absit uiolentia, nondum ea pars distendit. quocirca tumor, qui cum ten-
 tione est, maior plenitudinem praefert: qui contra eam est, minor. Sed quid causa est, cur nullus tumor in ue-
 nis in principio apparet, cum tamen sensus tentiōnis est plurimus? quippe semper necesse est affectione ten-
 tione cum maximis tumoribus esse coniunctam. an ita sit, quia quandoq; tumor uenas internas, quae in pro-
 fundo sunt, occupat, easq; partes distendit? Si tamen ea plenitudo, qua de agitur, per comparationem, qua
 cum altero conferat, dicit: nam uel ad uasorum capacitatem, quod est plenitudinem uocamus, non tamen ita ut illa ad-
 huc tendatur: uel ad tunicae distentionem tumor uenarum crescit, cum sanguis adhaerens ad eam plenitudinem p-
 uenerit, quae naturalis cuiusq; modum excedat: atq; ad eius comparationem multus dicatur. cum uero tunicae ten-
 duntur, tunc excessus ille indicatur, quae mensuram illis debitam superat. quando hoc eis non sit natura tribu-
 tum, ut nimirum distendatur. utriusq; igitur multum est, tam si sanguis praeter naturalem modum, q̄ si ad tentiōnem
 usq; uenarum excrecat. Erasistratus autem utriusq; meminit, non tamen ita distincte, aperteq; ut nos fecimus: sed
 usq; eo saltem progressus est, ut duplicem esse huius rei naturam ostenderet: nam cum ait, in principio. n. dum uasa modi-
 ce repleta sunt, uidentur hi ualidiores, robustioresq; reddi, q̄ ipsi esse consueverunt: indicat sanguinis imode-
 rationem, cum naturalis cuiusq; modum excedit: cum autem subiunxit, siq; maior est repletio accesserit, brachia, ma-
 nus, tibiaeque pleniores uidentur: eam uidentur inuasse, q̄ tunicas sanguinem continentes respicit: ut duo sint termi-
 ni sanguinis

ni sanguinis ultra mensuram naturalem adacti: alter si tunica uenarum repletæ in maiorem tumorem extollantur; quam ratio cuiusque naturalis status postulet: alter si præter hoc, tentio quoque eis accedat. quorum tamen neutrum in ea plenitudine cernitur, quæ comparatione uirium æstimatur. ac de his quidem hæc sufficiant.

De rubore, ceterisque indicij, quibus plethora, uitium humorum, ac plenitudinis species significantur.

Cap. II.

Rubor autem, de quo isti quoque mentionem fecerunt, non est eius, quæ absolute dicitur, plenitudinis nota: sed sanguineæ. is tamen eandem requirit, quas tumor, distinctiones: quippe qui possit etiam ab aliqua externa occasione suboriri, ut ex sole, uel balneo, uel exercitatione, uel itinere, uel (ut uno uerbo complectar) ex calore: itemque ex ira, uerecundia, & alijs huius generis, quo in numero sunt etiam acutæ febres. itaque si corpus ex omni parte sit æqualiter affectum, neque quicquam eorum adfuerit, quæ modo diximus: rubor erit signum sanguineæ plenitudinis totum animal occupantis: si secus, saltem erit eius partis, in qua conspicitur. etenim eas inflammationes, quæ uel summam cutim, uel musculos obsident, cum ipsæ quoque sint plethorici morbi, is consequi color solet. nos uero in alio libro, in quo de tumoribus præter naturam locuti sumus, de inflammationibus copiose egimus. quo in libro docuimus eos tumores omnes ex humorum plenitudine alio atque alio modo in partes decumbentium consistere. nunc uero nõ est nobis de ijs instituta tractatio, sed de ea plenitudine, uti diximus, quæ plethora uocata est, & ex humorum exuperantia in corpore uniuerso exoritur. nec tamen uniuersum corpus ab ea plenitudine occupari affirmauimus, ut utrumque genus corporum, uasorum inquam, & carnis, inde lædantur: quia sit quandoque ut eorum alterum modo offendatur, ut si utramuis ex illis partibus occupet, neque in una particula, aut duabus id contingat: sed uel in toto animali, uel in pluribus eius particulis, aut certe in ijs, quæ maxime principes censentur. deprehendere autem qualis nam tumor sit, uideatur hominis esse in his rebus dignoscendis ualde exercitati. in genere igitur carnosio alter est tumor, qui ad eas ipsas carnes pertinet: alter, qui ad humores: cum nimirum caro æque ac spõgia, aut lana superfluente humore quodam impletur: & plenitudo huius generis in carne proportionem respondet ei, quæ ex fusione in uasis uocatur: altera uero ei, quæ ad uires refertur: uel quæ cum grauitate consistit: ut tamen semper in memoria habeamus, siue de composita carne, siue de musculo sit nostra disceptatio nihil interesse: & quoties de plenitudine, quæ in carnibus est, nostra habeatur oratio, id de musculis, non de simplici carne, quæ a nonnullis infuso uocari solet, esse intelligendum: quippe cum in arterijs & uenis plenitudo, quæ ad uires refertur, non æque est a laborantibus sensu percepta: sed ab ijs modo, qui suapte natura uegetiores sensus habent: siquidem ijs solis subobscura quædam, & in profundo apparet in corpore grauitas. quocirca sit, ut alia huius plenitudinis apertiora indicia sint peruestiganda. cum autem multi medici hanc rem negligenter tractarint, quippe alij nullum in ea studium posuerunt, alij uero satis imperfecte id egerunt, nullum signum motu arteriarum certius reperitum est, de quo plene actum est a nobis in libris de pulsibus. plerumque enim uenæ cum arterijs propter eorum uasorum confluxum, quem alibi sæpe declarauimus, in plethoram simul cadunt. quædamque crassis, & glutinosi humoribus in uenis collectis, non ita facile ab ipsis in arterias sit transfusio. id tamen raro euenit: siquidem semper transfluunt, nisi humores maxime crassi, glutinosique sint. quare in huiusmodi affectibus nullum euidentem signum plenitudinis in uenis collectæ ex motu arteriarum haberi potest: quamuis id maxime Nicarcho, Praxagoræque placeat, licet illæ nihil sanguinis arterijs impertiantur. in alijs uero plethoræ affectionibus fides adhibenda est ijs notis, quæ ex pulsu sumuntur: de quibus separatim in alio commentario, qui ad hanc rem pertinet, perscripsimus. species autem plenitudinis, cum in uniuersum corpus est pariter distributa, sunt hunc in modum diuidendæ: rubor sanguineam plenitudinem indicat: color subpallidus est flauæ bilis indicium. at ubi nimium excreuerit pituita, color ad magis album, quam ut natura conueniat, declinat: ut ad atrum, si atra bilis, sed oportebit, ut sanguis unâ cum unoquoque horum simul augeatur: propterea quod si sola bilis pallida uel flaua exuperarit, ut regio morbo affectis contingit: is affectus non iam plenitudo, aut plethora dici debet, sed potius prauorum humorum copia, quod idem de atra bili, deque pituita dicendum est. si uero, ut prius monuimus, grauitas, aut tumor præter naturam modum adsit, ea affectio erit plethorica appellanda: sed ita, ut humoris dominantis species ex colore dignoscenda sit. qua in re sola bilis neutrum symptomata ex ijs, quæ nunquam a plenitudine separantur, potest inducere: hoc est neque tumorem, neque grauitatem. prius enim quam ita excresecat, alia ei superueniet affectio. porro si sola pituita augeatur, neque hæc omnis absolute, sed quæ in eo hydropum genere est, quos leucophlegmatias uocant, poterit fortasse in toto corpore abundare. enim uero planum est, eum humorem, qui crudus appellatur, inter pituitæ species in hoc sermone esse collocandum. si enim illum ab hac diuersum esse posuerimus: certe ijs plenitudinis differentijs, quas modo memorauimus, ea quoque addenda erit, quæ ex huiusmodi humore ducitur. ceterum hic humor est, quam alia pituita, crassior, minusque flatuosus, cuiusmodi est ille, qui in urinis subsidet: præsertim uero in ijs, in quibus præ nimia uoracitate plurimum eius sedimenti redundat, quod est lomento fabarum perfimile. idem humor sæpe per aluum ab ijs deijcitur, qui relictis exercitationibus, se crapulæ dediderunt, nec a balneis post cibum abstinent. sed enim huius humoris, ut etiam pituitæ, comes est albicans: quædam totius corporis decoloratio. porro alia species pituitæ sunt dulcis, acida, & salsa. ex dulci sunt somnolenti;

A. I. I. F. 4. C. 1.
p. 12. F

A somnolenti; ex acida, cum redundat, famelici: ex salsa denique, sticculosi. ex ea uero, de qua nuper agebamus, cruda inquam, appetitus amittitur. quod uero ad somnum pertinet, alia pituitæ paulo maiorem, quam naturæ conueniat, somnum conciliant. nam crudus humor, ut etiam dulcis pituita, iam perspicue somnolentos facit. est enim a nobis alibi demonstratum, si principium sentiendi humescat, ac refrigerat, statim coma suboriri: quemadmodum si siccescat, atque incalescat, uigilias excitari. quæ causa facit, ut omnes biliosi ex utraque bili insomnes degant: sed qui atra bili tenentur, hoc habent proprium, ut difficiles sint, ac præter omnem rationem tristes. si uero nõ in corpore uniuerso, sed una particula quadam prædicti humores congregentur, tumores præter naturam in corpore parit, de quibus alibi differuimus. horum autem symptomata, quæ attulimus, præter decolorationem, tunc maxime oriuntur, cum illi uel cerebrum, uel uentriculum occupant: quando uigilia & somni causam ex cerebro ducunt; appetitus uero, eiusque defectio ex stomacho, qui alias alio modo sit affectus. quo in loco scire cõuenit, stomachum os uentriculi ipsius appellari: ubi, si colligatur pituita, appetitus excitat: si biliosi humores, eaque bilis flaua sit; sitim, ac cibi fastidium parient. os præterea erit amarulentum. at si atra, morosi, ac tristes, & timidam fame conflictantur, nimirum ijs, in quibus atra bilis qualitatem acidam superatam obtinet: id quod fieri solet, cum ea malignior redditur. ceterum dum ea uelut foex sanguinis permanet, nec adhuc plane facta est acida, præstiterit fortasse eam melancholicum humorem appellare, ac nondum melancholiam, aut atram bilim nominare: sed, ut nos consueuimus, melancholicum humorem potius, quando prope accessit, ut in melancholiâ cõuertatur. sed nobis nõ est propositum, de uitioforum humorum differentijs differere: cum eas uocabulo plenitudinis non comprehendere affirmauerimus. proposueramus autem nõ quæcunq; humorem utcunq; exuberantem inuestigare, sed de plenitudine differere: quæ est in uniuerso corpore animantis humorum copia. quam ob rem nemo a me expectet neque tumorum singillatim, neque uitioforum humorum in hoc libro explicationem: sed tum denique, cum uel omnes pristina proportionem seruata aucti sint, uel unus alios, parum tamen, superet. ac sanguis quidem in plethoricis constitutionibus potest alios longo interuallo superare; non ita uero ullus alius humor. id autem iam in malitiam humorum transit, nec plenitudo, nec plethora uocatur. unde pulsus in malitia humorum sunt accurate cum natura humorum congruentes: in illis uero plenitudinibus, quas modo recensuimus, nõ ita aperte eas differentias seruant: propterea quod humor ille, qui superfluit, plurimum secum sanguinem semper habet, uerum si nimium excedat, sitque flaua bilis, necesse est tales pulsus effici, quales cum cor calefit, & exiccatur, fieri diximus. si sit atra bilis, tales item, quales effici diximus, cum refrigeratur, & exiccatur. eodemque modo si pituita alios superarit, pulsus erunt, qui solent in frigida, humidaque affectione gigni. ubi uero sanguis suum naturalemque statum retinebit, nulla fiet a pristino statu permutatio. sed si humidior redundet, pulsus etiam immutabuntur: quemadmodum si aut calidior fieret, aut frigidior. uerum hæc omnia in libris de pulsibus distinximus. in præsentibus uero satis sit dixisse, ex ocio, & uictu humido sanguinem se ipso reddi humidior, excrementis aqueis in eo redundantibus. ex ira autem, exercitatione, æstu, frictione, medicamentis, alimentisque calefacientibus, uinoque meraciore, ac uetustiore calidior effici: quemadmodum frigidior ex recenti frigore. præterea si quis temperaturæ siccioris alimentis diutius utatur, in quibus tamen nulla alia intemperies sit, sanguis in eo siccior fiet. idem uarijs etiam modis commiscebitur, ut simul frigidior & humidior, uel frigidior & siccior, uel calidior & humidior, uel calidior & siccior sit, prout iam dictæ causæ postulabunt, etiam si nullus alius in eo humor exuperabit. si uero propter eorum etiam mixtionem in intemperiem cadat, ea sane intemperies sine humorum malitia constare non poterit, quæ itidem dicitur, e frigidior, sicciorque sanguine constare, uel ex frigidior & humidior proficisci: & ita deinceps in sex reliquis intemperiei generibus; quippe cum octo sint omnia, id tamen alio modo fiet, quam cum ille solus, & per se talis fuerit. pulsus autem pro horum octo intemperiei generibus talem formam, qualis nos in libris de pulsibus exposuimus, obtinebunt.

D Quando solus sanguis, quando ceteri cum ipso humores augeantur: & quam uim habeant singula plenitudinis indicia.

Cap. I 2.

An uero solius sanguinis sit, an alterius humoris, qui illi admixtus sit, ex uniuersi corporis colore distinguendum erit: itemque ex alijs symptomatis, quæ nuper attulimus: nempe quæ de somno & uigilia memorauimus, quæque de cibi appetitu, eiusque fastidio; præterea uero de alijs, quæ modo sunt a nobis præposita. ex prioribus quoque uictus ratione, exercitationibus, & ijs, quæ accidere ægrotis confecerunt: insuper uero ex anni tempore, regione, & naturali corporis densitate, ac raritate. sic enim erit melius dignotionem his omnibus, quam uno, uel duobus confirmare: cum probe sciamus hoc solum in hac arte plurimum habere adiunctum coniecturæ: dico autem partem uniuersam dignoscendi, & non solum eam, quæ ad humorum malitiam, plenitudinemque dignoscendam pertinet: quam nos hoc sermone explicare instituimus. quæ enim ad actiones, aut morborum causas, quæque ad curandi rationes pertinent, ea possunt maiore scientia cognosci: de quibus alibi copiosius egimus: ac nunc satis erit, postquam quod propositum erat, plene sumus persecuti, huic libro finem imponere. hic autem sufficere nobis sermo poterit, si fuerit exemplo declaratus. fac igitur, homini, qui febrem non habeat, uenas in maiorem tumorem esse elatas: totumque corpus esse rubicundius. peruestigandum est quamprimum, an ei aliqua causa occurrerint ex ijs, quæ calefaciendi uim habent: quod si appareat, melius erit huius rei

rei di gnationem tantisper differre, donec motus in toto corpore ab illis excitatus cōquieuerit. neque enim iratum, aut qui lauet, aut lauerit, uel qui exercitatus sit, aut se uino ingurgitauerit, aut quouis modo in caluerit, in hanc adducere disquisitionem oportet: sed cum, in quo omnis externa motio conquieuit. in quo tempore si talis uideatur, sanguinem in eo redundare iudicabis. Sed alia erunt subinde consideranda: in primis uero, quæ maximam uim habent: deinceps uero alia. ac nos quidem huiusmodi esse ostendimus grauitatem, tentionem, & pigritiam ad motum: postea pulsus, uigiliam, somnum, cibi appetitionem, atque fastidium, & tandem quæcunq; sunt huius generis: deinde ea, quæ præcesserunt, an uim gignendæ plenitudinis habeant: ulla ne excretio alias solita sit compressa, aut prætermissa exercitatio: & num plura, uel quæ ualentis materiæ sint, alimenta sint ingesta: an a cibo præter consuetudinē lauerit. ad hæc uero, an ille plethoricis corripit morbis consueuerit. addenda etiā ea sunt, quæ ad anni tempus, regionemq; pertinent: & si quid aliud sit huius generis: ita tamen, ut non omnibus par causæ ratio tribuatur. quod etiam in alijs huius artis partibus obseruatur. ex his enim indicijs quedam scientiam attingunt, quo in numero sunt tentio, grauitas, tumor uenarum, segnitia ad motus, color, pulsus motio, sed citra omnes recentes motiones: quædam his inferiora sunt, ut suppressæ excretiones, uita in otio tractata, copiosi cibi, qui multum nutrant: balnea post cibum infusa. quæ tamē si in unum coeant omnia, prope ad ea indicia accedent, quæ scientiam gignunt. tertium ab his ordinem obtinet, an homo plethoricis corripit morbis consueuerit. ad hæc accedet ratio regionis, ac temporis, quæ hæc constituit omnia. nam hyeme & uere, ac locis frigidis, & temperatis maior plenitudo coaceruatur: locis uero, ac temporibus calidis & siccis, minor. iam uero qui densa cute sunt, frequentius; qui raram eandem habent, rarius eam colligunt.

GALENI DE MORBORUM TEMPORIBVS

LIBER VNVS,

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

Nunc ad codicum Græcorum fidem recognitus.

ARGVMENTVM LIBRI.

Quot ad summum sint tempora particularis morbi, & quam hallucinentur veteres in temporibus morbi dignoscendis.

De proportione temporis morborum ad animalium ætates, & dubitatio an principium aliquod sit in morbis.

Cap. 1.



QUÆ res animalibus est differentia secundum ætates, talis morbis sunt tempora, quæ καρποί Græcis uocantur. Neque enim tempus simpliciter hoc uocabulo significatur, neque conueniens illud tempus, in quo præsidia etiam consideramus. sed tantum morborum, ut diximus ætas quæ temporum uicissitudine immutatur, ut animal ætatibus: quod omnibus corruptelæ subiectis corporibus, alijs magis, alijs minus adesse uidetur. Nam si natura ipsorum immutationis alterationisq; perpetuo expers maneret, nimirum nõ corrumpeteretur. Quæadmodum igitur & ipsi nos geniti ad uigorem usque augetur, inde iam contabescere incipientes, ad extremam usque corruptionē declinamus, si omnes ætates pertransituri sumus: pari modo singuli morbi à prima eorum constitutione ad statū usque crescunt, dum pro augmenti prioris portione decrecentes in totum dissoluantur. Videbitur autem forsitan morborū pro tempore immutatio hoc solum ab animalium ætate discrepare, quod his proprium generationis tempus est, quo omnes ad vitam necessariæ partes figurantur formanturque: morborum nullum huiusmodi tempus est proprium, sed a primo statim ingressu augetur: idque ratione probabili. Nam illa, corpora sunt: hi, corporum accidentia. Quare figurationem generationemq; morborum proprietas non postulat: accidentia uero ipsi, ut quæ nullam figurationem expetant, primo aditu protinus generationem simul acquirunt, & ad incrementum festinant. Quæ enim inflammationis generatio esse possit? an qualis est animalis nascentis figuratio? uel quæ erysipelatis? uel quæ, uerbi gratia, febris? Nam unūquodq; horum, statim cum primum cœperit initium, huiusmodi speciē habere uidetur, qualem eius generis maximum habet: deficit autem sola ab illo magnitudine. Etenim inflammata pars calidior quàm prius, euadit cum tumore maiore, item dolore simul & tensione: sed hæc parua primo aditu sunt, inde uero ad magnitudinem quandam non omnibus æqualem crescunt. Ex quo tempore deinceps uel discutitur præsidij tumor præter naturam, simulq; cum ipso dolor quoque & calor remittitur: uel in pus mutatur. Sic enim inflammationes soluantur, si finiri debent. De his autem sermo nobis

† Vetus translat. legit: corporum proprietates requirit: et ita quodque codices Græci antiq.

A 1.4. f. 1. r. 1. c. 4. p. 754. A

A nobis primum instituat, consideratione de morbis qui non soluantur, nunc in posterum dilata. Tempus itaq; nullum inflammationis generationi singulariter proprium attribuitur ab eo quod augmenti est, diuersum, sed unum est uniuersum a primo insultu, usq; ad statum affectu crescente. Sic habet etiā de erysipelatis, omnibusq; alijs: siquidem febris genere quidem caliditatis, ut arbitror, quæ præter naturam est, comprehenditur: huius autem proprium singulariter generationis tempus diuisum non est, sed ubi corpus primum calidius quàm antea febrili calore fieri cœperit, inde aliud atq; aliud tempus affectionis incrementum ad usq; perfectam consistentiam excipit, quam in singulis rebus summam esse magnitudinem intelligimus.

Solutio prædictæ dubitationis & de ratione principij morborum dignoscendi.

Cap. 2.

Hic sermo [contentionis plenus est,] & propugnatores aliquem ad responsonem strenuam requirit, qui propriam morborum initijs speciē esse demonstrat: ut animantibus primum hoc ordinatum tempus dum formantur, quod finibus proprijs circūscribitur: de quibus iam sententiā meam docere superfederem nisi mihi casu quodam in hac sermonis parte uersanti, Archigenis diuisio succurrisset, qui morbos in prima & maxima tempora diuidens post initium, statim uigorem seu statū ponit: medio tempore, ascensu siue incremento uidelicet, omisso. Cum enim totius principij proprium tempus non esse uideatur, sed id omne quod à primo insultu ad statum intercedit, incrementum existat, quō quis Archigeni consentiat, qui quod omnibus confessum est, præterit: ambiguum uero tanquam confessum prompte ponit? Hac igitur ratione sermonem omnino deseruisse uidetur, qui magno certamine indigeat, quo morbi principium propriam figuram habere, nõ paruitate modo à sequentibus ipsum differre ostendatur. Nos uero iam morbi principium specie quadam ab incremento post ipsum, diuersum demonstrare conabimur. Initium autem sermonis ex his quæ euidenter omnibus in pluribus morbis apparent, sumetur. Quo puto medici propemodum omnes mori, qui Archigenem præcesserunt, initium quoddam cuiusq; morbi dicunt nõ primum illum simplicem dumtaxat insultum, sed temporis longitudinem, latitudinemq; notatu dignam aliquando ipsi ascribunt: post hoc ascensum, deinde statū, ab hoc declinationem. Spectauimus enim nonnullos, dum actionem nescio quam obiret, paulatim inhorruisse primum: deinde iterum atq; iterum inæqualitatem quandam ualidiorē, horroremq; euidentiore sensisse: ut quæ prius citra offensam agebant, neq; agere, neq; sustinere potuerint, sed & decumberent, & cooperiri desiderarent: atq; hoc alijs accidisse horis tribus, alijs paucioribus, uel pluribus. Ex eo autem tempore calorem insuauem, eumq; præter naturam sensim augetem percepisse. Quādoquidem in his ipsis principium accessionis ab incremento singulari specie differre manifesto uidetur: nemini uero dubium est quosdam augmentum uocare incrementum, quemadmodum alios quosdam ascensum [Græci tripliciter ἀύξησης & ἐπίδωσις & ἀνάστασις appellant] nos omnibus uocabulis ut in mentem uenerit utemur, omnia siquidem rem unam denunciant. Hæc itaq; res tribus nominibus appellatur. Sistit quandoq; & ab incremento cessat, & sibi ipsi æqualis uel longiore uel breuiore quodam tempore permanere uidetur: Deinde minor quàm fuit, uel citius uel diuturnioris temporis spatio fieri, interdumq; febricitatis dispositio ad integritatem sic reuertit apparet. Est cum à secundæ accessionis insultu eandem speciē cum prædicta habentis deprehenditur. Interim omnino prædicta secundo rursus ægrotanti adueniunt: plerumq; tertio, quarto, & quinto, morbo uidelicet ex ipsa eadem per ordinē ipsum, circulum quendam ambiente, quem singuli medici circuitum appellant. Nonnulli ex huius genere. xxiiij. horis describuntur, uocanturq; quotidiani. Aliqui. xlvij. hoc est duobus diebus & noctibus, quos tertianarum febrium circuitus nominant. Alios quosdam. lxxij. horarum tempus describit: quorum febres ipsas quartanas nuncupant. Circulum autem uniuersum, qui ad unum principium reuertitur, quaternarium circuitum: sic etiam ternarium simul cum tertiana febre, & quotidianum singulis diebus reuertentem simul cum quotidianis febribus. At hi circuitus omnes aliquando ad integritatē perueniunt, ut in prædictis febribus, quotidiana, tertiana, & quartana: alias ad declinationem solum, uel propius ad integritatem, uel etiam longius ab ea uenientem.

De morbi temporibus exemplo febris tertiana.

Cap. 3.

Itaque de tertiana febre exempli gratia uerba primum faciamus. Incipit horror huiusmodi febrim mediocris: deinde extremæ partes membrorum simul cum horrore uehementiore refrigerantur: postea iam & rigore & frigore concutiuntur plurimæ corporis partes. Pulsus earum in hoc tempore durior, & minor quàm prius euadit: uelocior manifesto in systole idest contractione, ijs qui systolen sentire nouerunt. Nam diastole idest eleuatio, multo quàm fuit tardior, præsertim in insultu est: interdum uero similis priori constitutioni permanere tibi uidebitur. Quin & illa quies quæ post systolen est, largior quodammodo est: quæ uero post diastolen est, eodem cum illa modo, sæpe quidem est priori æqualis, aliquando uero non æqualis. Hæc quibusdam horis æquinoctialibus duabus fieri nata sunt: quibusdam uel pluribus eis, uel paucioribus. Inde pulsus maior simul & uelocior, densiorq; fieri incipiēs, sensim singulis cōmemoratis increfcit. Statim uero calidiores quàm antea cū relatis pulsus mutationibus reddunt. Quo fit, ut quidā multū calorē intus sentiāt, artibus adhuc frigescentibus. In summa, inæqualitas quæpiā nõ mediocris in corpore per hoc tēpus exuperat. Secundū uero hoc tēpus illius primi est, in quo ex priore statu uniuersum quidē corpus refrigeratū fuit: pulsus aut in cōtraria prioribus conciderunt. Vbi sane febris ad integritatē peruenit, quā διαλειψα. i. interuallū nominare

SECUNDA CLASSIS.

H

liceat,

liceat, quoniam & Hippocrates eam hoc nomine dignatus est, pulsus in naturali statu consistit, quantum nos sensu percipere possumus. Huiusmodi uero interuallum longe optimum est: quippe quod simul atque animal refrigeratum fuerit, in dictas ante paulum differentias repente transmutet: postea rursus ubi incaleat, ad contrarias deducat. Primum itaque tempus totius periodi exacte est, quo corpus cum mutationibus pulsus predictis inalferit, uel ex sanitate, uel ex interuallo ad hoc perueniens. Aliud ab hoc secundum est, quod pulsus & calorem in contraria mutat, donec tota corporis moles aequabiliter cocalescat. Post hoc tertium, quo calor etiamnum augetur, pulsibus magnitudine celeritate & frequentia ei respondentibus. Quarta constitutio post tres commemoratas conspicitur, omnibus iam dictis aequalem sibi magnitudinem pro sensu nostri iudicio conseruantibus. Ad haec quinta alia, cum iam calor manifesto decreuit, halitus autem per cutem excernitur, pulsus ad naturalem habitum redit, reijciens omnia quae praeter naturam ex magnitudine, celeritate, & frequentia [& duritie] coquiserat: hoc tempore plurimis ipsorum sudor oritur. Post hoc interualli tempus sextum ad praedicta peruenit. Nulla horum abditae rei hypothesis est, sed quotidie fere in omnibus tertiana febre laborantibus euidenter ita euenire apparent. Atque huic sermone ab Hippocrate tradito, addendum est: quod qui etiam medicus non est, hucusque possit recte cognoscere, si pulsus mutationes a sermone excipiamus. Maius enim in se negocium habent, quam ut ab idiotis queant intelligi. Ceterum caloris mutatio, etiam si aegrotantes assequi nolint, stimulare ipsa, pungereque eos nata est, ut non lateat. Referunt omnes aegrotantes subito uel inaequalitatem, uel horrorem eius ultro citroque cursitare: inde simul cum extremorum refrigeratione horrorem intendi, sequique ipsos totius corporis concussionem: postea rursus huius concussionis quae rigor dicitur, interim fieri remissionem, extremorum algores resolui, aetuis uehementis, qui phlogosis Graece dicitur, sensum, intus esse & firim: ad haec rursus omnem quidem inaequalitatem discedere, corpus uero totum aequabiliter aduri: atque hoc semper, magisque eis euenire: ac calorem tandem aliquando sistere, sibi que similem manere: postremo solutionis sensum oboriri, idque ad constitutionem usque illam non cessare, in qua primum se uri non amplius senserunt. In tertianis itaque febribus particulares circuitus differentiae huiusmodi quaedam sunt. In alijs autem aliae, de quibus ordine dicturi sumus.

Quae ueteribus medicis errandi causa, ac de recta nominum impositione.

Cap. 4.

Nunc ad hoc primum, quod prius instituiimus, sermo dirigatur. Primum tempus integritati cohaerens, quod frigoris sensum praebet, iniriium appellauimus: secundum frigus, ut dictum est, paulatim deponit, & uocabitur compendij gratia inaequalitatis tempus: ab hoc tertium aequalis incrementi: postea quartum consistentiae: & quintum imminutionis: postremo sextum, integritatis. Quod igitur sex dictae regulares in tertianarum febrium circuitibus differentiae sunt, sensu & memoria, non demonstratione logica indiget. Porro nomina ipsarum simul ponere, tum compendij, tum claritatis gratia praestat: quemadmodum lex quaedam est communis omnibus Graecis, ut quarum rerum nomina apud uerustiores usurpata inueniamus, his utamur: quarum uero non habemus, uel ab aliqua earum rerum quarum habemus nomina, transferamus, uel ipsi secundum rerum quandam similitudinem ad ea quae denominata sunt, singamus, uel de alijs dictis abutamur. Licet quidem, si uelis, nec consueta Graecis seruare, si facere ipsum oporteat, ad praedictos scopos respicientem. Atque haec frequens est apud recentiores medicos, ut qui non puerili disciplina, quemadmodum ueteres, instituti sunt: concedendum itaque ipsis est ut uel appellare: quoniam contentiosi sunt & impudentes. Frequenter etiam nominibus utendum, ut illi praecipiant, quo nugacitatem ipsorum fugiamus. Neque enim propter nominum absurditatem aegrotantes incommodi quicquam capient. Cum autem uel tempus aliquod occultetur, uniuersum praetereuntes, uel praedictis id quod sensibus non apparet, adducant: non ipsis concedendum est: tanquam huiusmodi peccato ad aegrorum offensam modo spectante. Melius itaque est, interim errorum causas prospicere, ob quas medicorum plurimi falluntur: ne ipsi erroris quippiam committamus, & illis uera rei uiam, si uelint, ostendamus. Quidam enim ex eis huiusmodi ingenio sunt praediti, ut ne uel si Apollinem ipsum, uel Aesculapium habuerint desiderantes docere ipsos, monentesque: ut aliquando obtemperant, audire, atque aures praebere aliquando possint, nedum haec dicta animo suscipere: quare nec illis haec scribent. Haec igitur erroris ipsorum causa prima & maxima est, morborum differentiae ignorantia. Tertiana siquidem, ut iam expositum est, moueri, & ueluti aetates suas perficere consueuit: quamquam non similem motum quibus morbus obtinet: ob quod neque nos recte, quae de tertianis diximus, ad omnes transferemus: nec alius quisquam in alio affectu communem unam omnium rationem esse existimabit: unde haec prima maximaque errati ipsorum causa est.

In quot ad summum partes morborum tempora diuidi queant, ac quibus nominibus singula appellande.

Cap. 5.

Alias autem pro usum ordine deinceps explicabo, ubi nomina prius commemoratis tertianae periodi temporibus imposuerim. Proinde cum Hippocrates dixerit: Febres quaecunque non intermittentes, tertio die fortiores fiunt, magis periculosae fiunt: quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur: hoc intermittere, non de alia parte circuitus, integritatem transgrediendo capere debemus. Non enim iam hoc ait, quocunque modo declinant, nam hoc falsum est: quippe cum semper tertiana febrium deterrima sit: tamen in declinationem manifestam multis peruenit: & alijs omnibus hac parte consimili-

*Alias partes
circulares.

A. I. 4. f. 1. 4.
c. 3. p. 754.

A consimiliter, nisi synochis appellatis: quae haec sola febres nec inclinationem sensibus exposita, nec uniuersum circuitum, aliamque praedictorum differentiam obrinet, sed qualem tertianarum magnitudinis aliquo tempore statum esse diximus, talem illae habent uniuersum fere ipsarum decursum. Si igitur, uti dixi, natura periculo uacant quae ad integritatem desinunt, sicut in libris de febribus ostendimus, non aliud Hippocrates, intermittere, nominauit, quam ad integritatem finire. Quamobrem merito non uerem consuetudinem secutus, in tertianarum periodis interuallum, tempus integritatis appellauerit: quemadmodum & in maxima magnitudine subsistentiam, quantum nos tactu ipsique aegrotantes percipimus, uigore. Ita sane & aetatum uigor perfectissimus est, uideturque Hippocrates hoc usum uocabulo, sicut & uerbo, intermittere. Sed & primam partem circuitus quae primo die uenit post decidentiam ex naturali statu, ac tertio & quinto & reliquis iuxta proportionem, similiter circumit post interuallum, principium uocant, non Hippocrates modo, uerum & alij prope omnes medici. Post principium, quod frigore manifesto cognoscitur, secundum tempus inaequalitatis erat: tertium augmenti, usque ad uigorem. At participantia ipsa inter se, specie differre non exacte omnes conspexerunt, nominantque ex ambobus compositum tanquam unum totum: alij incrementum, alij augmentum, reliqui accessum accessionis. Quinetiam ueri non nihil dicunt. Nam post primum tempus, quo extremae partes refrigerantur, sanguis uero in altum confluere clare apparet, aliud tempus est totum huic toti oppositum, cum uidelicet calor cum frigore decertat, sanguis autem in exteriores partes extenditur. Atque si hoc pacto unum ipsum dixerunt, ut iam exposuimus, nihil referet hoc tempus uniuersum ascensum appellare. Si uero ita uocantes indiuisum reliquerint, non mediocriter artem offendent. Etenim inaequalitatis in eo tempus primum aliorum praedictorum indicationem habet, & non omnino eorundem cum sequenti tempore, in quo aequalis quidem totius corporis constitutio est: augmentum uero, quo in eadem specie ad statum usque morbi permanent. Reliqua declinatio tempus unum est specie sibi simile: [quoniam non] maioris minorisque ratione partes ipsae differunt. At hoc etiam in primo principij tempore, & secundo inaequalitatis, ad haec tertio ascensus seu incrementi adest: siquidem unicuique horum dum sensibilibus immutatur, particularis quaedam est differentia. Non enim cuiusque dicti temporis principium fini omnino est simile: differunt autem inuicem & a medio tempore manifeste. Principium enim accessionis paululum a naturali constitutione recessit, sicut finis plurimum. Vbi uero haec maximis differentijs mutuo dissenserunt: medium plane tempus ipsorum aliquod est, magis quidem quam principium a naturali statu remotum: minus autem quam finis. Hoc modo inaequalitatis est initium a cohaerente ipsi primi temporis sine paululum diuariat: plus autem abscedens, mediumque existens, praedictio primi temporis fini & tertij principio cunctum est. Eadem opinio ratione & quae

Secundi huius temporis inaequalitatis principijs cohaerent tertij tempus, constitutionem illis affinis obtinent. Similiter et tertij ipsius temporis rursus prima, a secundi postremis parum euariant: postrema uero, status speciei quodammodo similia sunt: medium amborum aequae ab utrisque extremis recessit. Quapropter miri nihil est, si ut hic temporibus singulis, ita declinationi quoque aliud principium, aliud finis, aliud medium existat. Porro unumquodque horum propria appellatione uocare potes, si uisum fuerit. Audio enim frequenter medicos dicentes: Inclinauit nunc status, nunc submittit, nunc dimittit, nunc remittit. Si igitur haec dicunt, integrum est eis prima declinationis nominare inclinationem, uel submiffionem, uel dimiffionem, uel remissionem, uel horum aliqua, uel omnia: quinetiam licet uno praedictorum nomine media & postrema nuncupare: pari modo ut Archigenes quoque declinationis postremum, remissionem nominat. Verum male hic agit, quod eam a declinatione specie quadam differentem existimet: denique quod omnium partium totius circuitus aliam principium, aliam finem, aliam medium faciat. Sic quoque remissionem ipsam diuidit, tanquam proprium quoddam tempus ex prima diuisione, quae speciebus quibusdam, non solum maioris minorisque: ratione mutuo discordant. In utrisque igitur clare peccat, augmentum ex prima sectione tollens, quod omnes manifestius ac principium intelligunt: adijciens uero remissionem circuitus termino. Si namque ad integritatem ueniret, manifesta huiusmodi temporis ad alia uniuersa differentia esset. Quod si secundae accessionis insultus trifariam diuisus, inclinationem accipit, in hoc totius inclinationis partem remissionem uocare est: non tamen aliud quoddam tempus propria natura quapiam insignitum, quemadmodum prius dicta, putare conuenit. Quod igitur omnes tertianae circuitus partes manifestis inuicem differentijs separatas uidere licet, uero mo ignorat, qui uel unum quempiam hoc morbo laborantem aegrum conspexerit. Porro si nonnulla eorum nomine carent, ad contentiosos dicemus, tempus primum, secundum, tertium, quartum, quintum, deinde integritatis sextum: ad eos autem qui nominum usum sciunt, ipsi componentes idonea nomina, primo tempori proprium initij nomen imponamus, secundo inaequalitatis nomen, tertio incrementi, quarto uigoris, & quinto declinationis: sextum integritatis, interuallum ac quietem nominemus.

Circuitus morbi in duas partes diuisio.

Cap. 6.

Nihil obstat & alio quodam modo totum circuitum in maiores partes diuidere: Siquidem in duas ipsum totum potes diuidere: unam primae accessionis a primo insultu ad extremam usque remissionem: alteram quae in declinationis & insultus secundae accessionis medio consistit. Voco iam insultum accessionis, tempus indiuisibile, exacte iam primum: Idem hoc Graeci επισημασιν hoc est febris significationem nominare consueuerunt. Et quod ab Hippocrate dictum est, in accessionibus abstinendum

SECUNDA CLASSIS.

H 2 esse

† Verus translatio legit: quoniam non nisi Graece est ετι μν. i. nisi quod.

esse: secundum eandem diuisionem pronuntiatum existimo. Cum enim praedixisset conuenienter: Quibus statim uigor adest, ijs statim tenuis uictus adhibendus: quibus postea uigor aduenit, his in illo ipso, & antea illum tenuiter uiuendum est, antea uero plenius nutrire oportet, ut aeger sufficiat: intulit, In accessionibus abstinendum esse, docens nos uidelicet solum illud tempus quod accessionem uocat, obseruandum esse. Nunquam enim in hoc nutrimus, uerum in reliquo omni tempore remissionis, interdum in alia atque alia eius parte: quia ex simplici interim declinatione, interdum ex declinatione & interuallo compositum est. Haec quidem unius circuitus partes in duas est diuisio: alteram eius partem primam accessionem appellamus: secundam, uel remissionem, ut paulo ante, uel ut quidam, interuallum. Nam interuallum non pauci medici uniuersum id quod post statum est, qualicumque natura praeditum nominant: siue id ad integritatem ueniat, siue non. Verum nos appellationes praedictas obseruabimus, ne ulla sermoni obscuritas accedat: uocabimusque omne quod accessionem sequitur, remissionem. Sed neque prohibemus, ut dictum est, si quis ipsum totum nomen interuallum, uel declinationem, uel remissionem, uel submissionem, uel ablationem. Instituius enim non de uerbis disceptare, sed circuitus partes inspicere, quot numero sint, & quomodo inuicem differant.

De temporibus simplicium febrium quae non intermittunt.

Cap. 7.

Haec igitur est diuisio omnium febrium quae ad integritatem desinunt quotidianarum, tertianarum, Quartanarum: ut quae sex partes speciebus manifestis inuicem diuersas habeant. Alia uero non intermittunt, quae in quinque partes diducuntur. Sunt autem & haec permulta. Nonnullae quotidie accessionem habent, quaedam tertio quoque die. Non tamen quae quarto habent, frequenter, sed raro euenire uidentur: plurimum. n. earum genus ad integritatem desinit. Porro & duplex harum species est, quae ad integritatem non finiunt, quotidianarum, tertianarum, quartanarum. Quaedam. n. magnitudinem quoque, pulsum, celeritatem, frequentiam, & duritiam deponunt: quaedam alia tria ad naturalem statum deducunt: seruant autem celeritatem, haec magis, illae minus. At non est praesentis sermonis, illarum distinctionem proponere: quoniam partes circuitus in uno quoque morbi genere enumerare cogitauimus. Igitur cum paulo ante sex in febribus intermittentibus esse dixerimus, deinceps non intermittenti partes referemus, quinque esse dicentes, cum aliae similiter ipsis se habeant, solum autem integritatis pars deficiat. Ceterum in alijs partibus similitudo necessaria est, ut accessionum insultus cum systole. i. contractione fiat. Nomino autem sic, quae cum frigore fit: nam haec sequitur pulsum intus magis moueri cum paruitate, sanguine in uiscera se recipiente, quem rursus inaequalitas ex necessitate sequitur: inde incrementum, status, & declinatio. In quibus sane citra sensibile submissionem accessionis insultus accidit, tria tempora in unum recidere necessitas est, totumque usque ad statum incrementum fieri: nam ubi contractio non fuit, ibi nec inaequalitas. Statum uero nunquam deficientem uidi, uerum semper sensibili aequalitate in omnibus febribus aliquandiu permanentem. Insultum certe milles sine praedictis initij symptomatis conspexi: quorum praecipuum erat omnibus fere principijs accessionum, perfrictio: quae admodum ad interiora arteriarum motus: de quo in opere de pulsibus diffusum dictum est: in praesenti libro ipsum contractionem celeritatis definire sufficit. Quae uero alia symptomata signaque; accessionum initio propria sunt, praediximus: alia frigori superueniunt, alia secus. Paruitas siquidem pulsum, raritas, & tarditas diafoles. i. eleuationis, frigus consequitur: rigor alias occasiones, quas in symptomatum causis exposuimus. At uniuersum hoc accessionis genus omnino, sicut dixi, perit: & nos multos frequenter a mirandis illis medicis uel ad balneum missos, uel cibum assumere iustos, tanquam suspectas iam horas accessionis praetergressos prohibuimus. Contingit autem ipsos cum arteriam exacte tangere ignoret, huiusmodi errores committere. Omnibus enim quibus talis accessio euenit, contractio uelociter redditur: quam cognoscere non cuiusuis est, sed excitationem magnam artis, maxime hoc opus, si quid aliud, desiderat. Hanc autem consequi nemo potest prius, quam eo modo quem in primo de pulsuum dignotione praescripsimus, institutus sit. Si igitur arteriarum contractionem noueris, hanc ipse accessionis partem, qua contractionem uelociorem factam sine eleuatione deprehendis, circuitus initium potes statuere: quae uero sequitur hanc, incrementum ad statum usque. At si hanc quoque ignores, uideatur tibi insultus *αδναπτος*. i. incompressus omnino factus totam accessionis partem usque ad statum, ascensum, uel incrementum, uel augmentum nominabis: secans ipsum in prima, & postrema, & media pro maioris minorisque; ratione, non speciebus diuersis, ut prius dicebam in frigore sensibili. In huiusmodi igitur febribus uniuersa tempora tria erunt, augmentum, status, imminutio. Nihil enim mali est imminutionem illud uocare, quo ex febris magnitudine quippiam demitur. Quibus uero circuitus non est, ut eis quas synochos uocant, neque accessio quaedam omnino est, neque praedictae partes: attamen haec quoque secundum diuersa tempora totius morbi particulas habent, alijs modis innotescentes quam per accessionum tempora: quae paulo post subiiciam: & hoc nomine potissimum, quod omnes medici in ipsis errent: quanquam Hippocrates rectissime ea docuerit.

De semitertiana & reliquarum febrium temporibus, quae tertia die faciunt accessionem.

Cap. 8.

At nunc ad eas quae circuitu quodam accessionem habent, sermonem dirigamus, totum id, quod inconsideratum reliquimus, distinguentes. Vnum iam & primum in memoria teneri uolo, nempe uniuersum hactenus sermonem de simplicibus periodis nobis fuisse. Nam in complexis tempus uigorem

Auigorem sequens, interdum arctius redditur, dum alia mox accessio antequam prior circuitus ad animum absolutus sit, inuadat. Frequenter secundum suam ipsius naturam febris ex intermittentium genere est, ut tertiana: complexus autem nullum integritatis tempus priori circuitui relinquit dum secunda accessio, antequam prior absoluat, inuadere anticipet. Dictum est mihi de huiusmodi complexibus in duobus commentarijs de crisiibus, & de febrium differentia: ubi est complexum a mistura distinximus. Itaque semitertiana ex mistura & temperamento quotidianae & tertianae febris fieri demonstrata est. Subinde et semitertiana simplex alia qua febris copulatur, uel tertiana, uel quotidiana. At huiusmodi uarietas ad hunc librum non pertinet. satis enim hic est propria unius cuiusque febris tempora diligenter inquirere: quoniam sic complexum earum propter nos decernere potuerimus. Exacte igitur simplices prius dictae sunt, de comixtis deinceps differam. Itaque horridus ibi insultus aliquando est, oes principij peculiare notas habens praeter rigorem: interdum & huius significationem. Etenim uehementis horror, uel initium aliquod rigoris, uel paruus rigor esse uideri potest. At exactum rigorem, qualis in tertianis, quartanisque est, huiusmodi febris non accipit. Atque ob hoc ipsam *απρωδην*. i. horridam appello: & multo magis, quod ubi signa quaedam secundum tempus praemonstrauerit, initium rursus alterius inuasionis horridum efficit: quod nonnulli repetitionem, alij reduplicationem appellant. Aliquando hoc secundo, quibusdam tertio facit: deinde uix aequabiliter simplex redditur ad usque statum increfcens. Haec febris ad integritatem nunquam desinit: nam permultum temporis usque; ad uigorem ipsam habet, item declinationem sine perspiratu sensibili, multo uero magis abest ut cum sudore ad integritatem proficiscatur. Quemadmodum igitur a primo insultu accessio ad uigorem usque multo tempore peruenit, eodem modo a uigore paulatim diminuitur: ideoque postridie altera ipsa accessio horrida quidem similiter aduenit, sed quae non item cum priore repetitiones habeat: aut si quando, idque raro habuerit, unam dumtaxat faciet, breuem & exiguam. Porro & haec accessio ad uigorem longo tempore ascendit, nec exiguo pariter inclinatur: atque ob hoc ipsum tertio die eadem quae primo accessio succedit: postea rursus quarto tempore similis ei quae secundo habita est, idque ordine perpetuo. Hanc ego febre compendiosae claraque doctrinae gratia uno uolens uocabulo, imposui ei nomen semitertianae. Si igitur Hippocrates quoque; talem febrem semitertianam uocasset, ut ego persuasum habeo, duo ex sermone uno commoda consequeris: nempe rem medicam disceres, & nomen uetus ei imponeres. Quod si aliam quandam febrem ab Hippocrate semitertianam uocatum esse putas, falli me in uocabulo ratus, rem ipsam addiscas. Quod enim talis quaedam febris, qualem dixi, accidit, neque hic testimonium uel Hippocratis, uel alterius cuiusquam oratio requirit, cum quotidie fere nos ipsam uideamus, potissimum Romae. Sicut enim in alijs locis alia, sic in illa ciuitate hoc mali abundat. Porro alia quaedam ei adiecta est, quae nec secundo die aliam ferat accessionem, nec primo & tertio repetitiones. Habet autem nec ipsa modum unum ac simplicem: interdum etenim sine horrore, aliquando cum horrore inuadit: alias cum extremis partibus membrorum manifesto inalgentibus. Visa autem est interim et citra sensibile frigus haec quinque tempora obtinere: principium, inaequalitatem, incrementum, statum, & inclinationem. Temporibus iam diuisis breue est principium: sic ipsius inaequalitas: ascensus non aequo omnibus, sed quibusdam breuis, quibusdam longior. Quoniam uigoris tempus spatium omnino sensibile & latum occupat, sed in maiori minorisque; relatione non mediocriter differt: sic etiam declinatio longo quidem tempore omnibus contingit. At in hoc differentiae quippiam sustinet, quod nonnullis manifesto diminuitur, & celeriter finiendi spem praebet: post haec sistit, aequalem declinationis magnitudinem reliquam conseruans, nonnullis lentem ab initio ad finem omnino inclinatur: quare ex temporis interuallis longioribus conijcienti tibi, uidebitur decreuisse plane quippiam, tamen hoc nimis quam modice. Huiusmodi quaedam sunt & aliae differentiae particulares febrium tertio die accedentium, quas uniuersas *τριτανουεις*, quasi ex tertia natas appello, ad dispositionis unde excitantur, cognitionem utilissimae, ad praesens autem opus inutiles. Propositum enim est nobis hic circuituum, totiusque morbi tempora distinguere, tempestiui auxiliorum usus gratia, cui nihil talis orationum uarietas conducit, sicut nec illa quae ex quotidianae figurae uariatione constat. Siquidem harum non paucae quotidie accessionem habentes, interuallum nullum ostendunt: dicam tamen ipsarum paucae differentias exempli gratia, non ut instituta hypothese commodas, sed quoniam medicorum aliqui ab his omnino quae sine ratione nugantur, se iactant, & gloriam apud indoctos aucupantur, tanquam diligentes & studiosi, sapientiusque aliquid his qui sola utilia scribunt intelligentes.

De temporibus febrium quae singulis diebus habent accessionem.

Cap. 9.

Inuadit ergo accessio febrium, quae singulis diebus eam habent, interdum sine manifesto frigore, interdum cum ipso, & initij tempora quibusdam breuius, quibusdam diutius permanent: Atque sic etiam inaequalitas his breuiore, illis longiore tempore. Postea haec febris usque; ad uigorem ascendit, diurniore tempore, quam quae tertio quoque die accessionem capiunt: ceterum tale quippiam ipsi adest, quod etiam illis interdum, sed raro accidit. Multo autem magis clarum haec ascensum moliri uidetur: consistit aliquo tempore nihil increfcens, deinde rursus increfcit. Similiter in declinatione uel aequaliter fert imminutionem, uel interim in eadem magnitudine [alij hora una, alij duabus] consistit: post haec imminuitur: quintetiam ad secundam accessionis insultum usque nonnullis diminuitur: quibusdam in magnitudine qua est, permanet. At magis hoc tertio quoque die accessionem habentibus adest: quoniam circuitus earum longior est. Nam duplex fere tempore circuitus est febrium tertio quoque die accessionem sustentium

SECUNDA CLASSIS.

H 3 si cum

* Alias multa.
† In antiquis cod. haec non habentur.

si cum ea quæ quotidie intenditur cõpares. Quare propter hoc manifesto declinationis ipsius reliquũ E protrahitur, in æquali magnitudine permanens. Ceterum multi alij circuituum modi sunt differentijs particularibus euariantes, ad præsentem disputationem superuacanei. Huius rei gratia quorundam memini, quod medici talem doctrinam huius considerationis non esse propriam nescientes, de ipsdem conscripserunt, errantes quoq; in ipsorum enarratione. At nunc eos reprehendere in hac nõ sibi propria speculatione tempus non postulat. Discas autem artificiose, & inutilia nudentur, quodq; quum Hippocrates miro quodam modo methodum circuituum inuenerit, nemo eam elaborauerit: ad hæc, quod multi eam deprauarint, in illa maxime sermonis parte, qua iam dictis temporibus auxilia coniuncturus sum. Faciam sane hoc, ubi totius morbi tempora ostenderim. Etenim hæctenus particularia tantum recensui.

GALENI DE TOTIVS MORBI
TEMPORIBVS LIBER.

Ioanne Guinterio Andernaco interprete,
Nunc recognitus.

ARGVMENTVM LIBRI.

Indicia temporum totius morbi salubris, letalis, simplicis,
& cum ceteris iuncti, declarantur.

Libri propositum.

Cap. 1.



TOTIVS autem morbi tempora similiter ac animantium ætates consideramus: unum quidẽ & primũ generationi eorum attribuitur, alterum ascensui, tertium uigori, quartum declinationi, cum ægri salui futuri sunt. Nam si uel in ascensu uel in uigore prius decesserint, liquet talem morbum nõ omnia tempora pertransisse. Qui uero pertrãsit, de omnibus fere eius particulis opinionum diffensiones obtinet: quippe cum nonnulli uigorem unum esse tempus dicant, G * Demedat illa negati nã græci p m legendi est uer. vide de crisi bus. pit. 5. uer sum: alij uigorem ad breue adeo principium reducant: alij non in his solũ, sed etiam in reliquis omnibus morbis principium auferant: quidam interim & declinationem tollant, si morbus ex abscessione, ut illi dicunt, quæ Græce ἀποκρίσι nominatur, solutus sit. Primum igitur dubitationes hæc diluẽdẽ sunt: inde exacte morbi totius tẽporũ notiones instituẽdæ: postea ipsorũ notẽ tradendæ sunt. Proximũ huic fuerit, utilitatẽ ostẽdere, ijs quæ de circuitibus præcepimus, admiscentes.

Quod nam sit totius morbi principium.

Cap. 2.

Quare morbi principium, quatenus aliquando salubri statu corporis labascente inuadit, in omnibus ipsis est, sine temporis productione æstimatum: cum hoc sane conceditur etiã cuiusuis morbi generationem esse, sicut in animantibus contemplamur. Non enim ex particulis quibusdam, ut animal ex capite, thorace, & artubus, sic etiam morbi compositi sunt: si quidem ubi ex naturali habitu decidunt, breuissimo quodam temporis spatio generationem sortiuntur, inde usque ad uigorem ascendunt. Esto iam morbus ex intemperie, uerbi gratia, unde febris etiam constitui nobis demonstrata est. Necessarium igitur, ubi calor hic nature contrarius primum nascatur, hominem febricitare, caloremq; H aduq; statum intendi. Nam cuius non sunt partes, quomodo hoc temporis spatio generabitur? Hęc mihi dicta sunt, & statim ab initio ad ea respondi, de febribus quæ cum frigore inuadunt, mentionem faciens. At in circuitibus abunde responsio sufficit. Vnum enim particularium temporum totius morbi atque ordine primum est, tempus inquam frigoris. Ridiculum maxime foret primum tempus accessions primæ, totius morbi principium existimare: etenim hoc tempus, quod morbi principium nominant, ad præsidia ferenda mirum in modum conducit. Ac Hippocrates huc respiciens inquit: Incipientibus morbis si quid mouendum uidetur, moue: consistentibus uero, præstat conuiescere. Similiter & illud dixit: Circa principia & fines omnia imbecilliora sunt. Quinetiam de purgatione scriptum reliquit: Cocta purgare conuenit, & mouere non cruda, neque in principio, nisi stimulauerint. Ad hæc: In morbis acutis raro, & in principijs utendum purgationibus. Multa insuper alia partim Hippocrates, partim alij medici omnes ueteres memorie prodiderunt: quibus non primæ accessions imperum, sed longum magis tempus principium esse nobis persuadent, nempe quo sanguinem detrahere, & clysterio uti possimus: interim si res urgeat, etiam purgare. Præterea ridiculum esse, morbis qui intra diem septimum finiuntur, & ijs qui in annum durant, quemadmodum interim quartana, æquale principium statueri. Multa sane de hoc principio etiam in primo de crisi bus libro diximus,

agente
lme

† Vetus
lat. addit.

A diximus, ostendentes quomodo primum hoc tempus quispiã cognouerit. Erat autẽ eius summa, morbi cruditas. Satius est autem & hic ad illa adijcere, quæ præsentis narrationi conueniunt.

Quibus notis quatuor tempora in salubribus morbis distinguantur.

Cap. 3.

Fingamus igitur primum inflammationis principium inquiri. Quis iam negauerit generationem eius toto illo tempore esse, quo pars sanguinolenta substantia repletur? Siue enim propter coincidentia eiusmodi cõtingit, siue propter impacationẽ obstructionemq; omnium uasorũ, siue ob circumstantia quandam molium quæ meatus occupat, siue, ut nos docuimus in libro de inæquali intemperie, itẽ in commentario de tumoribus præter naturam, abundantia quæpiam sanguinis inflammatione oborta, in particula constituitur: hoc erit primum tempus, quo pars, affectus generationi subiecta repletur. Cum autem influxus cessauerit, & quod in particula inflammatione obiecta continetur, putrefieri inceperit, calor quidam ob putredinem nascitur, & fusio magis propter calorem, unde et spiritus generatur, atque ob hæc ambo particula magis quàm antea distenditur, et si nihil influat: secundum hoc tempus est inflammationis augmenti. Porro cum in pus iam vertitur, maximi uidelicet dolores tunc partẽ apprehendunt, nam in puris generatione dolores, febrisq; magis quàm iam factõ infestant. Vocatur autẽ huiusmodi tempus uigor affectionis. Si autem fluor qui suppuratur, uel digeritur, minorem tumorẽ & B tensionem reddat huiusmodi est declinationis principium. Sic quidem in inflammatione tempora diuiduntur. In febre quæ ex illa prouenit, eadem tempora consistunt. Quæ ex humore citra inflammationẽ proficiscitur, humorũ molestantium cruditatis tempus, principium ponendum est. Vbi cõcoqui cõeperint, initium finiri: secundũ autem tempus, quod ascensum nominant, accedere. At cum ipsa cõcoctio maxime conficitur, uigor. Inde rursum declinatio, qua quidem & symptomatum magnitudo, & humorũ copia cessat: restat uero modicũ in ea humorum adhuc, qui concoctionem requirãt. Indicauimus in opere de iudicijs & notas uniuersas cruditatis, & concoctionis obscuræ, euidentis, & perfectæ: has quidem earum quæ in uentriculo sunt concoctionũ proprias: illas uero earum quæ in uenis sunt proprias: alias item earum quæ in respirandi instrumentis sunt concoctionũ proprias. Ceterum alia notẽ ex deiectionibus, alia ex urinis, quædam ex sputis sumebantur. Atq; hæc copiosissime in illo commentario simul cum Hippocratis dictis percensui. In præsentiarũ uero tantum dixisse modo sufficit, quod ulcerum quoque eadem sunt tempora. Primum enim sanies aquosa, incoctæ, & tenues ex ijs desluunt: inde pauciores & crassiores: postea iam pus tenue: postremo minus quidẽ copia, sed crassius & albidũ magis redditur. Quapropter nullus morborum qui soluuntur est, qui nõ quatuor hæc tẽpora percurrat: non tamẽ ex quodam alio quàm cruditatis & cõcoctionis signis, quæ ex recrementis deprehenduntur, cognitio ipsorũ cõstat. Nã quis ignorat uentriculũ male cõcoquendi munus obijssẽ, deiectiones nõdum in chylum mutatas cõtemplatus? Quis nescit urinam in uasis ipsis concoctione esse frustratã, aquosam conspicens? Quis tenue sputum in pleuritide uel peripneumonia redditum similiter intuens, nõ intelliget morbi adhuc esse principium? Sic etiam in lippitudine, principio quidẽ copiosus humor, tenuis, & incoctus plurimum desluit: deinde paucior, crassiorq; notam quandam concoctionis accipiens: postea temporis processu copia decrescente, consistentia uero ad crassitiem spectante, adeo concoctionis signa augentur, ut etiam palpebræ dormientium inde conglutinentur. Is humor & ipse primum tenuis & copiosus, temporis autem spatio paucior & crassior euadens, morbi concoctionem, eiusq; declinationem ostendit. Quinetiam humorum qui e cerebro per palatum & nares desluunt, initium quidem est, cum aquei tenuesq; item copiosi & acres apparent. Extremam enim hæc cruditatem indicat. Concoctionis notæ iam sunt, crassior, & minus acris, & modicus humor descendens. Quod si mucosus & blena, ut dicunt, simul egrediantur, certius iam hoc est concoctionis indicium: quemadmodum si crassiora paucioraq; reddantur, multo magis concoctionem innuunt. Atque hæc sane morborum tempora sunt, ex quibus ægri seruantur.

De latitudine durationis temporum morbi.

Cap. 4.

DE alijs uero in quibus pereũt, paulo post dicturus sum, absolues prius ea quæ distinctione quadã prædictorũ indigent. Vnũ igitur ipsorũ est uigor, siue perpetuo tẽporis experts ex sua sit natura, licet cũ tẽporibus mẽtione dignis frequenter extendi sensibus appareat: siue perpetuo latitudinẽ quandã habeat, nõc maiorem, nunc minorẽ: siue in morbis quibusdam tẽpore uacet, in alijs ipsum habeat. Quia uero longiorem sermonẽ disputatio requirit, uisum est mihi omnia relinquere, imitato Hippocratem de humeri luxatione uerba facientẽ: Non tamen prolabatur necne confirmaturo, licet de eo habeam quid dicam. Quemadmodum enim ille perpetuo uisis sibi contentus fuit, in eũ modũ ego quoq; nunc, quæ semper uiderim, in medium producam. Omnem uigorem particularium accessionum temporis spatio fieri conspexi. Quare si ex natura tempore careat, ne ulla quidem utilitate inde fruemur. Nam cum primum sensui manifesta declinatio fiat, tunc conuenientibus ei præsidijs utimur. Quousque ab æqualibus numeris febris magnitudo constiterit, eo usque uigoris magnitudini propria agere conuenit. Simili modo in oculorum uitijs, pleuritide, omni inflammatione, & in alijs morbis singulis generalia tempora sensu æstimata, diuersorum auxiliorum usum significant. Logica igitur sit contemplatio de uigoris latitudine, siue de particularibus accessionibus, siue de toto morbo cõsideres. At nunc huiusmodi distinguere propositum mihi non est, ut ij qui omnia in omnibus adducãt, facitare solent: quorũ unus est & Archigenes. Immiscet enim hic uir commentarijs maxime medicis

SECUNDA CLASSIS.

H 4 interim

interim de nominibus inquisitionē, interim de ipsis rebus, sed logicā. Nos sicut hoc cauimus perpetuo, E ita nunc quoque faciemus, relicta de uigore quaestione alijs, temporisne expert sit, an cum tempore quodā, & usum quēdam metiamur: naturā eius, & in aetatibus eā, quā uiget, tēporis latitudine manifesto dissolui cōspiciētes: itidē in morbis interdū longiore, frequēter minore tēpore, omnino autē sensibili. Verū hanc ipsam tēporis differētiā clariū uidere licet in animantiū aetate uigente. Etenim canes uenatorios & equos pugnaces propriū aliquod opus augmētī tēpore facientes iā uidemus, post hęc etiā adultos ipsos euasisse dicimus, & manifesto conspicimur fortiores quā antea: quin & pari robore nō anno uno, sed duobus quoque, interim tribus permanentes: sicut homines pugiles nō tribus annis modo, sed quatuor et & quinque, frequēter aequali fortitudine, quantū sensu deprehēdimus perdurare. Eadem ratione & in morbis, ut dixi, particulares accessiones uigorem manifesto tempore faciunt: & multo his magis uniuersalia totius morbi tempora latitudinem quādam obtinēt: ad hęc alia omnia, & his nihilo minus uigor, aliaque singula. Cognoscere autem morbos interdum aperte licet, aliquando obscure: uel et prorsus diu ignorantur. Hinc quidā statim ubi uigent, inuadere uidentur: quod ex eorū numero est, quā fieri non possunt. Neque enim synochos febris protinus a uigore quandoque inuasit, uerū a primo insultu usque ad perfectissimum uigorē horis uel quatuor uel tribus, quod minimum est, peruenit: inde prorsus aequalis sibi permanēs, continue ad iudicium properat. Sed neque repente adeo inuadentē, F uigentem apoplexiam dixeris: quoniam tale ad amissum non est: sed breui tēpore & principium, & ascensum percurrit, non tamē caret principio, nec statim perfectissime inuadit: quēadmodum nec comitialis morbi accessio. Nullus siquidem tam subito symptomate corripitur, ut ij quibus ceruix detruncatur: quāquā horum quoque sectio primum aliquod tempus habet, & secundum, & tertium, & quartum: ut si chirurgus rem quamlibet diuidat. At enim si uis, cōcedamus sine temporis spatio comitialel attonitamque concidentiam fieri, *κατάπτωσι* appellant, ut quod ab initio proposui, recenseam. Hęc etenim cataprosis symptoma eorum est, morbus autem non est, uerum corporis aliqua dispositio dicenda, sicut ostensum est: & si uel generatā ipsius, uel incrementis notam nullam habemus, ideo sequens sermo non peruertitur, quo omnē morbū necessario per ascensum ad uigorē peruenire dicebamus. At difficulter interdum, multis etiā minime scitur, aliquod morborum augmentum constitendum esse. Porro uerū hoc esse quod dico, paucissimis uerbis hęc tibi persuafero. Scirrhosos tumores subinde in cruribus conspexi statim ab initio sine inflammatione præcedēte constitutos, tribus interdum & quatuor annis paulatim auferentes, sine manifesto necessariorum cruris actionū impedimento: tēporis autem processu, propter magnitudinē conspicuam postea in cessu quoque molestatos. Quamobrem considera (nō enim impossibile) tumore quendam in cauis iecinoris partibus constitui scirrhosum. Latebit aliquādiu G huius constitutio, postea tamē dispositio ipsa manifestior euadet: quippe cum nos propter quē corporis statū hoc accidat, inuenire non possimus. At temporis interuallo postea iam affusio aquæ cōtinget, tumore scirrhoso uidelicet nunquā ex tactu significationem præbente: qui post illa cōspicius apparens, prioris nos ignorantia commonefacit. Multos itaque uidi in tali symptomatum uia breui tempore tumorem in iecinore scirrhoso non paruū enunciaffe, constitutum quidem iam diu, sed latentem propter ipsius paruitatem, & probam musculorum, qui præcordijs subiacent, nutritionem. Cum uero scirrhus auersens pariter gibbas iecinoris partes ascendit, simul autem infelicis nutritionis, atrophiam uocant, author tum alijs animalis particulis, tum musculis præcordiorum fiat: ex utrisque his euidenter breui spatio dignoscēs, magnitudinē ipsius scilicet iam insigni. Huiusmodi sane omnia, affectarum partium inspectioni coniuncta sunt: de qua in præsentī considerare institutum meū non est: de communione ipsarum nō citra frugem disputauimus. Verū sermo primum institutus opportune modo repetetur. Morbi uniuersuique propriū est generationis tempus, interim sensui manifestum, interim secus: post quod rursus augmenti tempus est, non æque manifestum ita in omnibus: quæ uigoris sequitur tempus omnino sensibile: dum fateamur nos nullā aliquando notam euidentem principij morbi & augmētī esse. In his igitur ex artis usu uere dices, solum uigoris tempus esse. Si uero salus futura est, sequi id prorsus H declinationis tempus, & hoc sensui subiectum: ut quod non simplici, sed lato spatio consistat. Etenim si per sanguinis fluorem uel sudores aliquis acute iudicetur, tempus certe declinationis & huic est manifestum. Quod si minus hoc in alijs morbis fiat, tribus uel quatuor, uel pluribus diebus declinans, hoc nihil priorem sermonem offendere uidetur: neque pronuntiati summam subuertit, sed relinquitur adhuc omnium morborum qui soluuntur, ut uigorem, sic etiam declinationem quādam esse.

De natura morborum mortalium.

Cap. 5.

H is igitur a nobis abunde demonstratis, de morbis qui non soluuntur considerabimus. Duplex autē eorum natura est: nonnulli enim ipsorum præparationem habent, ubi exacte illam absolutam sint consecuti: alij ex genere quidē illorū sunt qui soluuntur: sed cum occidere festinant, hoc eis fieri contingit. Triplex quoque horum modus est: uel enim propter ægrotantiū imbecillitatem, uel propter morborū fortitudinē, uel propter utraq; prius occidit, quā soluti sunt. Alia ratione cōis unus omnium huiusmodi modus est, cum supra uires existunt. Nam quod ægrotantis perniciem continet, in hoc fitū est: quippe dum nec seruari quis potest, nisi natura morbum superauerit: neque perire, nisi natura victa sit, morbusque ea superior euadat. Hinc est quod nonnulli unum ex magno morbo, qui ad aliquid relationem habet, significari arbitrat, ignorantēs interim & sic magnū morbū dici, quēadmodum si maiorem

A iorem etiam diceremus, cum supra uires nostras fuerit. Dicitur autem ex propria substantia, ut homo, uel equus, uel bos magnus. Ceterum de huius duplici significato frequenter iam alibi diximus, sed omnia in omnibus inuestigare, nugatorium est: quod ad præsens opus conducit, hoc enarraturus sum. Itaque morbi singuli ex sua quidem natura magnitudinem quādam possident: melius enim est sic dicere claritatis gratia. Hęc morbi magnitudo uel supra uires est, ut eas grauet: uel econtrario uiribus ægri imbecillior, ut ab illis superetur, omnibus probe euenientibus. Proinde cum supra uires fuerit, homo prorsus morietur.

De indicij & temporibus letalium morborum,

Cap. 6.

A T morbi tempora tunc partim simili modo cum prædictis sumuntur, partim dissimili: Si quidem initium similiter in morbi generatione constituitur: Ascensus non in concoquendo, sicut in ijs qui superstites futuri sunt, sed in cruditate, letalibusque signis consistit. Demonstrauimus enim nisi fallimur, hęc inuicem differre: attamen & nunc ipsorum nonnulla ob memoriam renouandam dicentur. Itaque urina boni coloris, & mediocriter crassa omnium longe est optima, quantum ad colorem & consistentiam pertinet. Adesse uero ei uel salubre suspensum, uel nebulam conuenit, uel subsidentiam, utcumque morbi natura postulauerit. Alia enim in biliosis morbis, alia in abundantijs quæ ex crudis humoribus proueniunt, residere tibi demonstrauimus. Ex opposito, ut ita dicam, cruda urina est quæ nec suspensum quicquam, nec subsidens, aut nebulam habet: immo quæ nec crassitiam aliquam, uel pallidū colorem assumpsit, sed alba est, & consistentia tenuis aquæ speciem referens. Si certe nebula quædam, uel aliquid nigri suspendet, uel subidet, & maxime si tota sit turbida, letalis est: quemadmodum si quædam parti farinæ crassiori familia, uel lamis, in ea apparent. Quinetiam si foeditatem odoris habet, & pinguedinem oleaceam, quam *ελαϊώδη* uocant, mortem minantur. Hęc igitur sunt urinae, magni morbi notæ: quem secundum ipsius naturam magnum esse dicebam. Magnum autē, si etiam sputū pleuritide & peripneumonia laborantibus, uel nigrum, uel amarum uehementer, uel spumans, uel impense foetidum est, uel non omnino expuitur, ingenti dolore, uel spirandi difficultate hominem occupante. Respondent his & alij morbi, qui iecur & uentriculum exercent, eodem letalium signorum genere comprehensi. Vnde in huiusmodi morbis uigorem similiter cum eo qui salubrium est, determinare non licet: nam illic maxime accessiones statim definiunt: hic autē maxime accessiones nō æque possunt determinari: quippe cum morbus omnino non concoquatur. Verum intellectu id quod maximum est, capere oportet, ad quod, alias morbus peruenit, alias præueniens occidit. In inflammatione quæ soluitur, puris generatio uigoris terminus est. In ea uero quæ non debet solui, fieri quidem potest, ut homo in eius ascensu moriatur: fieri uero etiam potest, ut uires ualidissimæ existentes, ad extremam usque magnitudinem perdurent. Huius etenim inflammationis quando nō debet solui, immensa magnitudo uel in gangrænam, uel in putredinem terminatur. Quousque uero horum nihil affit, auge ri ipsa potest. Similiter & aliorum morborum uniuersiusque generis incrementa censeantur. Diximus nos ipsorum non genera modo, sed etiam differentias & species integro commentario, cui titulum, de morborum differentia, indidimus: illi maxime animum te adhibere præcipio, quo prætermisso, non mediocriter quis errare possit.

De ratione temporum dignoscendorum, quando plures uno tempore morbi hominem infestant.

Cap. 7.

N Am uno & eodem tempore duobus tribusue morbis homo infestari potest, quorum alius iam inclinatus, alius principij tempus adhuc, uel augmētī primordia occupat: tertius plurimum auctus est: deinde hominem mori contingit, non propter inclinantem, neque nunc incipientem, sed ob uehementer auctum. Quæ de causa tria facultatum corpus totum gubernantium principia maxime considera, quo statu prædita sint. Dico autem hęc, cerebrum, cor, & iecur: deinde alias quoque uniuersas particulas, ex singulis principijs ortas, neruos, uenas, & arterias: ad hęc illas quæ naturam propriam quidem habent, sed ab omnibus principijs reguntur: quædam sane æqualiter, quædam ab hoc magis, ab illo minus. Quoniam ex hac speculatione, primum, siue unus, siue plures in homine morbi sint, inuenies: postea, cuiusque propria tempora inspicias ad præsidiorum inuentionem necessaria, ob quam sermo hic nobis elaboratur.

Quem usum doctrina temporum morbi ad eius curationem præstet.

Cap. 8.

E Tenim circa initia & fines, omnia imbecilliora sunt: in uigore fortiora: quæ hęc intercedunt, medio ordine consistunt. Quia principio uicina, uigori propinquis imbecilliora sunt, sicut etiam fini contigua. Quæ uero æque a principio & uigore absunt, mediam utrorumque extremorum fortitudinem obtinent. Pari modo quæ a uigore & fine æque recedunt, media & hęc propriorum summorum sunt. Igitur in uigore, quod mitigandi uim occupat, in curatione præpollere debet: in principio & fine, quod uehementiam habet: at media tempora pro summorum proportionem capiantur, ut in medendi methodi commentario copiosius dictum est. Nunc descriptionis gratia ipsa capita rerum percensui, utilitatem temporum differentia in morbis ostendens. Neque enim quam quis uictus rationem instituet, inuenire poterit: neque unquam nutrire sine certa temporum distinctione. Si quidem conijcere si nis oportet statim ab initio, quando morbi uigor futurus sit, & quantæ laborantis uires existant. Si nāque uigoris tempori etiam sine alimenti exhibitione sufficere queat, optimum fuerit, donec morbus inclinare

* At. *πυρρὸν* id est fuluū.

A. I. 9. F. 1. T. F. c. 4. p. 759. F.

nare coeperit, à cibo abstinere. Quòd si uero sufficere citra cibum nõ potest, protinus ab initio in quo-

G A L E N I D E T Y P I S L I B E R,

Io. Bap. Rasario interprete.

Quidam suspicantur, hunc Galeni uerum librum non esse, quod hic multa dicantur, quæ Galeni sententiæ, quam alijs in libris expressit, repugnare uideantur.

LIBRI ARGUMENTVM.

Simplicium, iunctorumq; typorum naturam, ac differentias exponit.

Quid sit ei hoc in libro propositum.

Cap. 1.



VM plerique typorum contemplationem fufius pertractant, hanc mihi rem terminate magis, ac circumfcripte esse necessario percurrendam existimaui: hoc pacto ratus, ijs, qui recens ad artem animum appulerunt, rem ipsam, quæ & simplex fit, & cum simplicitate facilius comprehendatur, ac multis ueluti prompta occurrat, & numerari possit commodius. hinc autem exordiar.

Quid typus, seu forma sit: quidq; periodus, siue circuitus. Cap. 2.

Typus est intentionis, remissionisq; ordo. periodus est intentionis, remissionisq; tempus in morbis. affectus autem, qui typis uacent, pauci sunt, ut

ατροψια, hoc est, cū corpus non alitur, ut resolutio, ut elephantiasis: & qui hinc proportione respondent. plurimi uero affectus typum habent illi quidem, sed tamen rarius. porro omnium maxime febres typos habent, exceptis tamen ijs continentibus, quæ perseverantes appellantur, atque etiam ijs, quæ ordinem nullum seruant.

Quot sint genera typorum. Cap. 3.

TYporum alij primi sunt, alij secundi. iteinq; alij persistentes, alij mobiles. tum alij simplices, alij compositi. primi sunt, qui breuem inuasionem, longamq; remissionem habent: cuiusmodi tertiani, quartaniq; sunt. secundi uero, quorum est longa inuasio, breuisq; remissio: ut quotidianus, & semitertianus extensus. ex ijs autem, qui extensi sunt, hic solus a ueteribus immutatus dictus est. persistentes sunt, qui eisdem horis inuadunt, atque remittunt. mobiles, qui diuersis semper horis accedunt: eorum alij præueniunt, horasque celerius præoccupant: qui anticipantes nominantur: alij tardant, qui etiam retardantes dicuntur. simplices sunt, qui unum insultum faciunt. compositi, qui ex multis inuasionibus remissionibusque constant. ac compositorum alij ex ijs constant, quæ similis sunt generis, alijs ex ijs, quorum sunt diuersa genera, ex ijs, quæ sunt similis generis constituuntur, cum, uerbi gratia, quotidianus simplex duplici quotidiano coniungitur: aut tertiani duplices, aut duo tertiani, aut etiam duo, tresue quartani sunt. ex diuersis uero generibus implicantur, ut cum, exempli gratia, quotidianus cum tertiano, aut tertianus cum quartano, aut alio, qui nõ sit eiusdem generis, iungat.

De typis febrium, & quæ symptomata singulos typos comitentur. Cap. 4.

EST autem quotidianus, qui quotidie unam inuasionem, eamque longitudine commensuratam, & unam, eandemque remissionem facit. tertianus est, qui tertio quoque die eandem longitudine commensuratam inuasionem, unamque & eandem remissionem facit. quartanus, qui quarto, quoque die unam, eandemque inuasionem, ac remissionem molitur. eadem de quintano, deque septimano, & si quis alius ordo typorum inuenitur, intelligantur. quotidianum consequuntur hæc, humiditas habitus, uomitus pituitosi, fitis non intensa, totius corporis grauitas, somnus grauis, & profundus, pulsus magnus, rarus, laxis, facies subliuida, laxa, flaccida, quæq; multam præ se ferat materiæ malitiam, ac mutationem. in hoc etiã typo lien durior euadet. siq; perseverarit, tremula, ueternofaq; in somnū propensiones consequetur, & thoracis fluxiones, & hydropicæ affusiones. potissimū aut stomacho male affecto constituuntur. tertianum comitatur intensa fitis, exustio, acres, biliosiq; uomitus, inedia, proiectiones, eūq; plerūq; rigores antecedunt: interdūq; etiã pfriçtio. in tertiano typo pulsus

Vetus tralatio sic habet: facile tolerabiles sunt, propterea uero magnitudine, tolerabiles sunt, quia: ita febrietas &c. V. l. hēt euly qōtēpos. i. faci ius soluitur.

Vetus tralatio, euacuās.

Vetus tralatio sic habet, Thesalus semitertianam uocat eā, quæ sit dimidio maior, quàm tertiana extensa in modū quotidiani circuitus, ut sit horarum uiginti quatuor. Videtur ad denda esse ne gatio, non.

V. l. hēt euly qōtēpos, id est facillime soluitur.

Sic legendū ex uetere tralatione.

Et ererum ex typis duplicatur ij, qui primi uocantur, ut quotidianus, ut tertianus, ut quartanus: quotidianus igitur duplex est, qui singulis diebus eodem modo bis accedit, bisq; remittit. duplex tertianus, qui tertio quoque die bis eodē modo accedit, atq; remittit. duplex quartanus, qui quarto quoque die bis similiter inuadit, ac remittit. duo tertiani sunt, cum diuersæ accessiones uel uno, uel duobus diebus accedunt, quæ tamen sibi per triduum respondeant. duo quartani, cum unus dies integer tra-

ducitur, & duobus deinceps diebus homines febricitat: formis temporum, quæ per quadriduum sūt, in unaquaq; accessione seruatis. porrò quotidianus tertiano complicatur, cum primus dies duas habet accessiones, duasq; remissiones: quæ sequitur, unam: tertia fit prima: consimilis. cum quartano aut quotidianus iungitur, cum primo die bis inuadit: duobus sequentibus semel modo: quarto bis, ut primo. complicantur inter se quotidianus, tertianus, & quartanus, cum in primo die tres inuasiones sūt, tresq; remissiones: secundo, una: tertio, duæ: quarto, tres: quinto, una: sexto, duæ: septimo, rursus tres, ac ceteri dies consequentes eundem cum primis ordinem seruant. ut tibi ad eundem modum congregiantur, & in eandem figuram conspirent. tertianus porrò coniungitur cum quartano, cum primus dies duas inuasiones, duasq; remissiones affert: secundus nullas omnino: tertius, unam: quartus pariter: rursus duas: quintus, unam: sextus nullam omnino: septimus duas: ac reliqui deinceps eodem modo prioribus respondeant. iam uero tertianus, quartanus, & quintanus inter se iunguntur, cum primo die accessio fiat, secundo quiescunt: rursus uero tertio die tertianus, quarto quartanus, quinto quintanus simul accedit. sed alio etiam quodam modo huius typi fit inuasio: siquidem nihilo minus in eundem typi ordinem incidit tertiani cum semitertiano coniunctio, ut ex illius descriptione cognoscitur: huius inquit, inuasio primo die uesperis incepit cum rigore: ac mane soluta est. integra ad horam usque octauam permansit: tum inuasio cum perfrictione incidit: eaq; sequentem noctem, & diem ad octauam horam usq; perdurat: rursusque remissio subsequitur. deinde in noctem inuasio cum rigore fit, & in diem rursus remissio illi nimirum similis, quæ sibi proportione respondet. ac deinceps in orbem eodem modo fit progressio.

tex. v. tralatine.

GALENI AD EOS QUI DE TYPIS
SCRIPSERUNT, VEL DE CIRCVITIBVS LIB.

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

Nunc summa cura diligenter recognitus.

ARGVMENTVM LIBRI.

In quot errores lapsi sint ueteres medici, qui species & multitudinem
typorum falsa methodo inquirebant.

Errata uetrum medicorum in dignoscendis typis.

Cap. I.



FEBRIBVS sane medicis abunde hoc solum fuit dixisse, nonnullis morborum accessiones per circuitum oboriri, quem Græci periodū appellant, non adhuc adijcientibus, quid uocabulum circuitus sibi uellet. Nouerant enim se Græcis hominibus libros scribere, qui manifesto scirent, quum æquali tempore aliquid simile specie fiat, totum hoc tempus Græcos, periodos nominare. Ita igitur Olympicas quasdam & pythicas appellabant periodos. Recentiores autem primum sane periodis, typi uocabulum, quasi dicas formulæ, inuenerunt. Deinde alij idē uoce periodus, ordo, & typus significari: alij nō idem. Omnia uero hæc diffinire aggrediuntur alij aliter, non solum proprias diffinitiones constituētes, sed etiam aliorum contradicentes. Qui igitur ad ambitionem usq; quæ circa definitiones uersatur, peruenerunt, concedentes tribus nominibus, typo, periodo, & ordine, unum quiddam significari, minus nugantur. At qui periodum nominant tempus, quo idem fit: typum autem non absolute omne huiusmodi tempus, sed cum integris diebus & noctibus circūscribitur: prolixas hi & inutiles nugacitates proferunt. Atq; idcirco tum suum, tum discipulorum tempus conterentes, ubi ægros accedunt, quoniam idiota sunt deteriores. Siquidem idiota mentis compos cum uiderit aliquem quolibet die accessionem experiri, siue paulo tardior accessio ueniat, siue præuertat: imaginationem quædam periodi quotidianæ dictæ habet. At si quis & industrius & medicinæ studiosus fuerit, cum notio quædam subit duarum tertianarum, aut trium quartanarum, atque id a medicis distinctum esse uolet. Qui uero prædictis hypothefibus emancipati sunt, si ægroto duabus horis quotidie accessionem anticipatoriam sustinenti inciderint, uiginti sane & duarum horarum periodum esse pronuntiabunt: totum uero typum non simplicem, sed compositum quendam arbitrantur: deinde perscrutati plurimum & apud seiplos ratiocinati, alij in digitis, alij etiam in tabella libro cuidā inscripta, duodecim duodecumanas eiusmodi typum esse dicitant. Verū cum auditores propter hæc rident, indignantur: multo magis cum hora una quandoq; accessionem præuertentem cōspexerint, tūc quoq; uiginti quatuor, uiginti quaternas esse enunciant: & ipsi ridentur, & aliis medicis quandam ignorantie suspitionem apud idiotas conciliant. Cum enim illos ex libro uiderint cum grauitate quadam ceu rem maximam inueniētes uiginti quatuor, uiginti quaternas, subit ipsi

A ipsi oēs qui libros legunt dānare, ac potius irrationali exercitio artē tractantibus sese permittunt. Si igitur quispiam argumenta medicorum huiusmodi nugantium sequatur, etiam tertianam, cum uel hora una præuertat, uel tardius accedat, omnia potius quam tertianam dicent. Nam præuertentem, quatuor & uiginti horarum cum sit, implexum esse dicit quadragesimum octauum: tardius autem tertianam, quinquagesimum, atq; hanc referet quinq; & uiginti horarum esse. Quis igitur primus inceperit hanc attonitam scientiam haud noui: quando autem ego primum eum qui ipsam indicat audierim, aperiam. Excesserat sane nuper e uiuis Antoninus, qui Adriano in principatu successerat: regnabat autem tunc Seuerus, qui seipsum quidem mutato nomine Antoninum uocauit: Lucium uero quē in imperij communionem acceperat, Seuerum appellabat. Hoc tempore cum primum audiuissem, admiratus sum eos qui in hunc modum proponebant: Si quinque horis aliquis accessionem experitur, duabus remissionem, ut tota periodus horarum septē existat, idq; ordine deinceps fiat, quis typus censerī debeat. Respondi igitur statim ei, id ne fieri quidem posse. Nam breues ita accessiones, longas, facere declinationes, ac omnino etiam ad integritatem peruenire. Tu accessionem quidem, dicebam, narras morbi mitissimi: periodorum autem frequentia perniciosissimam ipsam rursus pronuncias. Non, inquit, consideretur in præsentia, utrum hypothefis fieri possit, an minus exercitij autem gratia huiusmodi inquiri permittito. Nam ad uariorum typorum inuentionem aptiores nos efficit. Illi igitur, quod huiusmodi exercitium ineptiores nos potius reddit quàm promptiores, ostendere tunc tentauim: nunc alijs ostendam, ubi prius percensuero, quis tandem huius speculationis usus existat.

De usu prænotionis typorum, ac de errore illorum qui circuitus ultra trium dierum numerum producunt.

Cap. 2.

QVONIAM igitur nihil adeo utile est, præsertim in febris, ut accessionum futurarum principia prænoscere: si quis statim ab initio artificiali coniectura id potest efficere, plurimum ægrotanti per totum morbi decursum profuerit: sin autem statim ab initio nequeat, procedente autem tempore possit, reliquo tempore ægrotum iuuabit: & quanto citius in morbi speciei notitiam uenerit, tanto longiori tempore ægrotanti auxiliabitur. Incumbendum igitur est statim per initia, ut cognoscas qualis sit febris, sicut in commentarijs de crisi ostensum est, ac magna ex parte firmiter licet hanc ex notis illic proditis cognoscere. At si quæ prima die dubitatio fuerit oborta, in secundo discerni debet: sin etiam hunc quandoq; effugiat, tertio certe cognoscetur. Quod si hunc etiam interim effugiat, quod raro accidit, saltem in quarto necessario intelligitur: si neq; in hoc quis morbi speciem cognouerit, sed etiamnum dubitat, magnam partem artis hic ignorat. Nam cum alia, tum omnes accessiones febrium, uel in singulis diebus, uel tertio, uel quarto quoq; die inuadunt: cum in pluribus sane morbis, in quibus etiam præcipue usus prænotionis est, accessio futura tertio quoq; die sit, uel singulis: in paucissimis autem per quartam. Sed dicit forsan aliquis recentiorum horum sophilatarum etiam per quintum periodos quasdam fieri, & per sextam, & per septimam, nonnullasq; alias ad multos usq; dies extendi: quos reuera beatos prædicare ob admirandam intelligentiam licet, si non assequuntur ex his quæ dicunt, se totius de typis operis utilitatem e medio prorsus tollere. Qui igitur contentes se à primo die februm species dignoscere nescire, expectant usq; ad quartum, neq; quintanam aliquam periodum, neq; sextanam, neq; extra has aliquam uidisse pronuntiant, etiam si non secundo, aut tertio, saltem sequentibus de futura accessione aliquid sperare possunt. Illi uero qui in numerosam dierum multitudinē dies extendūt, futurā accessionē nequā possunt prænoscere. Verbi causa, quæ primo die aduenit accessio potest & quotidiana, & tertiana, & quartana, & quinta, omnibusq; subsequentibus inesse. Si igitur in secundo die orta est accessio siue non, de tertio die nihil poterunt sperare, qui longas periodos inuehant. Fingamus itaq; post primū diem neq; in secundo, neq; in tertio, neq; in quarto, accessionem accidisse. Qui sane tres solas periodos nouerunt, hominem è lecto erigunt, ac conuersa obire iubent, ab omni suspitione liberatum arbitantes. Qui uero etiam sequentes accessiones, quæ multorum dierum sunt fieri dicunt: similiter quintum diem merito suspectum habent, quemadmodum & alios priores: ita uero & sextum, septimumq; aliosq; subsequentes. At si etiam in secundo die quædam oboritur accessio, incertum est, an secundum quotidianæ figuram, proportionē cum ea quæ primum facta est tueatur, siue alterius periodi sit initium. Hac ratione si etiam tertio die post secundū orta fuerit. Nam ignorant statim ab initio discernere num quotidiana sit, an tertiana, siue alia quædam febris, incertum una ne sit quotidianæ an duarum tertianarum implexus, uel etiam trium quartanarum. Ac de alijs maioribus periodis eadem ratio est. Quod igitur qui multas esse periodos arbitrantur, non solas tres: haud unquam futuram accessionem prænoscere poterunt, ostensum iam est.

De errore illorum qui tres periodos ex accessionum tantum repetitionibus asstimabant.

Cap. 3.

DICAMUS autem deinceps de ijs, qui solas tres arbitrantur, non tamen ex propria natura unāquāq; dignoscunt, uerum ex accessionum repetitionibus. Ita enim solent nominare ipsi accessionum proportionem. Tales si non semper quemadmodum priores, accessionem futuram ignorabunt, certe usque ad quartum, aut quintum necessario. Ponamus enim in primo die unam obortam esse accessionem, in secundo duas, in tertio rursus duas, & totidem in quarto. Potest itaque & talis esse simplicium periodorum implexus, ut in primo die quotidiana inceperit: in secundo tertiana: in tertio possit & tertiana, possit & quartana, incertum enim hoc ante quintum est: deinde in quarto die, quartana, quæ

quæ iuxta primum diem incipit, secunda accessio: & tertiæ, quæ in secundo auspiciata est, secunda. E
 Constat autem omnibus quintum diem duas habiturum accessiones nempe secundam tertianæ, quæ
 die tertio incipit, & quartanæ secundam, quæ die secundo auspiciata est. Sexta autem habebit quartanæ,
 quæ tertia die incipit, secundam accessione: & tertiæ quæ secunda die incipit, tertiæ accessione. Fieri
 aut potest alijs pari modo habitibus, ut duæ aliæ tertianæ, aut duæ quartanæ, aliæ in tertio die inceperint.
 Quin. n. quartus dies in tali hypothesi nullam habet cum tertio cõionem, accidit & duas tertianas duasque
 quartanas, & tertianam quartanamque; unam in tertio die incipere. Mirari autem subit eos qui huiusmodi imple-
 xus cõponunt, quod non intellexere fieri posse, ut duorum typorum accessiones in eandem horam conueniant:
 quod si eueniat, corrumpuntur ipsius repetitionis notæ. In proposita igitur hypothesi accidit, ut alia quar-
 tana in primo die hora secunda incipiat, alia quartana undecima. Quæ cum ita se habent, una in quarto
 die est accessio secunda hora inuadens: non tamen unam dicunt aliquando fieri secundum subiectam
 hypothesin, sed duas perpetuo. Contemplator autem quomodo licet & tres simul accessiones in unam
 horam concurrere, atque ideo non ignorari implexum ab ijs, qui uniuscuiusque typi simplicis specie pos-
 sunt dignoscere. Fingamus. n. in primo die quartanam hora tertia incepisse: in secundo, eadem hora tertianam:
 in tertio, eadem hora quotidianam: necesse iam his subiectis in quarto die unam accessione trium circuituum in
 idem inter se peruenientium hora tertia oboriri. Sed nullus ipsorum hoc litteris mandauit, oes autem tanquam
 ex uno ore in prædicta nunc hypothesi, in quarto die tres fieri accessiones dicunt. Et si quis singulis die-
 bus semel ægrotum accessione habere statuat: nonnulli simpliciter quotidianam pronunciant, non-
 nulli uero duas tertianas esse, ac tres quartanas posse dicunt. Quomodo sane discernere ipsas conue-
 niat, plures ipsorum nequitiam inquitierunt: nonnulli differentia horarum coniectant: tanquam non li-
 ceat hora sexta, uerbi causa, omnes diebus diuersis inuadere. Quod si fiat, singulis diebus cõtinget unam
 apparere accessione trium periodorum inuicem implexarum, quotidianam, tertianam, & quartanam. Nam
 primus dies quartanam habebit solam, secundus tertianam, tertius quotidianam, quartus simul omnes
 tres in idem tempus cõgressas: ob quas quintus rursus dies quotidianam habebit solam, sextus præter
 hanc etiam tertianam, septimus tres in idem tempus cõgressas. Non igitur constat, ut dictum est, utrum
 quotidiana una sit, an duarum tertianarum miscella, aut tertianarum & quartanarum, aut quartanæ, ter-
 tianæ, & quotidianæ. Atqui non eadem est curatio tertianæ, quartanæ, & quotidianæ, nisi & hoc arbi-
 trentur. Ex quo enim imperitia simul & impudentia eorum qui in artem insiliunt lasciuiuntque; præpol-
 let, miri nihil est quibusdam etiam talia ignorari: uerum nos nouimus quàm differentem quotidianam una
 a tertianis duabus, ac tertianam a quartanis curationem desiderent: ac nequitiam fieri potest, ut ij qui
 uniuscuiusque speciem ignorant, discernant. Ac subinde in ægrotantibus medicos uidimus duarum ter-
 tianarum implexum, quotidianam unam esse autumantes. Quibus persuasimus ægrotum a duabus ter-
 tianis infectari, soluta quidem ex ipsis prius mitiore, relicta autem sola difficiliore. Omnes igitur qui de
 typis libros scripserunt, uidentur nihil curare præsidium quod ex ipsis in prænotionem & uictus ratio-
 nem peruenit: sed quemadmodum dicunt, ita quoque faciunt, exercitia iuuenibus hæc scribentes, simi-
 lia ænigmatis, quæ in cœna proponuntur. Si igitur ipsos absolute uelint exercere, id facere liceret du-
 centes ipsos ad geometriam, arithmetice, logicæ, & dialecticæ. At si ut inuadentem accessione
 prænoscant ad hoc perueniunt exercitij, ex toto errant qui iuuenibus, prauis insistere uijs ex his per-
 suadent, unde nihil inueniunt, uel in prænotionem, uel in curationem utile: cum liceat ipsos edocere
 quo modo accessione internoscant febris quotidianæ, tertianæ, quartanæ, semitertianæ, trite ophyus,
 id est tertianæ naturam referentis, aliarumque singularum, quæ non modo circuituum figura, sed etiam to-
 ta natura inuicem differunt. Nam qui has ignorant dignoscere, inutilis ipsis tota de typis speculatio
 est: præstiterit autem forsitan dixisse, quod tota hæc sit superuacua. Ei uero qui proprijs signis unamquæ-
 que febrem nosse studuerit, non modo lucro est uanam loquacitatem cõtemnere, sed etiam uictus spe-
 ctem unicuique conuenientem prænoscere. Sed hi sane adhuc tolerandi sunt. Etenim Agathinus uir non
 uulgaris, in eiusmodi disciplinam successit. At qui septem horarum circuitus faciunt, desiderabunt qui-
 dem non nos, sed Philistionem, aut huiusmodi similem nugas ipsorum irridentem.

Methodus qua ueteres medici typorum species, ac multitudinem comprehendebant.

Cap. 4.

Quoniam uero recentiorum nonnulli me precibus adegerunt, ut quæ ego ludens ipsos docui me-
 thodum ad typorum, qui in huiusmodi hypothesibus afferuntur inuentionem, in tabulam repo-
 nerem, in illorum gratiam etiam diem unum in hoc sermone non grauatim collocaui. Incipiamus igitur
 iam disciplinam ipsorum, hinc sumpto initio. Typum hi uocant non omnem circuitum, sed si quis ex in-
 tegris diebus & noctibus constitutus est: & secundum unumquemque dierum numerum peculiarem typum
 esse uolunt, non autem uiginti aut triginta solum dierum, sed etiam ultra hos typorum circuitus exten-
 detes. At in typis his, accessione tempus ad alteram accessione, non amplius quidem typus, sed hoc so-
 lum periodus ipsis nominatur. Audiui autem iam quendam etiam librum integrum non exiguum con-
 scripisse docentem quomodo quis in unaquaque periodo accessoria proposita & speciem inuenit, &
 typorum numerum: ac per deos admiratus sum quæ tandem essent quæ in libris dicit. Nam methodus
 ex quibus quis inueniat, quot sint typorum implexus, paucissimis uerbis doceri potest. Talis cum sit,
 numerum horarum uniuscuiusque typi promptum habere conuenit, uel in memoria, uel in charta de-
 scriptum. Quotidianam typum uiginti quatuor, tertianam quadraginta octo, atque ita deinceps quartanæ
 quidem

A quidem septuaginta duæ, quintanæ nonaginta sex, sextanæ centum uiginti, septimanæ centum quadra-
 ginta quatuor, & aliarum, ut hæc tabula subscriptum habet.

TYPI HORAS.

Quotidianus	24	Vigefimanus sextus	600
Tertianus	48	Vigefimanus septimus	624
Quartanus	72	Vigefimanus octauus	648
Quintanus	96	Vigefimanus nonus	672
Sextanus	120	Trigefimanus	696
Septimanus	244	Trigefimanus primus	720
Octanus	168	Trigefimanus secundus	744
Nouanus	192	Trigefimanus tertius	768
Decumanus	216	Trigefimanus quartus	792
Vndecumanus	240	Trigefimanus quintus	816
Duodecumanus	264	Trigefimanus sextus	840
Tridecumanus	288	Trigefimanus septimus	864
Quatuordecumanus	314	Trigefimanus octauus	888
Quindecumanus	336	Trigefimanus nonus	912
Sexdecumanus	360	Quadragesimanus	936
Septemdecumanus	384	Quadragesimanus primus	960
Octodecumanus	408	Quadragesimanus secundus	984
Noemdecumanus	432	Quadragesimanus tertius	1008
Vigefimanus	456	Quadragesimanus quartus	1032
Vigefimanus primus	480	Quadragesimanus quintus	1056
Vigefimanus secundus	504	Quadragesimanus sextus	1080
Vigefimanus tertius	528	Quadragesimanus septimus	1104
Vigefimanus quartus	552	Quadragesimanus octauus	1128
Vigefimanus quintus	576	Quadragesimanus nonus	1152
		Quinquagesimanus	1176

Huiusmodi habeant in charta tabulam paratam qui facile calculare non possunt. Post huius appa-
 rum inspiciatur proposita accessio horarum recurrentium pro ratione accessione, cuius primus scri-
 ptarum numerus est particula. Cum enim ipsum inuenierint, typi genus habebunt. Genus autem, uel spe-
 ciem, uel formam, uel naturam in præsentiarum dicere nihil intererit. Numeris typorum inuentis par-
 ticulam quoque habebunt. Si enim tertia fuerit particula horarum typi numerus circuitu repetens, tres
 dices typos illos inuicem implexos: si quarta, quatuor: si quinta, quinque: numero semper ex parte nom-
 imponens. Ut igitur exemplo methodus fiat manifestior, fingamus aliquem accessione experiri hor-
 ris sex: hanc autem remittere duabus: ut totus circuitus uiginti sit horarum. In hac hypothesi considerato
 quæ pars uiginti huius numeri. xxiiij. deinde inuenies tertiam esse, quotidianas tres implexas esse dices:
 quotidianas sane, quoniam numeri. xxiiij. pars est, numerus octo: tres autem, quia tertia pars. Fin-
 gamus rursus sexdecim horarum esse accessione circuitum. quoniam igitur sexdecim numeri. xxiiij.
 nulla est particula, quadraginta autem. viij. tertia est, & xlviij. tertianæ periodi est numerus: tres fe-
 bres tertianas inuicem implexas esse dices. Fingamus rursus accessione periodum esse hora-
 rum octodecim, pars autem hæc est neque quotidiani numeri, neque tertianæ, sed quartanæ: di-
 ces igitur quatuor quartanas implicatas esse. Quartanas sane, quoniam ex septuaginta duarum ho-
 rarum numero constat: quatuor autem, quoniam octodecim horarum numerus quarta pars est, nu-
 meri septuaginta duo continentis. Statuamus iterum accessione periodum horarum esse quinque, pars
 autem sunt quinque horæ centenarum uiginti, uigefima quarta: dices igitur typos sextanos uiginti qua-
 tuor inuicem esse implexos. Pone rursus accessione horarum periodum septem, pars autem hæc sunt
 centenarum sexaginta octo horarum, hoc est octani typi uigefima quarta: quare pronuncabis typos
 octanos esse uiginti quatuor. Finge iterum accessione periodum horarum nouem, pars autem sunt hæc
 ducentenarum sexdecim horarum, uigefima quarta: hæc rursus ducentæ sexdecim, decimi sunt typi cir-
 cuitus: erunt igitur in hypothesi hæc decumani typi quatuor & uiginti. Subijciatur rursus accessione
 periodus horarum decem: duodecima autem pars est numerus hic centenarum uiginti, qui est sexta-
 næ periodi: idcirco sextanæ erunt duodecim. Ponatur iterum accessione circuitus undecim esse ho-
 rarum, numeratur autem ducentarum sexaginta quatuor numerus ab undecim per uiginti quatuor.
 Erunt igitur uiginti quatuor typi duodecumani inuicem coniuncti, quoniam secundum uiginti quatuor
 numerum undecim continens, duodecumani typi horarum numerum metitur, qui est ducentarum sexa-
 ginta quatuor. Semper igitur typorum species ex numeris in tabula descriptis inuenietur, multitudo ue-
 ro ipsorum deprehenditur, si noscas quota numeri pars accessione horarum numerus existat, quod
 idem est, ac si noueris iuxta quem numerum is, qui accessione est, typi numerum metitur: siqui-
 dem a se mutuo denominationem sumunt & numerus hic & particula. Nihil igitur interest dicere, ter-
 tiam esse partem duodecim horarum quaternarium numerum, aut duodecim per tria in quatuor par-
 tiri. Simile huic est etiam si ita dicamus, quaternarium duodenarium per ternarium metitur. Redacta
 igitur

igitur rursus in pauca capita methodo ad alium deinceps sermonem digrediamur. Erunt porrò tanquam quaedam ipsius definitiones huiusmodi. Inspicienda ueniunt accessionum periodorum horarum, quora pars sint horarum typorum: etenim a parte denominatus numerus, copia typorum erit: at qui ab his partitur, ipse typus est. Alia autem oratione idem sic interpretabitur. Accessionum periodi numerum horarum inspicito, quem metitur quemlibet ex ijs qui tabella habentur. Ipse enim ex tabella numerus typorum speciem indicabit: per quem uero ex ijs periodi numerus metitur, multitudinem ipsorum indicat. Alia uero oratione idem hoc pacto exponetur. Numerus horarum circumeuntium per accessiones aestimatus, quoties metitur aliquem ex ijs qui secundum typos habentur, toties typus ille ipsi implicatur: siue autem implicatur, aut complicatur dicas, nihil refert.

Quot errores ex superius tradita methodo consequantur.

Cap. 5.

Iam multis alijs uerbis eandem methodum licet interpretari: uerum sufficit etiam haec uanam istorum artem percensuisse, ut paucis capitibus singulos errores, qui sequuntur possimus ostendere, rursus à promptioribus exoriri. Vbi enim circuitus per accessiones repetens horarum. xij. fuerit, possunt quidem & duae quotidianae esse, possunt & .iiij. tertianae, & quartanae nihilominus. vj. & viij. quintanae, & .x. sextanae, & xij. septimanae, & .xiiij. octanae, & .xvj. nouanae, & .xviij. decumanae. Rursus igitur eodem modo uia nugacitatis non parua inuenitur, quae sistere nequit, neque ullum habere scopum diffinitum, ubi circumscribere ipsum erit necessarium. Cur enim magis usque ad .xviij. decumanas, aut .xx. undecumanas, aut .xxij. duodecumanas procedere conuenit, quam ad aliquam periodorum subsequendum? Licet enim dicere .xxiiij. quidem esse .iiij. decumanas, sex autem & uiginti quinque; sed decumanas, octo uigesimalis quinque & decumanas similiter his licet apponere. Satis iam hoc est de quotidianis. At adhuc nugacius in tertianis & quartanis, ac multo magis omnibus his sequentibus agunt. Vel enim sedecim horarum periodus nihilo magis est trium tertianarum, quam .vj. quintanarum, aut septimanarum nouem. Potest haec duodecim quidem nouanarum esse, quindecim autem decumanarum, octodecim tridecumanarum, unius autem & uiginti quindecumanarum, ac ad portionem omnium subsequendum. Verum mihi abunde est uiam tantum indicasse, qua in huiusmodi tempus conterunt. Quinetiam .xv. horarum circuitus (ubi enim huius adhuc uiam indicauerim ad aliud transgrediar) quatuor quidem quartanarum est, octo septimanarum, decumanarum .xvj. Atque horum omnium uniuersumque; methodus est, ut in digitis citra tabulae operam possis calculari. Verum ego sane loco institutionis singula haec profero ijs qui per aetatem puerilem in numeris statim sunt exercitati. Nam homo in exercitiis non mensibus, sed totis annis ad eos indiget, quo in rebus inutilibus fiat prudens, quas cum studio nonnullos si bi inuicem proponere non pudet. Quod igitur bifariam errant omnes qui de typis commentarios scripserunt, dum neque morborum species docent, neque in rebus frugiferis tempus consumunt, abunde satis puto demonstratum.

Quam innumera & inexplicabiles, ex veterum hypothesebus typorum coniugationes oriuntur.

Cap. 6.

Qvandoquidem uero coegerunt nos, relictis utilibus tempus in refellendis ipsis perdere, ostendemus utique eis in quantam stupiditatem peruenerint, tum ipsi, tum qui ipsis tanquam utile aliquid docentibus attendunt. Nam cum fateantur de re quae fieri non potest uerba facere, attamen ceu exercitium quoddam tractantes, ne millesima quidem totius curationis parte exercentur. Praeterea argumenta ipsorum inter se pugnant, quae etiam prima tibi percussui, nonnulli ipsorum usque ad .xv. dies typorum circuitus procedere statuunt, nonnulli uero usque ad mensum, sunt qui etiam ad duos tres uel menses uenire ponunt. Ego uero quam sententiam habeam, de ijs quae Hippocrates dixit extra periodum quartanam, alibi indicauit, ubi docui mihi esse persuasum speculationem aetate commodam existere. Nunc autem (neque enim docere mihi propositum in hoc sermone est, sed reprehendere eos qui neque utilia scribunt, & speculationem laudant inutilissimam) ad primos me conuertam, qui usque ad quindecimanum typum exercitij causa procedere affirmant, quippe imprudentes hi & nescij suam ipsorum hypothese in alijs, quas apponunt, peruertunt. Si enim febris, quae per horas uigintitres accessionem habent, non est quotidiana praeruens, necessarium est ipsam quatuor & uiginti uigesimalis quartanas existere. Quae admodum igitur & eam quae una hora tardius inuadit uigesimalis sextanas esse, easque uiginti quatuor. Non igitur uere dicunt qui typos, in quindecim dies exporrigi statuunt, multo magis cum uel tertianarum, aut quartanarum, aut sane quintanarum circuitum horis uel duabus, uel tribus tardius inuadentem, aut praeruentem, in typorum implexus ducant. Similiter uiginti quatuor uigesimalis sextanas. Ut enim relicto quindecim dierum circuitu ad quintanae periodum ueniam, in hoc typo, siquidem una hora accessio praeruat uiginti quatuor, una & uigesimalis sextanae erunt: sin autem moretur uiginti quatuor, rursus uigesimalis octaua. At si nonnullas iam praeruentes tardantesque; statuunt, manifesto suam tollunt hypothese. Quare necessarium est typos integris diebus & noctibus circumscribi, ipsos statuere, aut nihil est quod nugentur. Eo autem statuto typi in longum dierum numerum procedent, quauis illi nolint. Melius igitur forsitan faciunt, qui per initia statim numerum dierum secundum typos incomprehensibile esse statuunt. Si enim etiam aliud nihil dicunt, pulchre saltem nequis contra ipsos differat effugiunt, non quae admodum priores à se ipsis damnantur, dum typos usque ad .xv. dies progredi affirmant. Coguntur autem uti non solis, qui ex multis decadibus componuntur, sed etiam ijs qui ex centurijs constant. Quoniam igitur nequeunt

A nequeunt typorum multitudinem effugere, fieri non potest ut implexus inuicem conuenientes euitent: sed quemadmodum qui tres typos solos esse ponunt, quotidianam, tertianam, & quartanam, tamen ex ipsarum implexu multa efficiunt paria, ita necessarium erit etiam his omnes typos inuicem coniungi. Si cut igitur coniungunt tres commemoratos, primum sane unumquemque sibi, deinde inter se, sic necessarium erit his quoque coniungi. Incipiamus igitur à quintana, ostendamusque, ipsis quomodo huic coniuncta permulta efficiat paria siue implexus. Vnum itaque par tale est: primo die incipiat quintana, deinde tertius quartus uel dies ab omni febre purus sit: quintus sane quintanae, quae primo die incipit, secundam habeat accessionem: sextus autem, eius qui secundum inuadit: deinde septimo & octauo a febre liberis, nonus quidem tertiam primae quintanae habeat accessionem, decimus uero secundae & ipse tertiam deinceps. Pari portione quarta quintana procedet. Nihil autem refert in praesentia duplicem ne quintanam, aut duas quintanas hic dicas, quod nec ipsum omnes concedunt. Alterum par duarum quintanarum. Primum dies unam accessionem unius habeat quintanae transitionem: secundus liber sit: deinde tertius alteram quintanae incipientem habeat, proportionem in subsequendis diebus seruata. Aliud duarum quintanarum coniugium. Primum dies alteram ipsarum, quartus alteram incipientem habeat, subsequendis diebus proportionem seruantibus. Quartum coniugium duarum quintanarum. Altera ipsarum prima nocte inuadat. Quintum duarum quintanarum coniugium. Altera ipsarum prima die incipiat, altera secunda nocte. Sextum duarum quintanarum par. Altera prima die auspicetur, reliqua tertia nocte. Septimum duarum quintanarum par. Altera primo die incipiat, altera quarta nocte. Haec igitur septem coniugia coniunximus, statuentes priorem quintanae primo die auspicari. Rursus autem alia septem faciemus, primam ipsarum nocte prima incipere proponentes. Si igitur ipsi & sextana adiunxerimus, constat plura simul fore coniugia, ac plura adhuc eorum quae septimanam conueniunt, aut multo plura quae octanam, uel etiam quae decumanam: ut nihil dicam de uigesimalis, trigesimalis, quadragesimalis, quaeque; has uisae sunt necessario hypothese ipsorum sequi. Illae igitur in praesentia dimittantur. Fiant autem nobis usque ad decumanam, ac primum mihi considera, ut nunc cum duplex quintana gi-gnitur, coniugia dicimus. Si autem triplex oborta fuerit, constat multitudinem haud paucorum parium aliam generari. Iam uero licet & quadruplicem ipsam fieri quotidie, una inuadente accessione. Quintuplex fiet mista quadruplici, una nocte quinta quadam post commemoratas quatuor, quintana, atque hac rursus ipsa quadrifariam: uel enim in prima nocte principium potest sumere, uel quadam subsequenti, secunda nimirum, aut tertia, aut quarta, aut quinta. Hoc autem ipsum uarium his est etiam in alijs typis, & maxime in his qui plures dies continent. Si igitur omnem quintanae uarietatem ei qui in sexta est coniunxeris, consideras opinor quanta sit multitudo. At si eis uel septimanam miscueris, uel octanam, aut aliquam subsequenti, deinde rursus ex quatuor typis ita inuicem complexis alia facias coniugia, deinde ex quinque; postea rursus ex pluribus, puto te intellectu colligere, quantus coniugationum numerus sit aut quot indigebit libris ad eorum disciplinam. Qualis enim in eis erit plexus conabor tibi paucis indicare, initium sermoni hinc constituens. In singulis typis prius conueniet coniugationum uarietatem persequi, ut in quintana paulo ante ostendi: postea ipsas inter se complicare. Primum sane unum par eorum quae ex quintana fiunt miscetur uni sextanae coniugio, ut ex duobus paribus tertium quoddam aliud oriatur: deinde omnibus omnia deinceps conuenire, postea ita unum duobus, hinc tribus, hinc pluribus, usque dum uniuersa typi qui complicatur coniugia uni permisceas. Post hoc duo paria unius typi quintanae uni per singula alia miscere, deinde duobus, aut tribus, aut quatuor, usque dum omnia inuicem complicaueris: deinde ita rursus quatuor coniugia, ijs quae in unoquoque typo sunt, miscere. Postea quinque, deinde sex, usque dum omnia quintanae coniugia omnibus alijs permiscueris, non simul uidelicet omnium, sed uniuersumque separatim, ut quintana paria ijs quae in septimano habentur: postea ita octanae, aut nouanae, aut decumanae, aut alicuius subsequenti coniugij. Inde quemadmodum quintanum singulis alijs commiscuisti, ita iam decumanum uniuersumque aliorum miscere. Postea septimanam, octanam, & reliquos. Vbi uero hoc feceris, necessarium erit, trium typorum coniugio omnia omnibus coniungere, hinc quatuor, inde quinque, mox sex, postea septem, atque ita consequenter, donec omnia omnium complicauerimus. Porro quod adeo copiosa parium erit multitudo, ut numeratu difficilia sint decem milia, quemlibet puto etiam numeri imperitum intelligere. Iam qui arithmetice sermonem communicauerit, audire ab ipsis multitudinem poterit. Ego enim si ostendere nunc ei uellem, maiori opus esset libro quam illi sint, quos qui haec nugantur scripserunt, non considerantes uix uel millesimam complexuum particulam attigisse, et si multa inane sint locuti. Si igitur utile esse arbitratur typos inuicem commiscere, sciant se utilis millesimam partem inuenisse: sin autem inutile, reuerenti iam tandem, uocent ad libros Vulcanum aut si ipsi non uocent, tempus corrumpet. Quis enim ex ipsis alius adhuc scribet? quis non & hos iam dissecans in diarios usus admitteret?

Altera methodus typorum inueniendorum.

Cap. 7.

Cum autem hi iam scripti sint, & quibusdam amicis traditi, cumque illi uelint alios discere quomodo tabula se habeat, ego statim proponentibus typorum multitudinem respondeo. Est itaque methodus non alterius cuiusdam generis, sed prioris subiecta. Persuadeberis autem & ipse rem ita habere, si reuocet prius in memoria, eamque proptam semper habeas, nempe diem nos hodie appellare tempus ex die & nocte compositum, quod nonnulli nychthemeron (quasi noctidiem dicas) nuncupant: sic itaque & annum esse

esse dicimus, dierum trecentorum sexagintaquinque, & quartæ unius partis. Cum itaque diei unius & quatuor & uiginti horæ sunt, duorum. xlvij. trium septuaginta duæ: nomina uero typis non a diebus completis sunt, sed ab accessionis repetitione. Tertianam sane appellamus, cui tertio die accessio oboritur, duobus interea iam nimirum diebus absolutis. Quartanam, cui quarto quoque die, tribus & in hac interea diebus completis, ac in alijs ad proportionem. Quapropter cum circuitum typi quatuor dierum inuenieris, quintanam ipsam dices: non idem nanque est, quinto die accessionem inuadere, & quinque dierum esse circuitum. In memoria igitur hæc ponens rursus succurrat tibi dictæ prius in tabula methodi. Dictum autem est propositum horarum periodicarum numerum, qui nimirum inter duo principia accessionum medius continetur, inspicere debere, utrum metiatur in tabula contentum numerum quemlibet. Erant illi pro horarum multiplicatione. xxiiij. effecti. Ut igitur citra tabulam ipse in digito inuenias, hoc ipsum facito: sex quidem & octo proposito, commode utique inuenies quatuor quotidianas fieri, cum sex horarum circuitus propositus existat: tres autem, cum octo. Septem autem proposito, aut alio quodam non metiente. xxiiij. horarum numerum, inspicito utrum propositus, partem aliquam habeat, an nullam, nisi unionem. Si enim habet aliquam præter unionem, partem, quemadmodum nouem tertiam, quindecim tertiam & quintam: inspicito qualis ipsius pars communis sit cum numero. xxiiij. Exempli itaque causa, tertiam sane. xxiiij. horarum numerus, quintam autem non habet, quemadmodum. xv. horarum numerus. Si igitur proposita periodus horarum nouem fuerit, tertium sane huius capies: tertium autem & numeri. xxiiij. octo inquam: ac dices octo typos esse tribus diebus circumscriptos. Volui tibi in memoriam reuocare huiusmodi typos quartanos nominari. Sed dum. xv. horarum circuitus fuerit. xv. sane tertia parte capta, quinque dierum typos esse, quod est sextanos, dices. At horarum. xxiiij. quoniam & harum tertia pars octo sunt, tot esse dices etiam sextanæ typos. Quod si nulla particula propositus numerus fuerit, qualis est septenarius. xxiiij. octanas. Itaque quoque si. x. horarum propositus fuerit circuitus. xxiiij. typos esse qui. xj. dies comprehendunt, dices; hoc est, undecumanos. Sic ubi. xiiij. horarum circuitus fuerit. iij. & xxx. Pari modo si maior fuerit propositus circuitus quam horarum. xxiiij. siquidem nullam habet mensuram communem cum numero. xxiiij. quemadmodum in xxv. cõtingit. xxiiij. esse, typos uigefimosexanos esse dices, quemadmodum & .xx. At si communis utriusque mensura quæpiam fuerit, quemadmodum in uigintiseptem numero tertia pars est, octo decumanos asseuerabis: quandoquidem horarum uigintiquatuor, tertia pars sunt octo: uigintiseptem autem, nouem. Quippe constat decumani typi circuitum esse dierum nouem absolutorum, qui sane horarum numerum ducentarum sexdecim efficiunt, cuius pars octaua est propositus uigintiseptem horarum numerus. Hæc igitur methodus communis in tabula prædicta subiacet, tantum ab illo differens, quod aliquis etiam citra tabulam inuenire potest primum horarum numerum, diurnis circuitibus mensuratum, cuius pars, est, propositus. Hæc speculatio ostensa est etiam ab Euclide in libro elementorum, septimum autem ipsius est caput. At maius utriusque numero commune capientes, considerare oportet, quoties communis hæc mensura utriusque numerum partit: ut in quindecim & uigintiquatuor, prima communis mensura est trium numerus. Hic autem quindenum numerum metitur per quinum, uigefimum quaternarium numerum per octo, siue quinque multiplicaueris in numero uigintiquatuor, siue octo in quindecim, eundem numerum fieri inuenies, sicut centenarum uiginti horarum, dierum autem nimirum quinque: atque idcirco typum decumanum dices. Eadem ratione si propositus numerus horarum. tredecim fuerit, communiter metientur & hic & uigintiquatuor, ex ambobus inter se multiplicatis factus, qui est trecentarum duodecim horarum numerus, quandoquidem ad primos dictos numeros pertinet tredecim. Appellatur enim sic, quorum non est communis mensura unionis. Itaque numerus quem utriusque metiuntur, erunt tricenarius duodenarius, nam ter & decies hic uiginti horas continet: typus autem dierum erit absolutorum tredecim, hoc est, quatuordecumanus: quandoquidem quater & uigeties, hic numerum trecentorum duodecim partit, multitudo typorum erit quatuor & uiginti. Habeat itaque & hanc methodi demonstrationem, & si non statueram res inutiles uos docere: satius enim esset ipsas omnino cõtemnere, memores oraculi Pythici, nempe, Parcendum esse temporibus.

GALENI

GAL. DE TREMORE, PALPITATIONE,
CONVULSIONE, ET RIGORE LIBER.

Ioanne Guinterio Andernaco Medico interprete,

Nunc ad græcorum codicum fidem recognitus.

ARGUMENTVM LIBRI.

Quod genus motus, quæ differentia, quæ loca, quæ causa tremoris, convulsionis, rigoris & palpitationis.

Propositum libri.

Cap. 1.



QVANDO QUIDEM Praxagoras Nicarchi filius, cum in alijs medicinae partibus præstantissimus, cum naturalibus speculationibus peritissimus, non recte mihi uideatur de pulsû, palpitatione, convulsione, & tremore sentire, ut qui omnia arteriarum esse affectus, differre aut inuicem magnitudine existimet: idcirco de omnibus ipsis communiter hoc libro a me tractandum esse putavi, non ut Praxagoram in ijs quibus errorem admittit falliturque redarguam, (id enim Herophilus eius discipulus abunde fecit) sed ut in quibus recte ille sensit, ea quæ defunt, adiciam. De pulsû sane, quid tãdem sit, & quomodo fieri soleat, in opere de pulsibus ostensum est, & nunc tantum dicitur, quantum ad præsentem disputationem utile esse uidebitur: de alijs autem hoc commentario sum tractaturus, inde sumpto initio.

Quot motus genera, atque in quo genere tremor, convulsio, rigor, & palpitatio contineatur.

Cap. 2.

MOTUS sensibiles in animantium corporibus, cum sana sunt duplices genere apparent. Ex arbitrio sane, aut uoluntate ac impetu, aut quomodocumque nominare uelint nominum quidem periti, rerum autem scientiam negligentes, qui neruorum musculorumque ministerio fiunt: atque has medici uoluntarias actiones appellare solent. Alij uero motus in animantium corporibus existunt, qui arteriarum & cordis officio obeuntur, quos uitaes nuncupant. Ac aliud quoddam tertium motuum genus in uenis habetur, quod sensibus non percipitur. De quibus duobus in præsentiarum dicere opus non habeo: Verum qui musculis & neruis perficitur, per quem & manus, & crura mouemus, in tremoribus, convulsionibus, rigoribus morbidis, interim & in palpitationibus apparet. Omnes etenim eiusmodi affectus, uitiati motus sunt instrumentorum eorundem, quibus arbitrij sanorum motus obeuntur.

Quid sit tremor.

Cap. 3.

TREMOR itaque facultatis, quæ corpus sustinet mouetque infirmitate, accidit. Nõ enim ex seipsis animantium particulæ tam graues cum sint, deorsumque ferri natae, in omnẽ locum mouentur: uerũ facultas, quæ per neruos musculis a principio transmittit, ueluti uehiculũ quoddã, & motus ala ipsis est: quã cũ prorsus perdidissent, perdunt autem resoluta, deorsum feruntur, & auis cui pennæ defluerint instat, concidunt: unde nullus ita affectus motus relinquitur. Sin autem uirtus quidem reliqua fuerit, sed pauca & imbecillis ut neque corporis partes satis sustentet, uehatque, aut tanquam graue pòdus aliquod ferre nequeat, necesse est partem ita dispositam, tremulam conspiciari. Si quidem motus qui ab imbecillibus, supra uires & uiolenti & ad necessitatem fiunt, tremuli existunt. Puto te subinde uidisse aliquẽ, qui graui pondere sublato incedere uiolenter conaretur, quàm cruribus intremisceret: quinetiã si manibus præter uires graue aliquid portare aggrediatur, manus habebit tremulas. Pari modo homo cum timet expauescitque, siue manibus quid facere, siue uolet ingredi, manus quidẽ si his functionem obire aliquam audeat, tremulas: crura autẽ si conatur incedere, habebit. Minuit enim nihilominus & timor uirium robur. Quæ ubi semel collapsæ fuerint, & debilitatæ, quiduis etiam multo leuissimam, graue sentebit. Quapropter & corpus animantis, quod prius erat leue, oneris modo ipsas aggrauat. At senes simili modo ex imbecillitate ut plurimum tremuli sunt: præterea, quibus ex morbo corporis robur laborauit, nec ijs quoque citra tremores motus fiunt. Si quidem in omnibus qui in hunc modum habent, uis particulas mouens sustentansque, nunc debilitata, id quod prius attollere solebat, amplius non potest, tanquam in motu uacillans. Vbi uero totus naturæ tenor remiserit, ibi corpora eo quod eleuet destituta, suo pondere deorsum feruntur: ac ibidem manerent (quemadmodum in resolutionibus, quas paralyses græci appellant) si totas uires robur omnino destituisset. Quantum autem ipsius reliquum est, id rursus uehere corpus conatur: uerum neque nunc quantum uult præ imbecillitate potest, sed modice quidem eleuat, magis autem deficit, imperfectum mutilumque; hoc quoque motum relinquens: rursus igitur corporibus deorsum ferri concedit. Quod ubi continue fit, & deorsum tendens latio sursum uergentem excipit, eiq; rursus coniungitur, duplex sane & compositus motus.

SECUNDA CLASSIS.

I 2 tus

tus fit motus, particulis loca semper per uices mutantibus. Nomen autem affectui est tremor, quo cor E
pora deorsum pondere suo uergunt, rursus autem in altum a uirtute attolluntur.

Quid tremor differat a palpitatione.

Cap. 4.

Quin & palpitatio, qui palmos graece dicitur, forsitan dicit aliquis similiter atque tremor motus est, quo partes palpitantes, citra uoluntatem nostram, nobisq; inuitis attolluntur & deorsum aguntur. Quomodo igitur tremor a palpitatione differet? Hactenus sane nihil inter se discrepare uide tur, ueruntamen discrimen intercedit. Neque enim locum affectu eundem esse palpitantibus, neq; causam neq; accidens esse dixerit. Quippe nemo qui artus mouere non instituerit, tremet: palpitantes autem particulae etiam si in quiete fuerint, siq; nullum ipsas motum induxeris, palpitant. Decipiuntur hic quoque multi, dum capita tremula conspiciunt nonnullis, manum immobilem, & crus, ut uisum fue rit, extensum habentibus, deinde nihilo minus tremantibus. Quos hanc sententiam docere conue nit, quae non a me nunc primum dicitur, sed etiam a multis ueterum: non quae moueri uidentur, ea mo ueri sola pronunciantibus. Multa siquidem citra motum esse uidentur, unum eundemq; locum obri nentia, nihilo autem minus mouentur. Siquidem aues non modo sursum & deorsum tendentes, sed etiam si locum unum in aere occupent, in motu tunc quoque esse censentur. Nam si in eo loco mortuum auis corpus situm fuerit, facile ad terram decidet, pondere suo inclinans. Vnde constat, & F corpus quod in eodem manet loco, motus cuiusdam auxilio, in sublimi constitisse, tanto, utique mo tu, quantum haberet, si solo pondere deorsum ferretur. Quare quam immobilitatem esse putas, motus est ex duobus quibusdam compositus, qui corpus in contraria loca possunt abducere: quorum, si alterum sursum uergentem tollas, reliquum uidebis ex facili corpus in locum inferiorem deducere. Hoc igitur & Hippocrates his uerbis docet: Stare, ulceribus minime conducit, praesertim si crura infestent: neque sedere, neque obambulare, sed conuiescere & otio vacare confert. Nam quietem & otium tan quam profutura commendat: stare autem & sedere minime prodesse ait, ut quae a conuiescendo sint diuersa. Etenim & tunc musculi, qui gestant corpus & a terra attollunt eriguntq; intensi sunt: iccirco stare nihilominus quam obambulare lassitudinem parit, ut quod & ipsum motus existat. Anima igitur quae corpus & mouet, & erigit, ablata, statim quod prius rectum erat, in terram inclinans uidebis. Quo constat etiam cum rectum erat, non fuisse citra motum, sed fuisse aliquid quod subleuaret, gesta ret, attolleretq; ipsum. Ego itaque ne decumbentem quidem hominem, si caput sublimius habet, pe des autem humiliores, citra motum omnino esse dixerim: sublabitur enim facile ad pedes ex sublimio ri in decliue uergens, nisi motu contrario huic renitatur. Haec sane & Hippocrates asserbat: Si ue ro praiceps agitur, & a lecto ad pedes delabatur, grauius periculum minatur. Nam ad pedes sublabi G decumbentem, uirtutis extremae imbecillitas nota est firmissima. Stare etenim, aut sedere, aut surgere non posse, graue quidem, sed minus graue periculum innuit: quippe multi aegrotantium ad haec deue niunt desinuntq; ad extremam nondum imbecillitatem prolapsi. At decumbere non posse uiuentis modo, sed hic quoque tanquam mortuum & inanimatum corpus deorsum ferri, extremum malum fa tetur: quod Hippocrates in commentario de humoribus, & Hippocrate, [hoc est, uirium deiectionem,] appel lauit: quod interpretes libri non intelligentes, multa nugati sunt. Nam deiectionem esse instar corporis inanimati, omni robore prorsus & soluto & perduto, & Hippocrate uocauit: ut non idem sit deiectionem esse cum eo quod est decumbere, sed quam habet proportionem delabi cum uerbo decumbere. Ita etiam in qui bus diuersum quidem est, ad terram deuolare, diuersum rursus in terram decidere. etenim aliud affe ctus, aliud actio est. Similiter igitur his, actio quidem decubitus est, affectus autem prostratio deie ctioq;. Sed quorsum haec mihi dicuntur? eo nempe ut illos qui aut crus, aut manum in altum sustulerunt, deinde ita ut habent feruant, ne immotos esse arbitreris, neque si unum eundemq; locum semper quam maxime occupent. At si nolis ita dispositis motum adesse, concedere, certe actionem ipsis omnino con cedas, & duplicatum hoc simplicis actionis robur adesse. Nam in simplicibus unum musculorum ge nus aut flectentium, aut intendentium artus, operatur. Cum uero extensos ipsos conseruas, utraq; mu sculorum genera pari robore functionem obeunt. Quod si huius memineris uera obseruans, quae prius dicebantur, inuenies, nempe quod ei qui nullum motum aggreditur, tremor non obueniatur: ut qui im potentis & infirmi motus sit accidens. Vnde cuius constat, corpus, cui moueri nequitiam licet, id neq; circa motum imbecille & impotens fore.

Quae sint loca affecta, & causa palpitationis & tremoris.

Cap. 5.

Palpitationem autem etiam ijs quae non mouentur, accidit. Etenim supercilium, palpebrae & oculus subinde citra omnem uoluntatem attolluntur. Vnde & hoc manifesto arbitror magnam habere uim, tum ad affectus naturae cognitionem, tum ad exactam a tremantibus discretionem. Siquidem quae in palpitantibus particulis eleuationes, depressionesq; apparent, distentiones quaedam sunt cor porum, quae ceu replentur, & eorundem subsidientiae quasi rursus inaniuntur. Quae uero tremantibus accidunt, totius membri motus est: qui interim deorsum quidem uerget, rursus autem ad superiora fer tur, sed non dilatatur neque contrahitur. Ea propter tota sane pars tremit, quam aliquid facere aggredi mur, nullo eorum quae in ea habentur, manente immobili: sed similiter quidem musculi, similiter his ar teriae, nerui, uenae, ipsaq; ossa, & cutis nunc sursum, nunc deorsum feruntur: palpitant autem non om nia. Neruum igitur aut os, aut cartilaginem, aut aliud quid huiusmodi, nunquam uideas palpitare. Non

A Non enim habet uentrem, quo uicissim dilatato & contracto, attolli quidem cum dilatatur, collabi autem cum contrahitur partibus liceat. Porro musculorum ne sit affectus tantum palpitatio, ut Herophilus opinabatur: an etiam cutis, aut arteriarum, ut censebat Praxagoras, id rursus considerabimus, si quidem ea speculatio ad loci affecti inquisitionem magis pertinet. In praesentia autem tantillum repetentes ad priora digrediemur, nempe quod palpitatio, distentio quaedam sit & subsidientia praeter naturam. Tremor autem motus praeter uoluntatem partium, quo sursum & deorsum uicibus permutatis ferantur. At idem non est neq; dilatari, cum eo quod est sursum ferri: neq; contrahi, cum eo quod est deorsum uergere. Etenim quae sursum & deorsum feruntur, priori loco relicto in alium transeunt: quae dilatantur autem & contrahuntur, ueterem sedem conseruata, partim ambientem regionem occupant, partim relinquunt. Quare moueri quidem utrisque commune, tum quae dilatantur contrahunturq;, tum quae sursum & deor sum feruntur. Peculiare autem, his sane minorem locum aut ampliorem occupare, ita ut ueteri non de ferant: illis autem semper loca mutare, ita ut nunquam in eodem maneat. Opus autem, opinor, erit hic quoq; di stinctione, ut in totum sermo uerus euadat. Subinde enim iam pluribus simul musculis, aut uno quodam insigni uehementer palpitante, attollitur quidem membrum una cum ijs, quae dilatantur: coccidit autem rur sus cum ijs, quae contrahuntur. Vnde inuitam eleuationem depressionemq; membri, tremorem uocare non oportet, cum uideas manifesto musculos palpitantes, a quibus membrum mouetur: ipseque motus non qualis tremantibus, apparet. Nam in ijs qui membrum totum in motu propter musculos palpitantes retinet, proprijs & sensilibus extremis uterq; motus circumscribitur. Tremantium uero affectus talis non est, sed altero motu adhuc incipiente, ut ita dicam, contrarium ipsi coniungi deprehendes, ut ad superiora latius semper deorsum tendentem excipiat: hanc autem ab illa rursus continue impediri, ita ut imperfecta quidem semper sursum latius, imperfecta quoq; deorsum inclinatio existat. At haec sane affectuum tibi nota erunt, ac his symptomatibus inuicem differunt. Reliquum est ut locum affectum & causam consideremus. Palpi tationum causam esse pronuncio spiritum crassum & uaporosum cui non sit transitus. Hinc autem colligi oportere dico in concauitate quadam non admodum exigua, si pars distentionem sensibilem habitura est, atq; totum hoc summam explicatum est. Ceterum oportet ut cum tu substantiam illam esse spirituale de monstras, causam addas, ob motionis ac solutionis celeritatem. Quid enim tam facile uel congregari, uel inaniri potest aliud, quam spiritus? Etenim quae hominem constituunt, ut Hippocrates nos docebat, sunt soli da, humida, & spiritus. Meminit autem ipsorum his uerbis, continetia dicens, contenta, & imperu ruentia. Contentia quidem solida nuncupans, ut quae comprehendant tegantq; humida: contenta autem, humores, ut qui a solidis comprehendantur: quae impetu feruntur, spiritus. Siquidem in oem corporis parte mo mento temporis, & facile, & citra impedimentum perueniunt. Citam igitur uacuationem, aut re pletionem, aut distentionem, aut subsidientiam, aut depressionem, aut elationem, aut alium quendam motum, nullum ex omnibus praeter spiritum effecerit. Quare & palpitationum causa, substantia qui dem spiritus: qualitas autem substantiae, humiditas est, & crassities, ut paulo ante dicebamus, cum crassum uaporosumq; nominaremus. Si enim aethereus foret, tenuis & purus, citra impedimentum transiens, neque repletur unquam, neque uacuaret partes: crassior autem quam meatus corporum exi gant, in quibus colligitur, reclusus intus (siquidem concauitatem corpus obtinet) hanc replens, & exci tat & distendit regionem circumsuam: sin minus, inter duo collectus corpora ab uno ad alterum transit, as cicitium sibi sinum efficiens. Hic sane modus secundus dictus, etiam in cute subinde palpitationes exci tat: non cute ipsa concauitatem quandam in se sortita, sed in spatio quod cutem & corpora subiecta in tercedit, spiritus tunc colligitur. Prior autem modus in musculis potissimum accidit, in his enim concau itates & multae sunt & exiguae. Praxagoras pulsuum arteriarum attribuit, sicut nimirum & palpitationem, tre morem & conuulsionem arteriarum affectus. ac pulsuum sane in naturali statu habere: palpitationem ue ro, tremorem & conuulsionem magnitudine inuicem differre, sed motus esse praeter naturam. Quod igitur non recte sentit, solis arteriarum palpitationem attribuens, haud difficile est deprehendere. Quippe ma nifesto uidere est frequenter & cutem palpitantem & musculos, cum nulla in loco sit arteria, uel si esse quandam contingat, ea sit admodum exigua. Vnde liceat manifesto alicui cognoscere, tantam disten tionem non ex arteriae magnitudine proficisci. Porro num recte nonnulli musculosis corporibus soli palpitationem attribuunt, id mihi multo dignius consideratione uideatur. Ego etenim etiam plane existimo arteriam manifesto non modo palpitans, sed etiam conuulsorium quid subinde representan tem inueniri, quemadmodum & alij pulsuum periti fatentur. Verum de hac disputatio prolixior est, & in libris de pulsibus comprehensa. Iam plerisque hominum non raro palpitationes in sola cute euidenter fieri apparent, cum uaporosus spiritus in aliqua ipsius particula generatus retinetur, & in transitu moratur: ita etiam si in musculis, aut alio quodam corpore spiritus flatulentus redun dauerit, in illa palpitationem excitat. Quoniam uero spiritus crassus, nebulosus, aut caliginosus, aut flatulentus, aut quomodocumque nominare uelis, palpitationis causa efficitur: ideo aetates frigidiores palpitationi obnoxiae sunt, natura corporis frigidior, regiones frigidae, anni tempus hybernum, uita oriosa, repletioni & ebrietati dediti, cibi frigidi & flatulenti, & ut semel dicam, omnia quae corpus refrigerant: quae uero his contraria sunt, palpitationes statim tollunt. Nam calefacientia spiritus attenuant, & corpora reddunt rara molliaque. Refrigerantia autem densant quidem, contrahunt, & corporum meatus cogunt conuicere: in crassant autem coarctantque, &

A. I. F. 2. d. 2. c. 13. p. 76. E

turbidum spiritum reddunt. Facile igitur retinetur a perspiratu impeditus, tum sua, ipsius crassitie, tum corporum, quæ ipsum continent, densitate. Calida rursus contrario refrigerantibus modo fundunt, laxant, corporum meatus aperiunt, ipsum spiritum attenuant, ad motumque facile incitant, facilesque ita transitus ipsi efficiunt. Quapropter etiam ueteres medici palpitationum remedia adinuenere, quæ extenuare & calfacere possunt: cuiusmodi sunt, quæ constant euphorbio, pyrethro, *lemnesia, sulphure & pipere, aliisque id genus composita: ite inter aquas, quæ e terra profiliunt calidæ, atque ex his potissimum nitrosæ, sulphuratae, & bituminosæ, easque commendant. Utuntur autem & marina calfacientes ipsam, & muria, si marina desit. Iam potui exhibent medicamenta calida, præsertim ex castorio confecta. Hoc sane etiam extrinsecus impositum, non modo epotum, generosum est medicamentum, ut quod calfacere simul & extenuare, siccareque abunde possit. Palpitationis sane cuiuslibet ex frigido generatio est: Tremoris autem neque una occasio, neque causa frigida est, uerum dispositio, facultatis quæ corpus mouet imbecillitas. Huius autem causæ, quæ huc corpus perducere potest, non una species est, sed uel alii menti inopia, quemadmodum in cholera, ualido alui profluuiio, largo sanguinis fluore, aut magno ieiunio: uel uitali robore soluto, quemadmodum in stomachicis, & cardiacis deliquijs: uel uiolento & ualido frigore occupante, aut plenitudine ipsa, ponderis modo degraunte, imbecilla ad motus efficitur. Vnde neque una remedium species tremoribus, quemadmodum palpitantibus, adhiberi potest. Verum si a perfrictione tremorem experiantur, calidum ipsis præsidio est. Nam qui per hyemem iter facientes, deinde ualido frigore correpti, semimortui & tremuli domum reuertuntur, facillime ab affectu liberati sunt, caloris adhibiti beneficio. Similiter his medemur, & illis qui per refrigerantes febriū insultus & rigent & tremunt. At si per sudorem digesti, fiant tremuli, ut in deliquijs cardiacis & stomachicis, calefacere hos extremum malum est. Quippe contrarium in his conuenit, nempe cutem densare, quæ refrigerant, adstringunt, coarctantque; meatus, adhibentes: non quæ calefaciunt, laxant & adaperiunt. Quod si penuria alimenti, ut in longis ieiunijs, aut immoderatis uacuationibus tremores oboriantur, hoc ne uerbis quidem indiget. Cuius enim constat, alimentum hos desiderare. Qui autem uiribus humorum copia grauatibus tremunt, his uacuationes remedio sunt: quemadmodum & Hippocrates alibi docet his uerbis: Est ymargei ancillæ, cui neque sanguis fluxerat, postquam filium peperisset: os autem uulua auersum erat, ac dolor in coxâ & crus pertingebat, ex talo sanguis detractus profuuit, & si tremores totum corpus occuparent. Sed ad causam ueniendum & causæ occasionem. Mulieris meminit, quod a partu celebri illa: secundarum puerperij purgatione, uacuata non esset: deinde tremor oboriretur. Hanc, inquit, sanam sanguine ex talo detracto: etsi tremores totum corpus occuparent. Quid iam aliud, hic obscure subindicat, quam quod alius sanguinem non misisset? Frigidum enim affectum tremorem esse creditur, sanguinem uero calidum. Non igitur ausus fuisset aliquis sanguinem uacuare in affectu, qui calefieri desiderat? Ego tamen, inquit, ausus sum: & rationem docet. Sed ad causam ueniendum est, & ad causæ occasionem. Id quod infestabat, inquit, & infestantis causam noui. Quod igitur infestabat, sanguinis copia erat: causa ipsius, uulua ad coxas inclinatio, propter quam mulier purgata non erat. Sanguis igitur quem uacuatum esse oportebat, non inanitus, sed in corpore oberans, naturæ pondus erat. Vnde tremoris causam intelligens, sanguinis copiam: occasionem uero causæ, uulua affectum: deinde copia quidem uacuationem indicante: parte autem affecta, locum per quem uacuare conueniebat: ambo hæc coniungens, sanguinis detractionem ex talo molitus est: hanc quidem, quoniam sanguinem uacuare uolebat: ex talo autem, quia uterus affligebatur. Quod igitur sanguine abundante uenam incidere oportet, nemo non nouit, si quidem in uenis ille continetur. Quod autem utero affecto circa talum, aut in poplite diuidere conuenit, nisi prius uenarum communionem ex Anatome didiceris, haud poteris id quod dico, assequi. Alia enim alij corporis parti uena communicat, oportetque uacuationes semper ex communibus moliri: nam si uenas quæ nihil parti affectæ communicant, incidere, neque affectæ medeberis, & sanam semper offendes. Necessarium igitur nunquam non uidetur, ut is qui recte medebitur, causam ex qua affectus oritur, cognoscat. Verum de tremoris causâ hæc sufficiunt. Locus autem affectus in tremoribus, unus necessario non est: atque hoc loco carpendus mihi uenit Praxagoras, & Herophilus: hic, quæ tremorem in nervoso ipso genere semper constitui ostendere contendat: ille, quæ arteriarum affectum, tremorem dixerit. Praxagoras igitur longe a uero abest: Herophilus autem deceptus est, qui uirtutis affectum, instrumentis attribuerit. Quod etenim nervosum genus, non arteriosum motibus uoluntarijs subministrat, recte intellexit. Quoniam autem non idem nervorum corpus, motus causa existit, sed hoc quidem instrumentum, causa autem mouens, uirtus quæ per nervos dispensatur, hic reprehendendus uenit, qui uirtutem & instrumentum non distinxerit. Si enim distinxisset, statim utique cum opus offendetur, non instrumentorum modo, sed etiam facultatum affectus esse deprehendisset. In mortuis igitur nullos neque nerui, neque musculi affectus experti sunt, quos pati ipsos & Herophilus & Praxagoras arbitrantur: deseruit autem eos omnis motus protinus unâ cum anima, cuius instrumenta musculi sunt, & nerui. Non igitur musculi est, neque nerui mouere, sed animæ. Neque enim tibiarum opus est, sonus qui ex eis perficitur: neque citharæ sonus, qui hac præstat: sed tibiæ cantus, opus quidem est tibiæ, per instrumenta tibiarum effectum: citharæ sonus, musici, instrumentum uero cithara. Corruptur autem & tibiæ sonus, subinde quidem propter operum artifices: interim propter instrumentorum,

A torū, quibus utuntur, offensam: ita & motus in animæ arbitrarij, opifex quidem artifexque; facultas est, quæ animal gubernat: instrumenta autem, nerui & musculi. Itaque non moueri, & male moueri, aut ex instrumentorum affectu, aut facultate his instrumentis utente, accidit. Palpitationes igitur, conuulsionones, & resolutiones, instrumentorum læsiones sunt: tremores autem, facultatis imbecillæ affectus.

Quid sit rigor, quæ illius causa, & quo pacto generetur.

Cap. 6.

Vetus interpretata habet. Quoniam uide mus corpora syncopizatiū causa stomachi uel solummodo cordis frigidari fortiter frigiditate, nec tamē manifestatur rigor in eis.

At tremor sane a palpitatione manifesto distinctus est, a rigore autem hoc pacto distinguas licet. Prius considerandum uenit quid sit rigor: etenim & hoc ex ijs quæ admodum sunt cognita, esse putatur, nihilo tamen minus difficile diiudicatum est: non hac modo ratione quæ causam inuenire, uel dispositionem, quæ ex ea corpori obuenit, haud procliuē sit: sed ante hæc adhuc quod in ipsa notione descriptione errare mihi illi uidentur. Rigorem, si quidē ita sermone absoluto, perfrictionē dixeris, ut nonnulli pronunciarunt, error manifestus est, cum multi quidē ualidū frigus sentiant, non tamē et rigent: imo nec si ualidā perfrictionē statuas, ne hoc quidē uerū est. Nā qui stomacho, aut cardiaco deliquio rigent, ualide quidē algēt, non autem rigore experiantur. Iam perfrictionē cum tremore, rigore dicere (in quā sententia plerique medicorum descendunt) occasione habet deceptionis, nempe concuisionē corporis, ac uibrationē quæ uehementibus rigoribus coniuncta est. Deprehenditur autem manifesto, quæ neque omnibus rigoribus acciderit, solis autem ijs, qui uehementē rigent: neque ijs, quibus accidit, affectus qui aduenit, sit tremor, sed quædā ueluti concuissio & uibratio. Tremor etenim, ut demonstrauimus, nisi partem mouere uoles, non accidit. Agitatio autem seu uibratio. Tremor etenim, ut demonstrauimus, nisi partem mouere corporibus incidit, ut conuiescere non liceat, et si strenue admodum renitaris. Ac tremor sane unius partis affectus, rigor autem totius corporis est. Vnde mihi & Platonē mirari subit, qui tremorē cum rigore confundat. Si enim qui rigore interpretati sunt, tremorē cum perfrictione, aberrarūt, quō ipse idē esse tremere & rigere existimans, uera prædicauerit? Nā præter ea quæ diximus absurda, et hoc adhuc ei refragatur, quod nonnulli tremant, nullū frigiditatis sensum experiūtes, non tamen fieri potest ut quis citra perfrictionis opinionē rigeat: iccirco neque illi qui rigorem perfrictionis sensum esse dixerunt, procul ab affectus notione abijisse uidentur. Non enim idē sane dixeris, perfrixisse & frigus sentire. Quæ uero resoluta sunt, torpida, difficili aut profus nullo sensu prædita, oia perfrixerunt. Item quod tremorem expertum est, paraplaxiam, epilepsiam, similiter & status, & aquam inter cutem, & inflationes, & œdema, totum frigidum est, sed nullum ex ijs frigiditatem percipit, unde neque riget: si autem sentiat, protinus certe & rigebit. Propter hæc itaque Platonem dico non recte opinari idem esse rigorem & tremorem, cum neque unius sit partis affectus rigere, ut tremere: neque sensus frigiditatis tremoribus, ut rigentibus. Et motus in rigentibus sane citra mouendi partes uoluntatem, omnino inuitis est: in tremoribus, non citra mouendi arbitrium. Sed Platoni sane aliquis forsitan condonauerit, quod in tam tenuibus & modicis rebus errorē admittat, quāuis aliorum affectuum corporis prope omnium generationē exacte sit persecutus. Athenæum autem Ataleum demirari par est: multo etenim Platone adhuc recentior, non in causæ rationibus modo Platonem sequitur, id enim tolerari poterat, sed etiam circa notionem similiter atque ille confusus apparet. Neque enim rigoris tremorisque; notionem distinxit, describensque; rigorem in hunc modum ait: Pugnam concuisionemque; hanc tremor comitatur, totus autem hic affectus frigidus, & causa efficiens idem nomen sortita est, ut (inquit ille,) & Plato affirmat: hic enim ipsam Platonis sententiam protulit. Habet autem uniuersa hunc in modum: Nam humorum corporis, partes grandiores, cum in minorum sedes subire nequeant, expellunt eos, & nostram in corpore minimam humiditatem trudent, aliam ab externo inæqualiter motam, neque immobilem propter æquabilitatem, & impulsione efficiens, coagulant. Quod autem præter naturam cogitur, secundum naturam ipsum sibi renititur, inque; contrarium repellit. In hac pugna & conuassatione tremor rigorque; consistit: omnisque; eiusmodi affectus, causaque; efficiens frigida est, atque eodem nomine appellatur. Quod sane neque tremori idem est rigor, nec perfrictio simpliciter, imo neque perfrictio ualida, manifesto ostensum est: quod autem paulo superius dictum est, nempe perfrictionem esse sensibilem, discutiamus num falso prolatum sit. Nonnulli enim rigorem non sensibilem esse frigiditatem, sed molestam esse arbitrantur: siquidem multi etiam ex sanis frigere admodum dicuntur, alij sponte refrigerij desiderio diutius in aqua frigida immorari: quidam etiam [huius usum] in frigida diutius uersantur, rigent autem non statim, quemadmodum nec qui lauit, deinde seipsum in frigidam contecerit: neque enim hic, nisi admodum diu immoretur, riget, etsi frigiditatis qualitatem manifesto sentiat. Quapropter, quantum ad frigiditatis sensum attinet, omnes hi statim rigent, si rigor frigiditas esset sensibilis, sed non rigent merito: non enim est omnibus cum dolore frigiditas, sed nonnulli ipsorum, qui æstiuo tempore ualidum calorem non tolerantes in frigidam sese conijciunt, adeo frigiditate oblectantur, ut tandiu in ea morentur, donec tangenti tibi glaciæ modo refrigerati esse uideantur. An igitur totum iam habebimus, si rigorem dolorificam molestiam definiamus? an quid adhuc desideratur? Forte enim non quilibet rigor ita finieris uenit. In agrotantibus sane non idem uidetur rigere, cum eo quod est horrere, aut algerē: dicimus igitur subinde accessibus insultum, huic sane cum rigore, alteri cum horrore, alij cum frigiditate sola oboriri: & in omnium medicorum commentarijs idem usus uerborum existit. Ita cum quis cum nulla concuisione corporis & agitatione perfrigescit, non hic riget, uerum si affectus rigor appellari debeat, inæqualem & præter uoluntatem motum ei accedere oportet: quod sine hoc accidit, si ne

cutem quidem inæqualiter commouet, perfrictionem nominant: sin autem hanc, quidem perturbet, E
 quatiatq; per quosdam insultus, corpus autem totum nõ commoueat, horrorem nominant: ut hic cutis
 solius affectus talis existat, qualis totius corporis rigor. At in sanis alio modo rigere dicimus, nempe
 in omni dolorifica perfrictione: sin autem ratione morbi obuenerit rigor, non satis est hoc tantum
 dixisse, sed totius corporis turbationem apponere conuenit. Quod aliqui inducentes, perfrictionem
 cum tremore ipsum appellarunt, manifesto autem non sunt interpretati: quippe tremorem nuncupare
 neutiquam oportet, sed agitationem quandam præter uoluntatem, aut uibrationem, aut concus-
 sionem, aut aliud id genus nomen inuenire: nam tremoris uocabulum de peculiari affectu enunciat.
 Qui igitur morbidum rigorem diffiniunt, perfrictionem, alium nullam dicere uidentur, quàm eum qui
 sanis accidit: etsi totum genus, de quo medici omnino disputant, etiam commemorati uiri diffinire sta-
 tuerint: morbidum autem uocamus, cum a nulla exteriori causa uiolenta corpus, sed ex se talem obti-
 net dispositionem. Ita enim, puto, Hippocrates quoque aiebat: Cum quis causone affligitur, si rigor
 superueniat, liberatur. Non igitur, aqua frigida febricitanti superfusa, rigorem excitabis, sed cum ex
 ipsa corporis dispositione sulcitur. In eundem modum & hæc sunt pronunciata: Cum rigore desipiē-
 tia, malum testatur: item obliuio, malum. Rursus: Sexto die rigores difficile iudicium notant: Nā rigores
 incipiunt mulieribus ex lumbis per spinam potius, sed & uiris potius retro quàm ante. In omni-
 bus his rigor non qui sanis accidit, sed qui morbidus explicatus est: qui nimirum est perfrictio dolo-
 rifica cum quadam inæquali totius corporis concussionem, agitationemq;. Cum igitur quid tandem ri-
 gor sit nouerimus, reliquum est, ut inspiciamus quæ causa sit efficiens, quas potissimum præcedentes
 causas comitetur, & quibus superueniat dispositionibus, ac de uniuersa ipsius generatione dispute-
 mus. Quod enim rigor natiui caloris affectus sit, omnibus fere in confesso est. Requirit autem to-
 tus hic sermo auditorem diligentem, & qui plurimum mentis habeat. Ego etenim natiui caloris af-
 fectum, rigorem esse dixi, ne quis externi dictum esse ratus, mentiri forsitan me opinetur contra Eras-
 stratam, Praxagoram, Philotimum, Asclepiadem, aliosq; plurimos, qui calorem non insitum, sed ascit-
 ritium esse censent. Quomodo enim hi natiui caloris affectum dixerint, qui prorsus natiuum calo-
 rem ignorarunt? Verum genuinum sane, ut diximus, non omnes calorem esse fatentur: genera-
 tionem autem ei ascititiam molentes, uarie alius aliam, unum hoc omnes cõcedunt, esse aliquod secũ-
 dum naturam in unoquoque animante calidum in conuenienti mensura æstimatum: ac circa hoc rigore,
 horrorem, omnemq; perfrictionem fieri aiunt. Asclepiades igitur, cum non modo calidum, sed ne
 aliam quidem ullam uim insitam statuisset, omnem febrim propter quosdam corpusculorum in me-
 tribus obstructions, semper constitui dicit: in magnitudine autem meatuum differentiam ipsius po-
 tens, molitur ita ostendere, quibusdam sane necessario coniunctum esse rigorem, quibusdam non. Ac
 ego nisi longiorem, quàm par est, sermonem fore sperarem, & præcipue iniquum censerem de Ascle-
 piade quidem solo agere, aliorum uero dicta omittere: aut rursus omnium mentionem facere aggredi-
 ens, in longam ac infinitam sermonis prolixitatem incidere me timerem, deinceps utique de omni-
 bus opinionibus contemplatus, unde unaquaq; probabilem occasionem haberet, quid potissimum
 eis imponeret, & ubi aberrarent, cum ostendissem, ita ad nostram descenderem opinionem. Verum
 hoc in aliud tempus differatur: neque enim Athenarum laudo, qui de Asclepiade, Heraclide Pontico,
 Stratone Phisico, aliquid dicat, nullius autem aliorum meminerit: etsi non modo horum opiniones
 de rigore, sed alias multo plures nihilo minus celebres & probabiles, explicare potuisset. Nos igitur
 initio hoc sumpto quod omnibus in confesso est, nempe rigorem affectum esse caloris in unoquoque
 animante natiui, uideamus quomodo oriatur. Procedet autem disputatio ex Hippocratis principijs,
 non autem corpuscula & meatus statuemus corporis nostri elementa: neque calorem, motus, aut attri-
 tus, aut alterius cuiusdam causæ sobolem pronunciemus, sed corpus quidem totum conspirabile &
 confluxile censemus: calorem autem non acquisitum, neque animalis generatione posteriorem, ve-
 rum ipsum primum, primogenitum, & insitum: Ac natura sane, & anima nihil aliud quàm hic existit. H
 Quare si substantiam per se mobilem, & semper mobilem ipsum intelligas, haud errabis, singula autem
 hæc seorsim indagemus, ctsi de ipsis alibi discere liceat: in presentia autem sermonis continuas exami-
 nanda est. Nam calor insitus ceu semper mobilis, neque intro solum, neque extra fertur, sed alter-
 rum ipsius motum alter semper excipit. Celeriter enim si intus calor maneret, in immobilitatem ces-
 saret: si foras efferretur, & hic motus dissiparet ipsum, atque hac ratione perderet: modice autem ex-
 rinctus & modice accensus, ut Heraclitus aiebat, semper mobilis ita perseverat. Incenditur igitur quã
 ad ima inclinatur, alimenti appetens: ab intimis elatus, & undequaq; dispersus, extinguitur. Verum ad
 superiora exterioraq; lationem, & ut ita dicam a suo principio explicationem, quod natura calidus sit,
 experitur: intro autem fertur & deorsum, hoc est ad proprium principium uiam inquit, quoniam frigidi ali-
 quatenus particeps est: quippe ex calido & frigido temperatus. Prima sane calidi ratione, sua sponte
 mouetur: atque hoc potissimum ad actiones indiget: magnū tamen ipsi usum & frigidū exhibet. Solet
 enim calidum in sublime attolli, ac cum eo alimentum adducere: si autem frigidum non obstaret, etiam
 longissime procederet. Fit autem frigidum huiusmodi caloris motui impedimento, ne dispersus abolea-
 tur: quippe periculum est, ne ipse præ leuitate & impetu sursum a corporibus discedat: sed frigidum re-
 tinet, impeditq;, & uehementiam nimij huius motus tollit. Redeamus igitur ad superius institutum,
 ostendentes

A ostendentes qualisnam natiui caloris affectus sit rigor. Quod etenim ubi in naturalibus temperamen-
 ti terminis manet animal, sanitate fruatur, uerbis non indiget: hoc est, cum ut Hippocrates aiebat, cali-
 dum & frigidum mutuo inter se temperamento mediocriter habent: sin autem alterū altero sit fortius,
 animal ægrotare necesse est, ea morbi specie, quæ causa superantis naturæ respondeat. Inflammationes
 igitur, erysipelata, herpes, carbunculi, affectus testantes feruorem æstumq; igneum, ac omnes febriles
 passiones, cum uis calidi euicerit. Contra cõuulsiones, tetani, palpitationes, stupores, resolutiones,
 epilepsia, & paraplegia, frigidi superantis affectus. Ex huiusmodi uitij unum est & rigor hic, non sim-
 pliciter perfrictio existens, sed cum sensu: unde adijciendum ei est, subita ac uniuersim facta. Præterea
 uehementem perfrictionem & uiolentam esse oportet, ut ex manifesta distinctione uera colligas, rigore
 insiti caloris perfrictionem esse subitam & uiolentam. Rursus enim, ut Plato dixit, quod sensum &
 paulatim sit, insensibile: quod autem sensibile, necesse est hoc uehementer moueri, & tremere subito.
 Quare perfrictio quidem insensibilis, longiori temporis spatio & paulatim accedit: cita autem & emer-
 gens admodum, cum sensus prorsus contingit: neque enim huiusmodi affectus latere poterit. Iam talis
 affectus cum frigiditatis sensu non omnis dolorem adfert, sed interim etiam uoluptatem, ex Plato-
 nis nimirum testimonio, cuius uerba ita habent: Affectus præter naturam, & uiolentus, subito accidēs
 dolorificus est in nobis: quod autem ad naturam redit subito, suaue est. Quare, subito, utriq; & suaui &
 dolorifico commune est, necessario, ne affectus lateat, coniunctum. In hoc autem, quod non latenter
 unum & idem numero frigidum, partim oblectat, partim dolorem infert. Si quidem corpori præter mo-
 dum calfacto admoueat, omnino oblectat: nam immoderato calore laboras ob deficientis frigidi in-
 gressum mitigatum, oblectatur quidem cum mitigatur: suam autem naturam obtinēs, si subito refrige-
 res, dolore afficies: nam ob temperamenti immoderationem laborabit. Si quidem, ut ait Hippocrates,
 subitam & uehementem frigiditatem esse oportet, ut rigor oboriatur, sed adijciendum huic adhuc est
 uiolentiam passionis, hoc est præter naturam statum, ut rigor sit, subita perfrictio in statum præter natu-
 ram perducens. Atque hoc mihi obseruandum in hoc sermone uidetur: præsertim si de affectus genera-
 tione uera quis pronūciaturus est, ubi dixerit in rigore subitam uiolentamq; natiui caloris perfrictio-
 nem fieri. Refrigeratur itaque etiam cum dissipatur, robore, quod continet ipsum, destituente: item ali-
 riuntur, rigerent. Quapropter corrumpi calidum, ut ita dicam, omnibus morientibus commune est, nõ
 tamen rigentibus. Non enim absoluto sermone calidū refrigerari oportere assero, sed & subito & uiol-
 enter, hoc est robustum ipsum perseverans, neq; substantia, neq; tenore lassum ab exteriorum causarū
 aliqua molestari. Considerato mihi flammam extrinsecus, interim materiæ, unde accendebatur, defe-
 ctu interire: interim in sole splendido contabescere ac emori: rursus ab aqua multa extingui, aut ligno-
 rum super eam cumulatim iniectionum copia suffocari: quatuor hæc accidentia quatuor de causis, non
 eodem omnia modo, flammam efficiunt. Eius enim quæ in sole contabescit, robur dissipatur, aeris nos
 ambientis uiolentia discussum: nam radiorum solis robur igne fortius est, & durabilius. Cum uero ma-
 teria defectu non amplius accenditur, substantia deperdit, interit. Quod enim accensum est, semper
 eo destituta, imbecilliter adeo secunda uice porrigitur. Materiæ autem copia grauata & respiratione
 pugna enim ualida flammæ est aduersus omnem & synceram & multam humiditatem, ut si & oleū ipsi
 cumulatim exhibeas, necessum est strepitum & concussionem quandam oboriri, igne propemodū uiol-
 entiam fatente. Talem sane affectum in caliditate insita, rigorem intelligito. Neq; enim cum ma-
 teria inopia calidum laborans, nec alimentum sentiens contabescit, nec cum a copia ipsius grauatum,
 deinde prohibetur. Propter hoc ipsum etiam agitari corpus accidit, duplici hic quoq; & cõposito mo-
 tu oborto, ut in tremētibus, sed diuersa ratione. Illic etenim facultatis corpus mouentis imbecillitate,
 mixtus motus ortus est, prout robur membrum erigens remiserit, parte semper deorsum sublabente.
 Nunc autem naturali caloris motu ui impedito, rigor occurrit. Cupit etenim tanquam nec substantia,
 nec robore oblassum expandi, tum in omnes corporis partes distribui: prohibitus autem, & ui in al-
 tum repulsus, ad proprium principium refugit. Cum autem ibidem manere nequeat, (nam substantiæ
 semper mobili, loco consistere, mors est,) sese colligens & ueluti in unum congregans, æquabiliter sane
 non intro libero motu protenditur: sed uehementi latione utens, & ueluti a carcere exiliens, nonnun-
 quàm insurgit motu aduersus ea, quæ transitum ipsius occupant: illa sane propellere, uias autem puras
 reddere contendens. At cum in ea impingit, a latione sane impetuosa cohibetur, totū autem corpus cũ
 incidit, perturbat. Nam præter alia etiam uaporosus nunc redditus, dum illiditur in ea quæ obstant,
 intro rursus resilit, ceu ictu repercussus, ac iterum ad principium reuertitur: inde rursus erumpens inci-
 dit uiolentius, iterumq; resilit, etiam in hoc illapsu: idq; frequenter per successionē fit, quàm diu noxia
 perseverant. Hac itaq; ratione affectus dolorificus, tanquam corpore ictibus laborante, & motus in-
 æqualiter inuadit, & in utroque motu animal riger. Nam cum in naturali statu erat, connatus noster cal-
 or

lor æqualibus & liberis transituum uis utebatur, tempore & mensura motus in se inclinans, deinde se explicans: cum autem riget, neque inclinationes, neque explanationes motus existunt. Iustus autem dixerit ipsum intro quidem proficiscens, (utar autem non meis, sed ueterum uirorum uoculis) resiliere, impelli, reprimi, & confugere: foras autem tendentem, erumpere, excuti, elabi, & exilire. Etenim & hæc uerustiorum hominum dictiones, omnes probe prolatae sunt, & affectum accidentem, quam licet maxime, manifesto interpretantes. Agitari autem dico omnia in corpore, & concuti, turbariq;: ac omnis in rigore motus inæqualis, inordinatus, citra uoluntatem eueniens, ob inæqualem, ualidum, & uiolentum illapsum inuasionemq; & repulsum caloris insiti, uaporosi reddit, perficitur. Idcirco corpus post rigores amplius recalescit, quam cum in naturali statu calidum erat. Iam effunduntur etiam sudores: cum enim per multos insultus noxia libere propulerit, & absolute respirauerit, tribus de causis corpus incallescere necesse est. Primum, quod frequenter calor a perspiratu exteriori represso in alto colligitur: deinde, quod nunc totus foras uehementer expansus est: postremo, quod caliditas insultu, ictu, uiolentoque motu accendi soleat. Ac lignum, aut lapidem atterens, confricansq; nonnunquam ignem accendit: at insitus spiritus, cum natura sit calidus, si uehementer moueatur, non multo magis accenditur? Sed hoc in naturalibus motibus euidenter uidere licet. Nam currentes, luctantes, confricansq; ac alio quodam modo se mouentes, nihilo minus incallescunt, quam si quis in sole aestiuo, & apud ignem incaluerit. Subinde accidit etiam in huiusmodi ex alto reditu, calorem ceu feruidum, aliquid humorum confertim effundere, quem sane sudorem appellamus. Quocirca post rigorem, refrigeratum non recallescere iterum, malum est, nam calor inter pugnandum uictus est. Vincitur autem, nunc causæ offendentis robore, nunc cum ipse est imbecillior. Sic itaq; & illud dictum est: Ex rigore mutus non recalescens, malum. Rursus, dispositiones utraq; ob quas rigores fiunt exitiales docens inquit: Post oculorum peruerisionem in febris laboriosa rigor superueniens mortem fatetur. Hic sane rigor ualida causæ soboles est: alius autem propter uirtutis imbecillitatem, lethalis. Si rigor incidit febri non intermittente, ægro iam imbecilli, exitialis. Verum de his alibi uberius dicitur.

Frigiditatem solam rigoris causam non esse.

Cap. 7.

In præsentia uero considerandum uenit, num omnes fere rigorem frigidae causæ merito attribuant. Quod enim frigidus affectus sit cuius constat: an autem & causæ ipsius efficiens talis existat, inspectione mihi dignum uidetur. Tertiana igitur exquisita, si quid aliud, certè rigor nota est: nam accessiones unà cum uehementibus rigoribus inuadunt. etsi febrem hanc nemo uel insanus ex frigido constitui humore dixerit. Causos enim est genere, tanto altero causo continuo inferior, quanto calor febris & flammeus & perurens deficit. Sitis autem indelebilis, & refrigerij, desiderium, bilis meræ uomitus, & quod post hunc æger melius habet, quomodo non sunt omnia manifesto ob calorem redundantem? Quomodo igitur rigent in tertianis, quomodo in causis, hoc est ardentibus febribus continuis, si non intermittentes, sed perpetuo urentes affligunt, rigor superuenit, & febrem per crism soluit? Ei enim qui causo affligitur, ait Hippocrates, si rigor superuenit, morbus soluitur. Imo acre & calidum medicamentum ulceri admotum, primum sane dolorem infert, mox horrorem, deinde rigorem excitat. Ac multos nouimus tum riguisse, tum febricitasse, ob ulcera ab acris medicamentis irritata. Iam & inflammationem, cum in abscessum mutatur, rigorem horroremq; comitari necesse est. Multarum uero & aliarum dispositionum mentionem facerem, in quibus rigor ob acrem potius quam frigidum humorem clare constituitur, nisi sermonis prolixitatem uitarem. Ne igitur frigido soli compulsi rigorem tribuamus: quoniam & horrendum aliquid auditu & spectatu, nonnunquam & rigorem, & horrorem facit. Hoc sanè & Plato, non tantum Hippocrates, edocuit. Cum igitur de morbis, qui ob flauam bilem fiunt differeret, rigoris etiam meminit: unde tum aliorum multorum gratia, mirari subit medicos post illum longe natos, tum in sermonibus de rigore maxime. Quomodo enim non graue est, si Plato non medicus nouit etiam ex bili nonnunquam fieri rigorem, causamq; inuenire studuit: hi autem tantum ab huius cognitione omnino absunt, ut ne ex bile quidem & acri quodam humore, excitari rigorem Hæc sciant. Sed difficile est, ut causam inuenias, quo modo ob acrem calidumq; humorem frigidus affectus constituitur: forsitan autem inueniri difficile non est, si quidem & Plato inuenit. Multo igitur satius erat: si re uera inueniri difficile est, non euertere conari rem, euidenter apparentem, sed causæ ignorantiam fateri: tollere autem id quod apparet, simile est ac si fatearis ne uidere quidem nos, eo quod ignoremus quomodo uideamus. Quod igitur nihilo minus ob acrem & calidum humorem quam frigidum & congelantem rigor excitatur, longe uerissimum est. Deinde inspiciendum est, num frigidum aut acre simpliciter abundare oporteat, ut rigorem possit excitare: Postea autem illud multis incertum diffiniemus: neque enim simpliciter frigido humore redundantem, neque simpliciter acri, rigor oritur. De frigido sane superius manifesto ostendi, cum in memoriam reuocarem omne quod œdema representat, torporem, paralytin, & aquam subter cutem. De calido autem & acri, nunc tibi indicabo. Nam malis humoribus præditi. (κακός χυμὸς dicuntur) arq; uati, & febricitantes acute, causoq; occupati, omnes rigerent. Neque igitur simpliciter, aut frigidum humorem, aut acrem ad rigoris generationem abundare cõuenit: sed peculiarem utrique ipsorum modum esse oportet. Erit autem modus (neque enim totum sermone persequi ueris studiosis detrectandum est) aut copiae mensura, aut humoris qualitas, aut locus aliquis corporis, in quo hunc colligi oportet. Erit autem & in eo quod loco manet, aut mouetur, & in motus modo,

A modo, haud parua differentia. Ad has igitur ipsas Plato quoq; respiciens, dicebat: Cum fibræ in sanguine hanc sane uim habeant, bilis, uetus sanguis facta, natura, ac rursus ex carnibus in hunc liquata, calida & humida paulatim primum incidens, propter fibrarum facultatem congelatur: congelascens autem & uel restincta, hyemem tremoremq; intus parit: copiosior autem influens, caliditate quæ ab ea uenerat, fibras exuperans, præterq; modum exæstiuans, conseruat. In his Plato omnia conatus est perfecti, quæ in omnibus affectus generibus scire cõuenit. Nam speciem humoris dixit, bilem ipsum nominans. Indicauit & qualitatem, calidam & humidam appellans, unde etiam huiusmodi bilis exoritur: nã ex carne liquecente ipsam fieri protulit. Iam & locum in quem fluit, adiecit, ex eo quod indicat bilem influentem a fibris in sanguine contentis, concrelescere. Huic orationi etiam affectus generatio adiuncta est, ubi hyemem tremoremq; fieri pronunciauit: hyemem sane nominans, frigiditatis in rigoribus sensum: tremorem autem, inæqualem concussionem & agitationem. In qua non hunc modo, sed etiam medicorum plerosque hallucinatos dicimus. Nos. n. superius motum in tremore obortum, ab eo qui in rigore accidit, distinximus. Cum igitur ait, copiosior influens fibras euicerit, corpus exalfacit, ad suam ipsius uim fibras transmutans uice uersa, ut ipsa prius ab illis mutabatur. De ueritate igitur eorum quæ Plato dixit, considerare propositum nunc non est, cum in alijs commetarijs simus tractaturi, sententiamq; laturi de his quæ in Timæo memoriæ mandauit. Quod autem nihil omisit eorum quæ dici conueniebat ab illis qui de rigore pronunciant, id iam ex uerbis ipsius apparet. Etenim humorem dixit a quo rigor nascitur, & locum in quem fluit, motusq; speciem: præterea modum quo refrigeratur, & rursus incallescit corpus. Itaque de Platonis opinione in expositione eorum, quæ ipse in Timæo medice prodidit, examinabimus. Nunc autem nostram proferimus sententiam, accommodantes ea, quæ ex Hippocratis opinione paulo ante comprehensa sunt. Etenim calidorum medicaminum applicationibus nonnunquam solus horror, sæpe & rigor superuenit, quemadmodum in ardentibus quas causos appellant, & tertianis febribus, cum flaua bilis non in uasorum conceptaculis, sed per carnes mouetur: uel quod copiosior hic humor in ipsis creatus sit, uel quod per ipsas a natura expurgetur. Hac enim ipsa ratione solas ardentes febres a tertianis differunt. Etenim ardentes, in uasis bilem habent: tertianis extra uasa, per sensilia corpora fertur: nã dum per ipsas rapitur, acrimonia offendens dolorẽ excitat. Contingit igitur interea duo quædam fieri, inclinare nempe in corporis altum, sanguinem, atque ideo exteriora eius refrigerari: particulas autem ipsas corporis, in quibus bilis consistit, unamquæque ipsam a se ad uicinam excretrice alienorum facultate propellere, usque dum ex omnibus abacta, per sudores, aut uomitus, aut etiam per aluum fuerit excreta. Hoc autem & cruditate laborantibus, aut uitioso humore plenis, aut in sole aestiuo, aut balneum descendentibus, aut exercitatis accidit: horrore itaque nonnulli ipsorum statim corripuntur, & rigent. Conuenit autem non modo causam quandam in nobis esse mordacem, sed etiam uehementer agitaram, factura est rigorem. Ac communi hoc utriusque causarum generi accidit, & quæ frigida, & quæ calida facultatibus existit, nempe ut corpus dolorifice moueat. Ideoq; in quartanis febribus & tertianis rigor simul inuadit, etsi ab humoribus cõtrariis facultate constituantur: frigidus etenim melancholicus humor, calidus autem flaua bilis. Non absolute autem abundare ipsos dixi oportere, qui aut rigorem, aut horrorem sunt facturi, sed etiam motu uehementiori per corpora sensibilia ferri. Quo autem tempore sanguis, & cum eo etiam nimirum caliditas in altum corporis & uiscera refugit, cutis particulæ, curum manuumq; extrema, frigida & exanguia redduntur, eo quod plurimum a uisceribus absunt. Si igitur in alto calorem insitum extingui contigerit, uel suffocatum inde quod foras non transpiret, uel a frigidis causis euictum, animal emoritur. Sin autem in altum quidem refugiat, causis autem lædentibus collectus resistat, in hoc ueluti instrumentum efficitur facultatis alienorum expultricis, quæ in omni corporis particula consistit. Ipsa enim iam per se noxia expellere nata, multo id magis efficit calor ex alto emergentis subsidio, qui simul ea, robore lationis, in quodcumque procliuius ei fuerit, eijcit. Subinde igitur noxia per cutem excutit, subinde per uomitus & uentrem inferiorem. Ceterum non modo ex flaua aut nigra bile rigor, sed etiam ob frigidam admodum pituitam fieri solet. Vocat autem hunc humorem Praxagoras *καλός*, hoc est uitreum: uerum talis rigor neque uehemens est, etsi diebus nonnunquam plusculis deinceps perseueret. Conquiescentibus autem nobis, & nullo modo agitatis ipse quoque cessat: motus uero statim comitatur pro motus mensura: ob ualidiores & robustos motus, uehementior: ob imbecilles, lenior. Vidi hoc symptoma mulieribus magis quæ uiris accidere, ac ijs mulieribus quæ in ocio maximo degebant, & balneis post cibos utebantur. Noui & adolescenti cuidam ex nostris contubernalibus in Alexandria accidere, cum primùm ad ipsam appulimus initio autumnus. Ingefferat autem hic pluribus deinceps diebus palmularum glandes multas, teneras, & recentes, & post balnea, & ante hæc: erant autem plures ipsarum non exacte maturarum. Accidit itaq; ei, ut primùm post exercitium & balneum a uehementi inciperet horrore: propter quæ & opinatus se febricitaturum decubuit, & uestimentis contactus, conquieuit. Cum autem tota nocte transecta febri careret, surrexit mane ad consueta munia reuertens: horrorem interea sentiens, iterum decubuit, quieuitque usque ad balnei horam: ac cum ob balneum rursus surrexisset, horror uehementior inuasit, eratque accidens rigor quoque iam exiguus. Tunc igitur omni modo febricitaturum se arbitratum, multo adhuc magis in quiete se continuit. Cum autem toto die nocteque insequenti experiendo deprehenderet se ob mediocres motus horrere, si quando largius moueretur, rigere: consilio nostro

nostro de ijs, quæ fieri expediebat, usus est. Ego itaque memorans huiusmodi quiddam mulieri in Asia nostra accidisse, familiarem & metu liberaui, & adhortatus sum ut cibis, potionibus, & medicamentis uteretur, quæ & calefacerent & crassitiam humorum dissecarent. Ille igitur hoc pacto conualuit. Post illa similiter affectis per initia quidem dedi medicamentum ex triplici pipere, quod dia trion pepercon appellant: deinde nostrum diacalaminthes: postea ex liquore cyrenaico & castorio compositum, quod etiam quaternarijs circuitionibus est utilissimum, præsertim ubi a rigore uehementi algeſcunt. Ne mireris autem, si apud ueteres medicos scriptum inuenias, febriem comitari necessario rigores, qui sine frigore obueniunt externo, ex ipsa corporis dispositione prodeuntes. Nihil enim tale ueteribus, nec balneis tot post cibum, nec uita otiosa utentibus accidit. Hoc autem tempore ambo hæc frequenti in usu habita, etiam rigorem hunc, qui quod excaſſerit nequeat *απὸ κέρματος* appellatur, excitant, nouū quoddam & peregrinum accidens propter uictus nouitatis rationem: omnibusq; ita affectis uel tensionis, uel grauitatis sensus in dextro hypochondrio oritur, ubi iecur situm est, uenis nimirum ipsius; crassitie humorum infarctis, obstructisq;. Quemadmodum autem grauitatis & tensionis in uiscere sensum affecti habent, ita & rigorem percipiunt, ab eo qui quartanis & tertianis accidit diuersum. Nam in quartanis talem ipsius rigorem fieri affirmant, qualem cum per frigidum ualidum iter faciunt. In tertianis item & causis, id est urentibus febribus, tanquam ab aciculis acutis & tenuibus in carnibus lancinentur, pungunturq; subinde sentiunt. Ego itaque & ipse quartanarum rigoris imperitus sum, alterum autem expertus, ut qui in iuuentute quater tertiana febre laborauerim: causo autem semel. Quare de dicta rigoris qualitate in huiusmodi affectibus, testimonium ferre possum. Qui autem quartanarum rigorem experiri sunt, ad ossa usque pertingere dicuntur, cum sit uehemens similis rigoribus, qui ex ambiente nos aere admodum frigidum nascuntur. Verum hoc quoq; tertianis causis que febribus adijcere possumus, quod quartanis non inest. Etenim plurimi sentiunt, & calorem per imas partes in ipso rigoris tempore sentiunt, quorum neutrum in quartana febre regentibus accidit.

Quid conuulsio & a quibus causis excitetur.

Cap. 8.

Quoniam uero & de rigore abunde dictum est, reliquum fuerit etiam de conuulsione adhuc uerba facere. Erit autem neque longus, neque obscurus sermo, si quis eorum quæ hæcenus recensui memorauerit. Incipiam autem etiam nunc a repetitione eorum, quæ in libris de musculorum motu ostendi. Cum enim omnes arbitrarij motus, musculis obeantur, quando ad sua ipsorum capita retracti uidentur; particulam, cui inferuntur, simul attraxerint: si affectus aliquis in tensionem ipsos ducens, acciderit, hunc motus sequitur, similis quidem naturali, sed citra uoluntatem, ac uocatur affectus, conuulsio. Quod autem musculus & tenditur & conuellitur ad suum principium, sicut & quod illa corporis particula, cui inferitur cum ipso simul attrahitur, commune & sanis & conuulsis existit: quod autem inuitro hoc accidat, præter naturam affectus inest, non sanis. Si igitur a quot causis neruola corpora tendantur inuenerimus, finem sane & hic iam sermo nobis accipiet. Atqui nihil est eorum fere quæ extra corpus sunt, chordis neruosi. Quas quotidie & in liris, & in citharis ab artificibus intendi quidem uideamus, ubi instrumentis usuri sunt: remitti autem, cum cessantes ea reponunt. Porro rumpuntur in immoderatioibus aeris temperamentis, in humidis sane & austrinis commadefacta: in siccis autem & aqulonijs, siccescentes. Propter hoc igitur remittunt ipsas cum seponunt, præsertim ubi ambiens fuerit qualis dictus est. Rumpuntur enim utroque modo tensæ. Considerato mihi & neruos & tendines in animalium corporibus uel distentos a superflua humiditate, uel siccescentes a causis siccantibus, in tantam perducuntur tensionem, in qua sanis motus fiebat arbitrarius. Considerato item fieri posse ut particula quædam corporis quæ aut inflammatione, aut alia quadam causa ualide sit affecta, neruos continuos secum attrahat conuellatq;. Etenim cum has omnes dispositiones mente conceperis, ob quas conuulsio oritur, inuenies. Si quidem inflammationes neruosarum partium ac præsertim cum in neruorum principio aut etiam prope ipsum generantur, neruos continuos attrahentes tendunt: quemadmodum extrinsecus artifices, chordas. Si autem neruosa corpora ab humorum copia madefacta tendantur, similis intera affectus oritur atque chordis, quæ propter ambientis humiditatem uehementius intenduntur. Contra in malignis febribus ardentibus, quas causas appellauimus, & ualida phrenitide fieri apparet. Vt enim lora quæ prope ignem siccescentia contrahuntur tendunturq;, eodem modo spasmi fiunt, ex nimia morborum siccitate, quæ neruosum genus admodum arefacit. In ardentibus igitur febribus, id ex sola siccitate euenit: phrenitides etiam ex principij neruorum inflammatione symptoma comitatur. Nosti porro iam hunc affectum partim emprosthotonon esse & dici, partim opisthotonon, partim tetanon, omnes habere pro confesso. Cum sane prorsum corporis particula tenduntur, emprosthotonon: cū in posteriora, opisthotonon: æquali aut robore ad utraq; partes uergentem, tetanon. Ac ex siccitate conuulsiones nunquam sanaueris, quippe ita affecti protinus emoriuntur, ne cogitandi quidē remedij tempus permittentes. Quæ autem ex copia aut inflammatione fiunt conuulsiones, his medeberis, copiam sane euacuans: inflammationem uero proprijs ipsius remedijs per sanans, quæ in medicatorie methodi libris didicisti.

GALENI

Iunio Cornelio medico interprete.

Nunc diligentius recogniti.

ARGUMENTVM LIBRI.

Docet causas omnes simplicium & iunctarum difficultatum respirationis, ac primo libro certis utitur principijs, ut huiuscemodi causæ & ex ipsis prænotiones iudicentur.

Qua uia a ratione læsionis in respiratione differentia inueniendæ. Cap. 1.



Quod respirandi difficultas respirationis quædam læsio est, uelut sentiendi difficultas ipsius sensus, & mouendi difficultas ipsius motus, ipsum sane nomen [tum Græcis dyspnœa, tum Latinis respirandi difficultas] sufficienter demonstrat. Quot uero sint læsionis differentia, & ob quas causæ fiant, & quo modo singulas dignoscere oporteat, non ex appellatione discere contingit, sed natura ipsa respirationis id ipsum indicabit. Ob id sane etiam cognitio eius quod secundum naturam habet, a ueteribus medicis omnibus inuestigata est, cum ob alia multa, tum nihilo minus indicationis eorum quæ præter naturam sunt, gratia. Quandoquidem enim unum est quod secundum naturam habet, atq; id uelut regula & mensura & sibi ipsi simile existit: uarium autem & dissimile, & multiplici errore inuolutum est quod præter naturam habet, adeo ut propemodum sequatur, multitudine esse infinitum, arte uero incomprehensibile: uisum est ipsis impossibile esse, eius immensitatem certis terminis comprehendere, citra cognitionem eius quod secundum naturam habet. Cum enim unum sit hoc, & animali commodum, palam est etiam esse moderatum. Si uero hoc moderatum est, immoderatum utique fuerit id quod præter naturam habet. Si uero immoderatum, duplex quidem omnino genere est, aut enim deest quid ab eo quod iuxta naturam habet, aut excedit: Tot autem in seipso particulares differentias habebit, quot possibile est ipsam rem suscipere, circa moderati excessus & defectus. Suscipit autem simplex duplices, compositum uero ex pluribus duplicatas, iuxta numerum eorum quæ ipsum componunt. Si igitur unum quiddam & simplex est respiratio, duplices quidem habebit immoderatas, duplices etiam genere respirandi difficultates. Si uero non unum, duplicatas habebit differentias iuxta numerum eorum quæ ipsum componunt. Itaque si hæc manifesta simulq; compendiarie est doctrina, merito longa censetur quæ præter hanc aliquid tradit.

De primis & simplicibus difficultatis respirandi differentijs.

Cap. 2.

Al. 3. f. 10. T.
1. c. 1. p. 477.
A

At uero cum duæ quidem sint primæ & principalissimæ totius respirationis partes, inspiratio uidelicet & expiratio: duæ uero aliæ per accidens, nimirum quæ interueniunt cessationes: in quatuor sane his uniuersa consideratio de respirandi difficultate consistit. Quare oportebit omnino unam ex prædictis, aut plures, aut simul omnes aberrare, & ab ea quæ secundum naturam est specie corruptam, si difficultas respirandi debet generari. Verum manifestioris doctrinæ gratia, non malum fuerit simplicem appellare respirandi difficultatem, quæ unam totius respirationis partem singulatim occupat. Compositam uero quæ in pluribus consistit. Atqui cum posterius sit semper compositum simplicibus, iuxta rationem utique fuerit, de his quæ natura priora sunt, prius mentionem facere. Quare a simplicibus respirationis difficultatibus initium sumemus, atque ubi has sufficienter explicauerimus, postea tum motus, tum cessationes, & mutuo, & per se uicissim permutantes, ita etiam compositas inueniemus. Quæ igitur sunt naturales differentia spiritus extra & intra meantis? & quæ item utriusque cessationis? hæc enim erant omnes respirationis partes. Quandoquidem duo ex his quas diximus partibus, motus sunt, spiritus uidelicet extra & intra means, duæ uero hos distinguunt cessationes, generatio autem motibus quidem composita, cessationibus uero simplex est, conspicuum plane est illorum immoderatas plures, cessationum uero binas generari. Hæc nanq; simplices existentes, iuxta temporis quantitatem solum differentias habent: motus uero non solum iuxta hanc, sed & iuxta quantitatem spatij localis per quod feruntur, differunt. Itaque duplices quidem erunt immoderata ipsorum quemadmodum etiam cessationum, utraq; iuxta temporis quantitatem diductæ, iuxta quas aut ueloces aut tardi appellabuntur: duæ uero adhuc aliæ iuxta quantitatem distentionis organorum respirationis differentes, secundum quas aut magnos aut paruos appellant. Siquidem enim inseparabilia sunt ab omni circa locum motu, tum tempus in quo id quod mouetur, mouetur, tum spatium per quod mouetur: ob tempus quidem, uelociter aut tarde motum fieri dicimus: ob spatium uero, multum & modice: uerum distentionem organorum

ganorum respirationis: non modicam & multam, sed paruam & magnam appellare in usu habemus, ueluti etiam contractionem: eadem enim ratio utriusque motus existit. Quemadmodum autem motui propria sunt uelocitas & tarditas, ita & quantitati cessationum, raritas & densitas. Densas namque uites & oleas aut quodcumque tandem huiusmodi, plantari dicimus, cum breuissimum spatium ipsorum distantia indicare uolumus. Sic & raras cum multus locus in medio plantarum corporum fuerit relictus. Et ut in summa dicam omnia ex pluribus distinctis composita hæc nomina usurpant. Quando igitur & ipsa respiratione ex contrariis motibus per cessationes distinctis composita est, densam ipsam reddet breuitas cessationum, raram uero longitudo. Hæc quidem igitur uniuersæ sunt simplices respirandi difficultatis differentia, atque hæc sane ipsarum nomina, tum priscis alijs medicis, tum Hippocrati in usum recepta. Si uero quisquam aliter appellare uelit, quemadmodum iam quidam ex recentioribus medicis solent, non sibi nihil interest. Verum sciat hic quod neque Hippocrati familiaribus, neque etiam alijs ueteribus, immo nec alijs Græcis, [aut Latinis,] usurpatis nominibus utatur. Et si hos negligit aut contemnit, neque proprie, neque perspicue interpretatur. Si namque unum nomen ambobus tribuit, motui uidelicet & cessationi, siue uelocitatem solam siue densitatem, & rursum in contrariis siue tarditatem solam siue raritatem, & reliquis in totum non utitur, obscuritatem palam hic inducit. Multo. n. lucidius esse opinor unicuique rei seorsim unum nomen ipsique proprium indere eoque perpetuo uti, cum sciam quod communia nomina quæ alterum non magis quam alterum significant, auditorem confundunt & perturbant, ut non cognoscat quid sit tandem quod dicitur, priusquam æquiuocatio distinguatur. Si uero unum etiam singulis rebus quis imponat nomen, non uero quo nos distinximus modo, sed uice uersa, uelocitatem quidem & tarditatem tribuat cessationibus, raritatem uero & densitatem motibus, haud scio quid sibi uelit per improprium & inusitatum nomen usum, quem pro proprijs & consuetis inducit. Quod enim omnes qui nunc uiuunt homines atque etiam antiqui, tarditatem & uelocitatem de nulla alia re prædicant præterquam de his quæ mouentur, nemo ignorat. Quam sapiens itaque se perperasse factum iactabit, qui nomen usum adeo transposuit, ut cessationes, motuum nominibus appelleret, & quam sapienter factum, si cessationum nomina actionibus imponat? Quemadmodum. n. & uites & oleas densas, ubi modica interest distantia, dicimus, raras nominantes si amplius interstitiis animalium actiones que per modicum tempus fiunt, densas, quæ per multum, raras appellamus. Quod si quis non ita ut dixi, sed aliter nominare uelit, neque Hippocratem, neque alios ueteres, neque omnino Græcos [aut Latinos] sequi dignatus, immo nec manifestæ interpretationis curiosus, illi permittendum est ut Cadmeam uictoriam uincat.

Quibus nominibus appellandæ sint primæ respirandi differentia.

Cap. 3.

Cum alijs uero qui nominum in tantum curam habent, quantum eorum ad docendum est commo- dum: & qui omne studium eo dirigunt, ut in rebus inueniant ueritatem, iam sermonem conferemus, de his quæ a principio scribere instituimus. Cum respiratione genere quidem motus sit, sed ex duabus partibus sibipsum contrariis composita, quarum alteram inspirationem, alteram expirationem nominamus, habeatque etiam duas alias non similes per accidens partes, quæ quietes & cessationes appellantur: offensæ utique & læsiones fient circa motus, in uelocitatem & tarditatem, magnitudinemque & paruitatem: circa cessationes uero, in raritatem & densitatem, & præter has non reperias simplicem aliam difficultatis respirandi differentiam. Methodus enim diuisionis non aliter demonstrat.

Methodus inueniendarum causarum difficultatis respirationis.

Cap. 4.

Reliquum autem fuerit causas earum perscrutari, atque his inuentis consequenter ad compositas transire. Quæ igitur est causa uelocis & tardæ respirationis & uniuersiuersique; reliquarum? Mihi equidem etiam hic methodo ad earum inquisitionem utendum uidetur, & non simpliciter enunciandum. Quæ est igitur Methodus? Cum unumquodque ab ipsa uelocitate aut melius reddatur, per quæ omnino produci solet, si sciuerimus a quibus causis respiratione producit, sciemus nimirum & respirandi difficultatis causas. Quæ igitur sunt respirationis causæ? Habes quidem ipsas alibi cum euidenti demonstratione conscriptas. Nunc uero capitum tantum mentionem facere suffecerit. Facultas quidem animalis mouet thoracem, cum hoc simul pulmo mouetur. Ad huius uero motus ubi distenditur, sequitur inspiratio: ubi contrahitur, expiratio. Demonstratum etiam ibidem est, maximam & principalissimam respirationis utilitatem esse insitæ caliditatis conseruationem, iam uero & animalis spiritus nutritionem. His itaque sic habentibus, siquidem facultas & utilitas, & unumquodque organum, recte ac prospere habuerint, iuxta naturæ legem animal respirat: si uero quid ex eis uitiatum fuerit, iuxta illud etiam respirationem impediri necesse est. At uero quemadmodum in pulsum tractatione duplicem fecimus doctrinam, aut singulatim inquirentes ipsorum causas, aut singulatim permutationes: Ita & hic in utranque partem exercitari oportet, ut proposita causa statim sequentem respirationis difficultatem dicere possimus, & uicissim nominata respirationis difficultate, facile eius causam efficientem in memoriam reuocare queamus. Incipiendum itaque nobis etiam hic iuxta eundem modum a simplicibus respirationis difficultatibus, quemadmodum illic a pulsibus, & querendum quæ causæ uelocem inspirationem operentur. Velocem quidem pulsum demonstrauimus ex urgente quidem utilitate, ac integra facultate, & promptis organis fieri. Videor autem mihi & hic easdem causas recte referre posse, si utique non male in libro de utilitate pulsum demonstrauimus, eandem utilitatem a respiratione quidem ei qui circa cor est calori, a pulsibus uero ei qui per totum animal dispersus est, contingere. In eo autem rursus sermone

Amone qui de pulsum causis tractat, sufficienter dictum est de Archigenis aduersus Magnum contradictione. Quod non a facultatis robore uelox pulsus fiat, sed magis ab imbecillitate: & sane non conuenit bis de ipsidem dicere, cum unus & idem demonstrationis modus esset futurus. Et si quidem ita circa respirationis difficultatem, uelut circa pulsus, iuniores medici curiosi fuissent, & non penitus ipsam neglexissent, syncerius ubique hic uelocis motus ratio inuestigari posset: utpote cum manifestior res ipsa esset, & ob id prius doceri digna. Verum haud scio quomodo de ipsa quidem respiratione plurimum inquisierint, & neque utilitatem cuius gratia sit, neque facultatem a qua producit, intactam reliquerint: & de organis etiam ipsis curiose perscrutari, quot, qualia, & quomodo moueant, inuestigarint. At uero de respirationis difficultate sermonem tanquam non magis necessarium, aut non magis uarium, aut non multo difficiliorem inuentu, omnino segniter præterierunt, aliqui ne minimum quidem penitus de ipsa dicentes, aliqui uero ualde breuiter attingentes. Quamquam Hippocrates in libris de morbis populorum punctos & stimulos ipsos aliquando a profundo somno excitari oportebat, & querere, quis in unaquaque ipsarum sit affectus locus, & quis affectionis modus, & quæ causa, & an hæc ab Hippocrate penitus prætermissa sint, aut aliqua quidem ab ipso relata, aliqua uero non, & in quibus id factum sit libris, aut quomodo, num perfecte & manifeste, aut defectuose, aut quasi seminariæ. Verum nihil horum ullus unquam inquisiuit, & neque hi qui se Hippocraticos appellant, eiusque librorum commentarios enarratorios conscribunt, tractationem de respirationis difficultate perfecte ac pro rei dignitate explere cauerunt. Verum nos quæ in singulis ipsius libris relata sunt, in unum coaceruabimus omnia, & demonstrabimus, quod etiam in hac parte longe reliquos omnes hic uir antecellat, non tamē iam hoc faciendum est. Neque enim solam Hippocratis sententiam exponere propositum est, sed etiam proprias dogmatum demonstrationes apponere, atque ueritatis quæ in eis est certitudinem his qui in hæc inciderint exhibere. Et quanquam præstiterat, ut ne tempus uenerandi senis opinioni præiperemus, tamen hic primus liber ea quæ uera sunt cum euidenti demonstratione docebit, qui deinde sequitur secundus ea quæ Hippocrates de respirationis difficultate cognouit, exponet.

De causis respirationis uelocis

Cap. 5.

Rursus igitur repetemus quod dicere reliquimus, nimirum quod quaestio de uelocitate motus, in pulsum tractatione nobis in totum absoluta est, propterea quod circa illam plurimi iuniorum medicorum multum operæ impederint: circa eam uero quam nunc in manibus habemus, omnes negligentes fuerint, quanquam manifestior longe sit, & non minus quam illa utilis existat. Verum causam etiam ipse referam in sermonis progressu, nunc quod consequens est absoluemus: quod uidelicet omnis uelox motus propter urgentem sit utilitatem, & amplius facultatem ei subseruire potentem, hoc est integram, & robustam, & si nullum ex organis reluctetur, quorum demonstrationes in libris de pulsibus a nobis relatas dicebamus. Dicitur est etiam in illis, possibile esse quandoque utilitate multum urgente, etiam si facultas moderate debilior sit, motum fieri uelocem: si uero amplius debilitetur, non amplius possibile esse moueri uelociter, sed tunc densam magis pro ueloci fieri actionem. Omnis enim densitatis actionum unam existere causam, prioris scilicet actionis defectum. Coguntur enim illa urgente, non amplius cessare diutius. Omnia autem hæc in illis libris de pulsibus sunt demonstrata. Communis autem est pulsuum ratio ad respirationem, primum quidem quod de omni motu in uniuersum est dictum, deinde uero parum abest quin omnis respiratione ad pulsuum proportionem proprietatem habeat. Composita enim est ex contrariis motibus per cessationes distinctis, atque eiusdem utilitatis gratia sit. Et ex partibus eius in spiratio quidem consimilis existens pulsum dilatationi, insitam caliditatem refrigerat: expiratio uero uelut contractio pulsum, fumosum ex uisura sanguinis excernit. Quin & ad nutritionem aialis spiritus ambas actiones conferre: & in cessationibus eam quæ post dilatationem sit breuior esse: quæ uero contractionem sequitur, longior, ambobus communia existunt. Ita que uelocitas motibus respiratorijs coniungit, dictum est.

De causis magnæ & parue respirationis.

Cap. 6.

Ceterum de magnitudine deinceps agam. Oportet igitur & in hac utilitatem ad opus prouocare, eique facultatem integram ac robustam subseruire, & promptitudinem adesse ipsis instrumentis: eundem enim causarum concursus magnitudo respirationis & uelocitas requirunt. Atque contraria eorum tarditas & paruitas, non omnino opus habent contrariis omnibus simul, sed unum ex ipsis adesse penitus oportet, plura non est necesse. Si enim utilitas ualde exoluta sit soluitur simul & uelocitas motus, & magnitudo dilatationis, etiam si robore maxime ualeat facultas ipsa: ociosam enim habebit hanc, quousque animal eius actione non indigebit. Si uero magna quidem sit utilitas, exoluatur autem aliquo modo facultatis robur: aut adsint quidem hæc, offensa autem aliqua læserit instrumenta, qualem in libris de pulsibus indicauimus: quodcumque tandem ex his fuerit, impediatur & uelocitas & magnitudo respirationis.

De proportionibus causarum pulsuum & respirationis in ijs, qui fruuntur sanitate.

Cap. 7.

Atque in his sane pulsus respirationibus omnino similes existunt. Quare etiam si causas primum consimiles reperiemus. Velut si caliditate aucta reliquis respirationis causis immotis manentibus qualis sit respirationis, difficilis species quaeremus, reperiemus uelut etiam in primo de causis pulsum est demonstratum,

Nic. Calaber ita uertit. † Siquid hoc multo est melius quam ut præcedat opinio ueteris, & propterea hic quidem primus liber &c. qui uero deinde sequitur. A. l. 3. f. 10. T. 1. c. 15. p. 479.

A. l. 3. f. 10. T. 1. c. 8. p. 477. G.

demonstratum, quod parum quidem ea aucta, maior manifeste, non tamen uelocior: plurimum uero au-
 cta, & maxima & uelox, & iam etiam densa inspiratio reddetur. Eodem modo etiam si caliditas secun-
 dum naturam, sit imminuta, alijs causis immotis manentibus, quod paruum ita & tardam ac raram ne-
 cesse est fieri inspirationem, sed paulo tamen quam secundum naturam minorem, multo uero tardio-
 rem, plurimum autem rariorem. Robusta enim existente facultate non est possibile multo minorem
 fieri dilatationem. Sed si utilitas multum sit exoluta, plurimam cessationem fieri uerisimile est, non
 tamen propterea omnino tarde moueri, si facultas modo sit robusta. Quae porro ex aucto calore, ead-
 em ex animali spiritu ad nutritionem urgente, species erunt respirationis difficultatis eius, uidelicet
 quae circa inspirationem consistit. Quemadmodum sane immoderatio fuliginosae humorum uisurae,
 eadem respirandi difficultates circa expirationem operabitur, quae circa inspirationem sunt relatae.
 Veloces enim erunt & magnae & densae, ubi multa eiusmodi superfluitas fuerit congregata. Tardae autem
 & paruae & rarae, circa contrarias affectiones. Nunquid igitur ita quidem esse ratio ipsa poscit: repu-
 gnat autem quippiam eorum quae euidenter apparent? Ego quidem omnia haec consentientia circa aeta-
 tes, & regiones, & omnino omnes ambientis nos aeris constitutiones reperio. Consentient autem
 non minus quae circa omnia exercitationum genera, & circa morbos contingunt. Vbi enim caliditas
 abundat, ueloces & densas uidere est fieri inspirationes. Vbi rursus frigiditas, contrarias tar-
 dasque & paruas & raras. At uero quibus animalis spiritus euacuatur, & ob id cita renutritione opus
 habent, hi non solum ualde, sed & cito, & dense inspirant: quibus uero nihil euacuatur, hi contrariam
 illis habent inspirationis speciem. Si uero ambo concurrant, & caloris augmentum, & spiritus con-
 sumptio, hi omnium maximam & uelocissimam & densissimam inspirationem habent, & maxime si am-
 bo uehementer fuerint aucta: uelut etiam ubi ambo fortiter fuerint imminuta, minima & tardissima
 & rarissima fiunt inspirationes. At uero & expirationum species, siquidem multae fumosae superfluita-
 tes sint congregatae, & maxima & uelocissima & densissima erit. Si uero paucissimae penitus fuerint
 superfluitates, minima & tardissima & rarissima. Ex aetatibus porro omnes quae in augmento sunt, ma-
 gnam & uelocem & densam inspirationem facere uidemus. Quae uero decrescunt, contra raram & par-
 uam & tardam: propterea quod illis caliditas amplior, his minor existit: & illis quidem animalis spi-
 ritus substantiam cum corpore coaugeri necesse est, his uero contabescere. Ob utrasque igitur causas in
 spirationis speciebus, iuuenes a senibus euariant, & propter alias duas causas, in expirationibus simili-
 ter euariant. In aetatibus enim crescentibus, tum ob insiti caloris robur, tum ob ipsum augmentum, plu-
 rima copia humorum consumitur. In decrescuntibus uero, quantum ad ipsam uitam solum necesse est,
 utpote quae neque augetur amplius, & iam sunt perfrigeratae. Iuxta rationem itaque, illis uelox & magna
 & densa: his uice uersa per omnia contraria exspiratio apparet. Hanc uero eandem speciem etiam pul-
 sus secundum aetatum differentias habere reperiuntur, quemadmodum & hoc in tertio de causis ipso-
 rum ostendimus. Quemadmodum uero secundum aetates, ita & iuxta tempora, & regiones, & omnes
 ambientis nos aeris constitutiones, tum pulsus cum respirationibus, tum respirationes cum pulsibus
 proportionem habent. In calidis quidem, ad magnitudinem, & uelocitatem, & densitatem permuta-
 ta: circa frigidam uero, in contrarium. Et relatum de his omnibus est etiam illic, quemadmodum & de
 exercitiorum generibus. In currendo namque & luctando, & quocumque alia uiriliter exercendo, ualde
 & uelociter & dense respiramus. Quiescentes uero, parum & tarde & rare: propterea quod in concitatis
 motibus, caliditas quidem augetur, consumitur autem spiritus animalis: ubi uero quiescimus & immo-
 ti manemus, caliditas marcescit, spiritus autem aut nullo modo, aut oino modice consumitur. At uero &
 ex lacrimis, calida quidem uelocem & magnam & densam faciunt respirationem, frigida uero contraria.
 In somnis porro etiam ualde animum ad hoc quod contingit aduertere oportet. Nam & iuxta magni-
 tudinem & uelocitatem motus exspiratio inspirationem excellit, quando ciborum & humorum om-
 nium confectiones & concoctiones maxime fiunt: plurimum igitur uerisimile est in ipsis coaceruari fu-
 mosum recrementum.

De proportione causarum pulsus & respirationis in ijs qui aegrotant.

Cap. 8.

ET in morbis denique (nam & de his iam tandem dicendum,) in febrilibus quidem omnibus, & maxi-
 me ubi circa aliquod respirationis organum, aut circa cor, aliqua, eaque multa caloris sit coacerua-
 ta, omnis respiratio magna & uelox & densa reddita apparet. In quibus uero perfrigeratus est calor,
 contraria, adeo ut & quibusdam penitus perijisse putata sit: atque haec est illa quam Heraclides Ponticus,
 ἀπνοου id est spiritu priuatam scripsit. Quemadmodum enim in alijs omnibus, sic etiam hic proportio-
 nem respiratio, & pulsus habere uidentur. Neutrum namque ipsorum in totum perire possibile est, do-
 nec superfuerit animal: attamen perijisse putare propter paruam, nihil mirum est. Neque enim his
 solum, sed & alijs omnibus extreme paruis commune est, quod sensum effugiant.

In quibus differant pulsus & respirationes.

Cap. 9.

Ceterum postquam de ijs quae respirationibus & pulsibus aequaliter aduunt, sufficienter dictum est, que-
 remus iam & quantum in ipsis sit, quod non similiter habeat: [proprietatem enim alterationis fa-
 cultatum in singulis actionibus uerisimile est etiam multipliciter differetes ipsarum species facere.] Haec igitur
 considerare oportet, ac quaerere, & inuenire methodo. Videor autem mihi uidere statim ab ipsa rerum substantia,
 maxima quandam differentiam inter omnia animalia opera, & uitalia esse. In illis enim uoluntas potestatem ha-
 bet

ate orit pro-
 prietas, ut &
 ea multo for-
 miter differet
 res quoque ip-
 saram species
 pariat, rationi
 est constituta-
 neum.

Abet generationis, & potest et si utilitas bona sit, & facultas integra, & singula respirationis instrumenta ad
 actionem accommodata, tamen prohibere, potest (inquam) uoluntas & impedire ipsa a motu: ubi uero ita po-
 tenter cohibere potest, certe longe facillimum ei fuerit, tarde aut cito mouere, & amplius aut minus au-
 gere, & per longius aut breuius tempus. In uitalibus uero operibus non ita habet, sed cum utilitas bo-
 na, & facultas integra est, & organa apta existunt ad motum, neque tardam neque paruum possibile est fieri
 actionem. Itaque in pulsibus circa inflammatas partes euidentissime apparet, ob motum arteriarum in ip-
 sis dolorem accedere uehementem, propterea quod non in nobis sit, motum facere magnitudine minorem,
 aut uelocitate tardior. Atqui si in nostra potestate esset, minor aut tardior ipsum reddere, nihil magis
 ex re facere possemus, mitigaturi utique ex hoc dolore. Omne namque inflammatum integrum quiete desi-
 derat. Si enim moueantur & inuicem terantur ipsorum partes premuntur & fluxione infestantur, & omnino
 dolore affliguntur. Quod si quandoque ob urgentem utilitatem ad motum cogatur, minor plane & tardio-
 rem motum facilius ferunt, quam maiorem & uelociorem. Ita et crura ubi pars aliqua in ipso fuerit inflammata,
 maxime quidem quiete expetit: si uero urgente aliqua utilitate ipsum mouere cogamur, minus & tardius
 ambulamus. Verum hoc impossibile est in arterijs facere. Non enim in nostra potestate est ipsarum motus, ut uel
 eum qui sit sedare, uel uelociorem tardior, uel maiorem minor facere possimus: sed necesse est eum qui adest
 boni consulere, siue uelox, siue magnus, siue utcumque sit uolentus. Ideo ubi inflammatis partibus arteriae mo-
 uetur, dolore affligimur quidem, sed neque obtusior, neque minor, neque tardior motum facere possumus, cum
 tamen ab actionibus uoluntarijs aut in totum crura leuare, aut ualde paruam & tardum motum illi permittere queamus.
 Ceterum quae paruam & magnum motum dicimus, quod non proprie, sed a spacijs per quae id quod moue-
 tur fertur, appellamus, omnibus manifestum esse puto. Atqui cum thorax unum quoddam animalis mem-
 brum, organum sit respiratorium, uelut arteria pulsuum, & crura ambulationis: si quidem sane respiratio inter
 opera uitalia censetur, consimilem habebit arterijs motus proportionem: si uero inter animalia, ad
 crura similitudinem mouebitur. At uero inter animalia censetur, quemadmodum alibi est demonstratum.
 Manifestum igitur quod ad crura similitudinem mouebitur. Si igitur thorax inflammatus sit, & ad motum
 cogatur, tardius & multo minus quam oportet dilatabitur: uerum si hoc fecerit, defectuose respirabit. Si
 uero iterum atque iterum idem hoc faciet, defectus qui circa singulas respirationes contingit, in unam
 quandam memorabilem ac minime contemnendam summam congregatus, eo deducet animal ut uicini
 fuerit suffocationi. Verum ut id ne fiat, densiores actiones facit, non amplius tamen cessans, quantum solebat,
 cum secundum naturam habebat: simile faciens ijs qui ob id quod sufficientem cibum semel ingerere non
 possunt, assidue modice aluntur: attamen in hoc necessarium est totam respirationem fieri paruam, & tardam, &
 densam, & multo utique minorem quam par est, non autem ita multo tardior. Etenim dolor non ita gra-
 uiter uexat thoracem ob motus uelocitatem, sicut ob dilatationis magnitudinem. Velocitas enim quantum
 circa ipsam actionem sit dolorosa, tamen quia breui tempore omnem motum efficit, minus thoracem offen-
 dit: compendio namque eo quo festinat peruenit: festinat autem ad quietem, eamque quam celerrime assequi
 cupit, tanquam quae sola dolorem ex inflammatione ipsi lenire possit. At uero dilatationis magnitudo
 penitus molesta est, tum propter uolentiam motus, tum quod comprimit & distendit inflammata, &
 omnibus modis thoracem dolore affigit. Ob id igitur plus de magnitudine quam de uelocitate respi-
 ratio adimit. Et cum sane hic solus affectus fuerit, nepe dolor quidam thoracis partium, non uero urgeat
 utilitas, manente uidelicet calore cordis intra terminos a natura constitutos, tunc motus thoracis ma-
 nifeste tardior redditur. Si uero ardor quidam in ipso corde oboriatur, uelocitas quidem non exoluitur,
 ob eas quas antea diximus causas, aufertur autem etiam hic multum de magnitudine, uerum pro
 ipsa densitas generatur ob urgentem utilitatem.

Quae differentia pulsus & respirationis ex instrumentorum affectibus oriatur.

Cap. 10.

Quare etiam ex iam dictis perspicuum est, quod dolor ipse per se circa aliquod respirationis orga-
 num consistens, paruam & tardam & densam spiritum efficit. Cum ardore uero paruam adhuc
 distimuliter sed densiorem eo qui ob solum sit dolorem, & iam etiam aliquanto uelociorem. Quae uero ob
 solum ardorem contingit respirandi difficultas, eam antea ostensum est magnum & uelocem & den-
 sum spiritum efficere, ut perspicua sit & facile discerni possit utraque simplex, & quae ex ambabus compo-
 sita est. Quae enim ob solum sit caloris copiam, quamuis densum reddat spiritum, similiter ut ea quae ob
 solum sit dolorem, tamen magnitudine et uelocitate palam distinguitur. Quae uero ex ambobus causis
 concurrentibus generatur, ab ea quae ob ardorem sit, sola paruitate differt: ab ea uero quae ob dolorem,
 sola uelocitate. At uero respirationis difficultas ob perfrigerationem naturalis caloris, euidentibus no-
 tis ab omnibus his distinguitur: paruam enim haec (ut demonstratum est) et tardam et raram spiritum effi-
 cit: nulli uero aliarum simul accedit tarditas et raritas. Ceterum quantum in defectibus et excessibus
 caliditatis, ipsa respirationis species consonantia et rhythmo qui secundum naturam habet, excedit: tamen
 etiam et idem cum pulsibus cõiter et eodem modo habet. Quae uero in dolorosis organorum affecti-
 bus contingunt, non amplius eodem modo habent, uerum quatenus euariant manifeste demonstratum
 opinor. Reliquae tamen organorum affectiones quae citra dolorem, per obturationes, aut durities, aut co-
 pressionem, aut omnino coarctationes quasdam fiunt, consimiles uariationes in utrisque actionibus, ani-
 malibus et uitalibus efficiunt. Paruus enim in ipsis et uelox et densus sit spiritus: et paruus quidem propterea
 quod ob angustiam susceptiorum organorum, paucior quam oportet attrahitur: densus uero, quod utilitatis
 uotum

† Vastus di-
 ritus: arstitit
 Nam quae in
 actionibus sit
 gulis a facult-
 tatum uari-

uotū non expletur, & ob eandē causam etiam uelox. Ostensum est autem in cōmentarijs de pulsibus, q̄ E quando magnitudo distentionis sufficienter explet uorum utilitatis, nihil indiget uelocitate: q̄ uero deficit aliquantulū, tunc iā etiā ad uelocitatē permutatio fit, siquidē integra & robusta sit facultas: si uero neq; hæc sufficiens fuerit, tunc & in densitate. Ob has itaq; causas paruus & uelox & densus redditur spiritus circa pulsus & respirationes in prædictis affectionibus, atque amplius et inæqualis, quæ uel præcipua ipsarum est nota. Verū hæc & simul consideratio causæ, in pulsuum tractatione relata sunt: & ibidem dictum est q̄ iuxta ipsas partes in quibus obturatio hæret, & quæ cum his cōicant, inæqualitas maxime fit manifesta, & paruitas pulsuum aut semper aut ut plurimum cohæret: iuxta alias uero magis magnitudo. Si uero propinquus principio fuerit affectus, in hunc modum circa omnes arterias communiter contingit. Atque hæc quidem illic relata sunt & demonstrata.

Qualis fiat respiratio coarctatis aut dolentibus instrumentis.

Cap. II.

Porrò quæ respiratorijs instrumentis propria sunt nūc commemorabimus, ut nihil desit ad sermonis perfectionē. Quando igitur, aut propter tubercula cruda in ipsis consistētia, aut ob tenaces & crassos humores qui uias spiritus occuparunt, aut ob durum aliquem tumorem in ipsis connutritum, aut ob quodcunque tandem ipsis uicinū & familiare corpusculū quocūq; modo in tumorem immoderatiorem eleuatū, paucior q̄ oportet spiritus propter locorū angustia inspirari, necessario accedit ipsi uelocitas & densitas ob prædictas causas. Species autē in genere plures huius respirandi difficultatis cōstituitur, alias alijs partibus in respiratorijs organis coarctatis. Tumores etenim præter naturā circa uentrem & hepar, splenē itē & colū, & his coniunctas partes cōsistentes, ob septi trāsuerſi coarctationem, paruū & uelocē & densum faciunt spiritū. Iuxta eundē modū & aqua inter cutē laborantibus, & uterū gestantibus, & ijs qui se supra modū cibo expleuerunt, & qui prominentē uentrem habent, huiusmodi fit respirationis species. In respirandi autē difficultate quæ erecta fit ceruicē, & Græcis orthopnoea appellatur, uiscosis uidelicet & crassis humoribus, circa asperas in pulmone arterias congregatis. Similiter autem & si aliquid circa ipsum induretur, aut tuberculum nascatur premēs & coarctās ipsum asperarū arteriarū genus, hæc n. suscipiunt aerē qui inspiratur paruus & densus & uelox erit spiritus. Iuxta eundē autē modū ē, si in thorace tale constiterit tuberculū, propter quæ sane sæpe tum in posteriorem, tum in anteriore partē luxantur ea quæ circa spinā sunt, immo & in obliquū torquentur, paruus & densus & uelox generabitur spiritus, occupante nimirū tumore præter naturā pulmonis regionē, in quā dilatatus extēdebat. Sæpe uero & ipsum totū thoracē angustiorē huiusmodi affectiones reddiderunt, si aut statim dum in utero adhuc sunt foetus accidat, aut et postea obuēniant. Nulla est autē differentia [quod ad id quod coarctatū est attinet, ut pulmo] non possit sufficentē aerē trahere, siue thorax totus angustus reddatur. in quacunque tandē affectione, siue intermedia regio amittatur, ab aliquibus præter naturā corpusculis in ipsis consistētibz occupata, siue etiam ipse pulmo, induretur aut obturetur, aut intumescat, uelut in pulmonicis & peripneumoniacis appellatis uitijs contingit. Vna. n. in omnibus coniuncta est causa, ob quā parua inspiratio redditur, coarctatio uidelicet asperarū arteriarum: propterea uero q̄ parua ipsa est, ob id etiam (ut sæpe dictum est) densitas & uelocitas accedit. Verum cum iuxta ipsum pulmonem affectus ipse incumbit, quāuis thorax se plurimum distendere possit, tamē parū inspirant, ita et ubi intermedia ipsorū organorū regiones fuerint occupatæ. Cū uero totus thorax aut foetibus, aut aliter, paruus & angustus redditur, manifestum est quod & distentionem ad sui ipsius proportionem paruam efficiens, pulmōni causa est uelocis inspirationis. Sic uero etiam cum septum tranſuerſum ab aliquo comprimitur iuxta infernam thoracis extremitatem, uelut in uitijs dolorem nō inferentibus contingit. Huius nāque rei maxime memorē esse oportet, q̄ aliquando solius thoracis affectus, aliquando solius pulmonis, quandoq; uero intermedia amborum regionis, ad paruitatem, & ob id etiam uelocitatē ac densitatem respirationis mutationē facit, si sane facultas fuerit robusta, nam & huius meminisse oportet sæpe iam etiam antea relati. Minime igitur adhuc pleuriticorū, aut abscessus aliquos, aut omnino dolorosos tumores habentium iuxta thoracem, mentionē faciemus in hoc sermone. At uero de uitijs dolorē non inferentibus, quæ cōprimēdo pulmonē, et coarctando asperas in ipso arterias, minore faciunt inspirationem, omnis prædictus finietur sermo. Atq; illa quidē ad affectiones thoracis antea conscriptas referemus, in quibus dicebamus thoracē, propterea q̄ minus distenderetur ob dolorē, spiritū facere paruū. Eorū uero qui suppurati appellant affectionē, quāuis sepe numero eius generatio ex pleuritide contingit, his iam proxime relatis annūmerabimus, quæ uidelicet citra dolorē iuxta pulmonē coarctationem faciendo, paruam reddunt respirationē. Pus. n. quod in ipso iuxta huiusmodi affectiones continetur, causa fit eius quæ circa distentionē fit paruitatis. Itaq; tanquā neq; ipse secundū naturā distendatur, minime æqualē facit spiritus attractionē. Quomodo igitur hæc respiratorijs organorū uitia citra dolorem consistētia (Id. n. præſenti adhuc deest sermone) ab ijs quæ. cū dolore fiunt distinguuntur, si sane & paruus & densus ambobus similiter redditur spiritus? An in uelocitate motus? In affectibus enim cum dolore, modice quidem respirant et dense, non tamē uelociter, q̄ utiq; citra febrē eiusmodi acciderit affectus: q̄ uero cū febre, quāuis iuxta paruitatem & uelocitatem similiter respirat, tñ iuxta densitatē distinguuntur. Nam non modice ipsis spiritus densatur, quod non euenit illis qui ob coarctationē organorū respirationis difficulter respirat, uerū et si densior ipsis spiritus reddatur, moderate tñ hoc fit, & multo infra summā densitatē. Quin et exspiratio febricitantibus maior

A. I. 3. f. 11
1. c. 1. p. 477
B. C.

quod ex
tus pulmo

ipsa

A. I. 3. f. 11
1. c. 34. B.

A maior simulq; calidior est, quod nō contingit ijs qui ob coarctationem paruam & dense expirant. Quomodo autē cognoscere oporteat exacte, tum paruitatem, tum magnitudinem, utriusque partis totius respirationis, paulo post dicetur, ubi prius omnem de organis sermonem absoluerimus. Quod. n. difficultates respirandi citra organorum dolorem, ab eis quæ cum dolore sunt differant, iam relatum est.

De respiratione quæ fit cum partes ualent quæ in ipsa commouentur, ac de ea quæ uacillantibus ac mente motis contingit.

Cap. 12.

Utrum autem uelut simpliciter ostendimus, coarctationem oportere ad pulmonem peruenire eiusq; asperas maxime arterias, ut animal difficultatem respirationis incurrat: sic etiam dolorem in respiratorijs organis fieri oportere, & præsertim in thorace dicendum est? (parum. n. abest ut pulmo sensus sit expertus.) An aliquam aliam in eiusmodi respirandi difficultatibus inquirere nos oportet enunciationem? Nam qui dicit ad solos respiratorijs organorum dolores eiusmodi difficultatis respirandi speciem sequi, eum non opinor uideri posse omnem de his rem probe cognouisse, aut meminisse superiorum ratiocinationum, in quibus non ob affectionem, sed ob actionis facultatem quæ animalis existit, paruus & densus spiritus fieri ostendebatur. At uero species difficultatis respirandi quæ ad coarctationem pulmonis consequitur, nihil opus habet facultate ad sui generationem, quod de illo probe indicauimus ubi totius rei tractationem peregimus. Verum de dolorosis affectionibus non simpliciter id dicere conuenit, quando sane in respiratorijs particulis consistunt. Non enim propter ipsam particularum naturam priuatim, sed quod animali facultati eorum motus arbitrium permittitur, respirationem ad paruitatem mutari contigit, ut ne amplius uidelicet animal dolore affigeretur, ipsa minus quàm oportet thoracem distendat. Atque hæc sane prouidentia ut ne uehementius animal dolore affligatur, etiam alijs omnibus particulis adest, quæ ad respiratorijs motum simul mouentur, stomacho uidelicet & uentri, & hepatis, & spleni, & peritonæo, & colo, & superioribus tenuibus intestinis, & musculis præcordiorum: hæc nāque ad thoracis motus, & maxime si fuerint maiores, commouentur. Perspicuum igitur est quod amplius in magnis thoracis motibus dolore uexantur, minus uero in paruus: & ob id paruus & densus non solum in pleuriticis, sed & quibus stomachum aut uentrem dolorosa affectio infestat, spiritus erit: minus quidem propterea quod etiam sensus eis minor est: consimiliter tamen difficulter respirabunt qui hepar, aut splenem, aut aliud quoddam ex prædictis membris dolore uexatum habent. Omnia enim talia partim ex appensa, partim agnata respiratorijs instrumentis, ad horum motum simul commouentur: & ob id in respirantibus offenduntur. Atq; ita nō ut antea de respiratorijs particulis, sed de omnibus simpliciter quæ circa respirationes mouentur, communis nobis sermo fiat: atque audebimus in uniuersum pronunciare, paruam & densum spiritum signum esse doloris omnium animalis particularum quæ iuxta respirationes commouentur. Num igitur hac parte solum inter pulsus & respirationes dissimilitudo est? An etiam iuxta ipsam priuatim facultatis causam, citra organorum complexum, aliquam differentiam inuenire licet? Equidē naturales facultates omnes semper necessarijs sibi operis uacant, & nunquam torpent, aut negligentes sunt. Quæ uero sub uoluntatis potestate ueniunt, hæc sæpe ubi ipsa circa alias actiones fuerint occupata, negligentius perficiuntur. Ambulantes igitur aliquando concitatius ad rem aliquam perficiendam, deinde inter eundem cogitantes quid, ac postea id ipsum considerantes, & curiose de ipso meditantibus, multum ab illa ambulandi concitatione remittimus, non tamen intelligimus id ipsum neque cognoscimus, quousque sane mentem ad illius curam adhibemus: cum uero quiescimus ab illa cura, atque cogitationem circa nullam rem amplius habemus, quàm circa solam ambulationem, tunc uelut ex somno aliquo excitati, cognoscimus circa institutam actionem nos fuisse negligentiores: quàm pro primo impetu oportebat, rursusq; ad ipsam actionem nosmet excitamus: sic etiam qui mente uacillant, animum (ut puto) in uisionibus uelut in quibusdam curis habentes, animalium actionum negligentibus sunt, & neque lotium eijs ciunt, neque uentris onus deponunt, neq; potum neque cibum petunt, neque quicquā aliud eius generis, nisi quis eos cōmonefaciat. Si uero etiam petat aliquādo, interim dum adhibent obliuiscuntur, & rursus monitorio opus habent. Itaque nouimus omnino plurimos qui petita matula, eaq; ipsis data, non iam lotium effunderent, sed matulam ociose in manibus detinerent. Alios itē nouimus qui exurgerent quidē tanquā uentris onus deposituri, postquam uero defecissent penitus obliuiscerentur, atq; nihil efficerent, donec a præsentibus admonerentur. Quemadmodum autem per multum tempus actiones faciunt hi omnes, sic etiam magnas. Acruatim igitur omnino plurimum mingunt, & pro una uice ultra mensuram bibunt, & singula alia eodem modo faciunt. Nec mirum utique id esse opinor. Quod. n. sæpe in debito tempore facere oportebat, id ipsum acruatim urgente utilitate explere coguntur, & præsertim ubi necessarium id sit ad uitam. Etenim si quis minus quàm oportet bibat, nō ad dies tantū, sed ad integros menses sufficere possit. Si uero minus quàm oportet respiret, neq; minimam diei partem durare queat. Quare tamen plus pro una uice mente moti bibant, tñ quod per multū temporis interstitium id faciant, euenit ut uniuersus ipsorum potus multo cōmoderatæ mensuræ inferior & paucior extet. Verum respirationis utilitas nō expleta, supra hoc quod graue & ex propinquo imminens periculum habet, excitat etiam ad actionem, & non finit torpere neque ad momentum. Recuperat autem statim id totum, quo per cessationis tempus fuit priuata: atq; ita non rarus solum, sed & magnus spiritus efficitur: & tanto sane quàm cōuenit maior, quāto fit rarior.

Quod ipsum in potu non contingit: multo. n. rarius, paulo uero plus bibunt: unde etiam Hippocrates E ipsos paucibos, ueluti modico potu utentes appellauit. Atque hæc quidem ratio demonstrat mente motorum respirationem in raritatem & magnitudinem mutari. Testimoniū aut non minus et oculare experimentū præbet, si quis in ipsis artis operibus hanc speculationem exquirere uelit. Quicumq; uero in adolescentulorum gymnasijs, in sublimibus solijs alti & undequaq; conspicui desidentes, artis operum negligentes sunt, quicquid uero in buccam uenerit effutunt: his nõ magis credibilia fiunt ea quæ ab euidenter apparentibus confirmantur, quàm his qui neq; a principio, et si appareat, quicquam cognoscunt. Ceterū ex hoc genere sophistarū quispiā aliquñ mecū contēdit, de eo q̄ rarus & magnus spiritus mēte uacillantibus cōtingit: proponebat. n. respirationē unū quoddā ex operibus uitalibus esse: uerū cum huiusmodi argumēto non consentiebat id quod palam apparet: unde discendū sibi a me putauit. Prorsus. n. inquit, eiusmodi respirationis speciē in delirijs nõ apparere. Nam quæ nunquā conati sunt sophistæ in ipsis egrotis obseruare, de his ueluti qui sexcenties uiderint, impudenter rixantur: neq; uerentur se magnam habere experientiam iactare eorum, quæ neq; per somnium quidem ipsi uiderūt. At uero quicumq; obseruant apparentia, & quæ ægris accidunt, hi ita ut Hippocrates, scribunt: uiderūt enim ut opinor, multos infirmos similes his quos ille descripsit, qui abundē magnum testimoniū prædicto sermoni præbent. Atque apponerem sane iam eos quos in popularium morborum libris cōscripsit, nisi propositum esset mihi omnem sequentem sermonem secundum, in eorum enarrationē, uelut etiam antea dixi, referuare: hunc uero solum per se cum proprijs & synceris demonstrationibus absoluerē. Itaque sermo de uacillantibus & mente motis hic finiatur.

De magna & parua respiratione dignoscenda.

Cap. 13.

Quomodo uero quis magnā & paruā respirationē optime dignoscat, (scio. n. & hoc me in prioribus distulisse) iam referatur. Procliuē equidē erat opinari, nihil differre siue iuxta magnitudinem distentionis respiratoriorū organorū, siue iuxta substantiē quæ inspiratur copiā, magna inspiratio iudicetur: quæadmodū fortassis et aliqui dicūt, putantes quātitatē inspirationis semper se habere oportere ad proportionē quātitatē distentionis organorū. Atqui hoc minime in uniuersum uerū est, sed distinctionibus similis est, non tū cum et præter naturā fuerint disposita: uerū possibile aliquñ plurimū distendi thoracē, & parū externi aeris inspirari. Multa. n. sunt affectiones, si (modo prædictorū meminimus) in quibus pulmo coarctatus, multū aerē suscipere nõ pot. Nequaquam igitur ad affectionū omniū respirandi organorū proportionē, sed solū asperarū arteriarū inspirationes fiunt. At uero horū distentionem impossibile est per ullū aliqū sensum dignoscere. Ergo nõ est adhibendus animus ad organa respiratoria, cū inspirationis quantitatē uolumus dignoscere. Sufficit. n. ipsum solum aerem inspicere, quantus inspiratur, & quātus rursus expiratur. Neq; enim ex uentris mole de ciborum acceptorum copia cōiecturā facimus, sed sufficit et hic solam eorum quæ eduntur inspicere quantitatem. Quoniam uero in expirationibus, aliquando quidem oēs musculi in totum otiosi sunt, permittentes thoraci collabenti propriam recuperare constitutionem: aliquādo uero operantes amplius ipsum cōtrahunt, id quod nobis de his sæpe est demonstratū: contractiones sane thoracis citra horum concitationem, non unquam magnam inspirationem facere possunt: quæ uero cum musculorum concitatione fiunt, quæ sane etiam efflatus existunt, uelut & hoc est demonstratum, hæc opifices sunt magnitudinis. Verum neq; in his denudatum hominem inspicere operæpretium duco, ad musculorū tensionem cognoscendam, sed sufficit speciem expirationis cum efflatu, notam cognitionis uel maximam habere. Urgente itaque utilitate acruatim expirare cogimur, ueluti etiam cum inspirationis urget utilitas, multum & coaceruatum externum aerem attrahimus.

Epilogus eorum quæ hæcenus dicta sunt.

Cap. 14.

Quando uero & de his sufficienter transegimus, repetitis capitibus eorū quæ ab initio dicta sunt, ad reliqua progrediamur. Capita autem erant, ut opinor hæc, quod simplicibus respirandi difficultatibus inuentis, connectere oporteat causas coniunctas respirationis, & demonstrare singularum ipsarum efficientem causam, & uicē uersā quæ respirandi difficultates ad singulas causas consequantur, in quo sane etiam compositarum respirandi difficultatum mentionem facere coacti sumus. Verum quatenus tractatio pulsuum cum respirationibus consentiat, & quatenus differat, etiam hoc non erat exiguum eorum quæ explicauimus caput.

Quot numero sint compositæ respirandi difficultates.

Cap. 15.

Postquam uero hæc oīa absoluta sunt, cōsequēter cōpositas respirandi difficultates cōsiderabimus: hæc nāq; defunt adhuc superioribus quæ tractāda suscepimus annectēda. Inuentis aut simplicibus, nõ amplius difficile est et has inuenire q̄ ex illis cōponuntur. Cū. n. aliqua sit magna inspiratio, similiter aut & aliqua uelox, & cōtrariē his sint parua & tarda, necesse est quatuor fieri oēs respirandi difficultates circa inspirationē cōpositas, magnā uidelicet simulq; tardā, magnā & uelocē, paruā & uelocē, & quartā paruam ac tardā. Eodē modo & circa expirationē casidē quatuor coniugationes necessariū est fieri, duas quidē magnas, & duas paruas, quæ tum uelocitate, tum tarditate distinguuntur. In cessationibus uero impossibile est compositam respirandi difficultatis speciem fieri: neq; .n. duæ oppositiones in eis existunt, uelut in motibus, sed una sola iuxta densitatem & raritatem consistens.

Quot

Quot compositæ respirandi difficultates per motum oriuntur.

Cap. 16.

A. 1.3. f. 10. c. 1. c. 8. p. 478. D

At uero ipsorum motuum inuicem collatorum, inspirationis (inquam) ad expirationem species quædam erunt rhythmorum totius respirationis. Quemadmodum etiam in pulsibus dilatatione ad contractionem collata contingit. Possibile est. n. inspirationem fieri magnam, expirationem uero paruam: aut uicē uersā inspirationem paruam, expirationem magnam: aut utraq; paruas, aut utraq; magnas. Sic & ueloces aut tardas utraq; aut alteram uelocem, alteram tardam.

De respiratione inæquali.

Cap. 17.

Quin & inæqualis est aliqua respiratio, quemadmodū & pulsus, tū circa motū aggregationē, tū circa motū unum. Similiter autem & ordinata ac inordinata respiratio fieri potest, uelut et pulsus. Et sane quot differentiæ inæqualium pulsuum, tum circa unum motū, tum circa plures consistentiū existunt, tot etiam sunt respirationum. Verum quod in principio statim huius tractationis dixi, omnes penitus negligenter respirationem tractauerunt, atque huius negligentia causam referam in progressu sermonis. Nunc quod instat nobis absolendum est, ab inæqualitate iuxta unum motum initio facta, propterea q̄ secundum naturam uideri possit in medio posita esse earum, quæ exacte simplices, & quæ ex confesso compositæ existunt. Contendit itaque aliquando quispiam mecū super ipsa tanquam non composita: quod alias non fecisset, nisi simplicibus propinqua esset, uerum compositam esse inde perspicuum est. Si quis incipiens inspirare uelociter attrahit aerem, circa finem uero tarde, aut uicissim ex tardo principio, in uelocem definit finem: hanc sane inspirationem neque uelocem simpliciter neque tardam esse dixerimus, sed compositam: utpote quæ alteram sui partem habeat uelocem, alteram tardam. Eodem modo etiam si exspiratio quomodo cunque uarietur, siue ex tarditate in uelocitatem, siue rursus ex uelocitate in tarditatem motu transeunte, compositam esse dicemus: utpote quæ partibus contrario modo inter se habentibus, non simplex sed cōposita existat. Similiter autē & cum cessatione aliqua sciderit & disseuerit alterum motum, siue inspirationem, siue expirationem: composita esse etiam tunc dicemus eam quæ dissecta est, utra tandem ea existat. Visum est autem aliquando, raro tamen, non alteram tantum, sed ambas totius respirationis partes, in uno & eodē homine ita habere, & maxime hoc fieri, cum humorum copia in asperis arterijs coaceruata, hominem suffocet ex pleuritide perniciosa, aut peripneumonia non expurgata, aut suppuratione istic consistente. Quare & in hac parte respirationibus, cum pulsibus conuenit: nam & de illis demonstratum est, q̄ propter obturationes organorum, compressionesq; & omnino coarctationes, inæqualitas fiat. Itaque si quis ea quæ de alijs arterijs per totum animal dispersis, in secundo de pulsuum causis dicta sunt, probe perdidicerit: maiorem utiq; copiam similia dicēdi de asperis in pulmone appellatis arterijs habebit. Illas enim ad inæqualis pulsus generationem coarctari oportet, asperas uero arterias ad inæqualis respirationis. Relatum etiam de illis, quod ob facultatis debilitatem pulsuum inæqualitas fieri possit, cum præimpotentia arterias pro una uicē perfecte dilatare non possit. Resistunt enim interim & conuiescunt, uelut senes circa uiam perficiendam. Fieri autem potest aliquando & circa respirationem quædam inæqualitas, tum ea quæ iuxta unam actionem, tum quæ circa plures contingit, & systematica a Græcis appellatur, ob quandam facultatis ipsam efficientis debilitatem.

Quid differat prænotio ex respiratione a prænotione ex pulsu, & quæ cause sint inæqualis

respirationis cum inæquali pulsu communes.

Cap. 18.

Cum uero hæc animalis sit, uitalis uero ea quæ pulsus operatur, fieri potest quædam ad prænotiones ex ipsis differentiæ, nimirum pulsibus facultatis debilitatem semper suis ipsorum læsioni simile indicantibus: respirationibus uero non eodem modo, nisi quis etiam describat ægrotantis uoluntatē. Quamuis enim temerariam respirationem a moderato homine factam malum esse Hippocrates dicat, ueruntamen in ijs qui natura temerarij sunt, non solum non eiusmodi respirationem, sed neque ipsum: adeo delirium, quicquam magnum portendere censebis. Ita etiam habet circa respirationem: felices enim ærumnarumq; expertes, ac molles, circa singulas actiones inæqualiter respirabunt, etiam si nihil adeo magnum ipsos cogat. Qui uero ad laborem industrij & generosa mente præditi sunt, priusquam ad extremam debilitatem eorum facultas redigatur, non unquam inæqualiter respirauerint. At uero in pulsuum inæqualitate eadem prænotio affectionis est, tum in ijs qui generosa, tum qui praua, & uitiosa mente præditi existunt. Ut enim uniuersaliter & in summa dicam, ubi uoluntas nihil confert ad actionem, ibi id quod significatur æquale est omnibus. Vbi uero aut totum aut plurimum, ibi amplius etiam inspicere oportet mores ipsius ægri. Quemadmodum autem differentia facultatum efficientium actiones, tum circa pulsus, tum circa respirationes, differentes facit prænotiones: Sic etiā circa ipsam organorum naturam, quædam indicationis alteratio erit. Pulsus enim per læues arterias, respirationes uero non per solas asperas arterias fiunt, sed non minus quàm per ipsas, immo fortassis magis, per musculorum genus. Hoc enim est quod primum animalis facultas mouet ad respirationis generationem, ab eo uero totus thorax motus, ipse rursus pulmonem commouet eo, quo diximus in horum tractatu, modo: pulmonis autem partes sunt asperæ arteriæ, in quas primum aer qui inspiratur, peruenit. Quemadmodum igitur harum affectiones totam respirationem sæpe inæqualem reddunt, sic & affectiones musculorum: propterea sane quod illæ spiritus sunt loci, musculi uero primum motus instrumentum. Verum non eadem affectio in utroque organorum genere, inæqua-

SECUNDA CLASSIS.

K 3 lem

lem respirationem facit, cum neque utilitas ipsorum similis existat. Si quidem igitur unumquodque organum in id ipsum, per quod sanum existens actionem uiuit, etiam aegrotans laeditur: asperarum utique arteriarum laesio coarctatio quaedam est: musculorum uero, aberrans & inordinatus motus: atque illarum quidem ut spiritus locorum, horum uero ut motus organorum offensa est. Et coarctationis quidem in asperis arterijs, tumores praeter naturam in causa esse dixerim, aberrantium uero in musculis motuum occasiones nunc referemus. Sunt igitur propriae musculorum affectiones, conuulsiones, palpitationes & tremores, quemadmodum in alio loco est demonstratum. Verum quod haec etiam aberrantes motus sunt, uerbis non eget, & si quidem ambo haec ita habent ut scilicet & affectiones sint, & aberrantes pariter musculorum motus, atque haec ipsa sunt quae quaerimus: finem utique nobis hic habebit institutus sermo: erit namque aliquando inaequalis respiratio, propter aliquam harum affectionum. Quemadmodum enim ambulatio inaequalis fit, crurum musculis aut tremantibus, aut palpitantibus, aut conuulsis: ita & respiratio aliquando inaequalis fit, propter thoracis musculos, (ut dictum est) offensos. Quare omnium inaequalitatum tum quae secundum unam actionem, tum quae circa plures ex ordine consistunt: aut asperarum arteriarum coarctatio, aut thoracis musculorum aberrans motus, aut facultatis ipsam efficientis debilitas, causa fiet.

Quae causa propriae sint inaequalis respirationis.

Cap. 19.

Scriptum est autem (ut dixi) diffusissime de omnibus inaequalitatibus in secundo de pulsuum causis, & ob id quae communia sunt cum illo sermone, omnia relinquimus solummodo mentione ipsorum facta: quae uero propriae sunt respirationi, in hoc libro explicabimus. Utilitas itaque (uelut etiam antea dictum est) eorum utriusque est, asperarum etiam arteriarum ratio consimilis ad leues est: uerum musculorum genus proprium & priuatum destinatum respirationibus est, praeter pulsuum rationem. Opifices autem ipsorum facultates, partim quidem similiter, partim uero non ita habent. Quatenus enim causae effectiuae sunt, eatenus similiter habent: quatenus uero uoluntati permissum est arbitrium respiratoriae facultatis, uitalis autem facultas nullum superiorem habet dominum, sed libera penitus existit, eatenus differunt. Quae quae & adhuc eximium quiddam ad inaequalitatis generationem respiratio habebit, praeter pulsuum rationem, ut neque hoc praetermittamus. Est autem id ipsum duplex, partim quidem ab ipsa animali facultate sola proficiens, partim a complexu ipsius ad dolores. Atque modicum quidem & cognitum difficile est, quod a sola facultate proficitur: amplius uero & manifestius ac magis uarium, quod propter dolores. In delirijis enim superat quidem raritas & magnitudo, apparet autem quaedam inaequalitas & ordinis perturbatio, tum iuxta plures respirationes, tum iuxta unam aliquando solam, nimirum quod & phantasmata aliquando plus, aliquando minus rationem ab eo quod secundum naturam est, emouent. In huiusmodi enim uis, rationi consentaneum est, etiam respirationem transmutari ac aliquatenus uariari ad inaequalitatis & permutationis ipsius ordinis generationem. Quin & quantitas utilitatis quandiu quidem parum deficit a singulis actionibus, parua est ab eo, quod secundum naturam habet, immutatio: quando uero defectus ab eo, quod secundum naturam habet, continget satis multus, tunc necessarium iam cessationum quidem quantitatem, moruum uero non solum quantitatem, sed iam et qualitatem alterari: atque ob id totam respirationem inaequalem & inordinatam reddi. Idem hoc & in doloribus accidere necessarium est. Neque enim etiam in illis utilitas expletur iuxta singulas actiones, nam neque uelociter, neque dense, neque plurimum distendere thoracem possunt: omnia enim haec ipsis molesta sunt, & praesertim magnitudo, deinde uelocitas, iam uero etiam densitas. Dolentibus namque minus molestum est per longius tempus, quam per breuius moueri. Ob id igitur a magnitudine omnino multum detrahunt, a uelocitate uero minimum, a densitate autem auferunt quidem nihil, sed addunt etiam quippiam, paruitatis ab eo quod secundum naturam habet, defectum per eam corrigentes. Non tamen adhuc tantum est quod apponitur, ut omnem expleat defectum. Quantum igitur deficit ad utilitatis expletionem, hoc in multis deinceps actionibus coaceruatur, & cum parum abest ut animal suffocetur, tunc uoluntatem cogit ad aliquod tempus, maiorem facere respirationem, & multo uelociorem, & priore densiorem. Verum cum in huiusmodi actionibus utilitas quidem expleatur, animal uero doloribus offendatur: uoluntas rursus a magnitudine & uelocitate ac densitate aufert, aliquando plus, aliquando minus: utpote quae consilij inops sit, & neque sistere actionem possit, ob suffocationis timorem, neque aliquam reperire doloris medelam queat. Quare modo ad hoc, modo ad aliud transit: illud quidem, ut utilitatem expleturum: hoc uero, ut dolorem mitigaturum. Cum uero omnia quae utilitatem expleant, exacerbent dolores, quae uero dolores mitigant, augeant utilitatem, atque nulla communis utriusque medela reperiatur: multiformiter ad omnia transit, ob consilij inopiam semper aegre ferens quod praesens est. Atque hinc tum inaequalitas circa singulas, & omnes etiam deinceps respirationes, tum multiformis illa ordinis perturbatio originem habet. Ex corruptione enim parilitatis, inaequalitatum omnium itemque ordinis perturbationum generatio oritur. Demonstratum namque & hoc in libris de pulsuum differentia, quod parilitas consequenter habens, aequalitas est: parilitas uero iuxta circuitus, ordo est: & quibus consequenter habens parilitas corrumpitur, inaequalitas: ubi uero iuxta circuitus reuertens, ordinis perturbatio generatur. At uero quamuis multa inaequalitas, & multa ordinis perturbatio in eiusmodi affectionibus incidat, superat tamen id genus respirandi difficultatis, quod iuxta paruitatem & densitatem consistit. Etenim si est magna aliquando respirationem

† Igitur e
mili quid
inaequalit
generatio
respiratio
bebit si cu
fibus ea co
leris: id qu
no praeter
eamus &
alii interpre
tes.
† Vassens
lius & clari
Nepes i hui
uifis image
busque ut
ratio ipsa
mutetur qu
da mo & t
rier tu ad
qualitatis
inordinati
nis generat
ne, atque e
ab usu sic
titate, est
consentane
Nepes dicit
gulis respi
tionis actio
bus exigua
quiddam de
tatisper & e
gua ei quae
secundum na
ra est fit per
mutatio.

* Non est in
gracis . ut sit
lentus fumosa
materie recre
menta oia,
apparet acris
& calida.

A pro uauice faciant, ueluti periculum facientes in eiusmodi respiratione, desistunt tamen cuestigio propter dolorem, ac per multum tempus ualde parum respirant, donec ab aliqua urgente utilitate coacti ad aliam rursus conuertuntur experientiam magnae respirationis. Assiduitas igitur inaequalitatis & inordinatae mutationis, in uelocitate ac tarditate, & in densitatis alterationibus, maxime ipsis consistit: cum nunquam quidem simpliciter rara respiratio fiat, propter urgentem utilitatem, minus tamen & magis densa, atque in hoc sane inaequalitatem acquirit. Quare densus semper hoc modo dispositus est spiritus, magnus autem raro, tardus uero nihil magis quam uelox propter repentinam ipsorum in utranque partem transitionem. Recte igitur antea dictum est, quod ad omnia dolore afflicta organa, quae circa respirationes commouentur, paruus & densus spiritus consequatur. Et iuxta eandem rationem in delirijis magnum fieri & rarum spiritum: quaequam etiam his uel maxime inaequalitas comes sit. Exuperat enim in ipsis raritas & magnitudo: magis enim & minus rarus, & magis ac minus magnus spiritus in delirantibus redditur, paruus uero & densus nunquam. Atque haec quidem mihi sufficere uidentur de inaequalitatum cognitione, tum quae circa unam actionem, tum quae in pluribus consistunt. Dicta sunt enim & de ijs quae ratio postulat ad sermonis communitatem referri, & euidenter quidem haec compositae sunt, multis omnino actionibus ad generationem & dimotionem indigentes. Quae uero circa unam actionem consistunt, (uelut etiam ante relatam est) fere uideri possunt alicui simplices esse. Porro non de coaceruatis tantum inaequalitatibus, sed etiam de ordinis perturbationibus hic transeginus: sunt enim species quaedam inaequalitatum, uelut etiam in libris de pulsibus est demonstratum.

De causis difficultatum compositarum, quae circa singulas respirationis partes

seorsum consistunt.

Cap. 20.

Ad reliquas igitur compositas difficultatis respirationis species regrediamur, & primum sane eas in manus sumamus, quae circa unam actionem quancunque tandem consistunt. Equidem inspiratio magna simulque uelox, ob utilitatem urgentem fit: & si organa sunt prompta, & facultas propriae conseruat integram sanitatem, aut certe parum immutatam. Demonstratione autem hic sermo non habet opus apud eos qui superius dictorum meminerunt. Rursus uero magna & tarda solis mente motis contingit, atque his non semper: & conspicua utique etiam hic est causae consideratio ex praedictis. Quemadmodum etiam quod paruam habent inspirationem & tardam hi quibus insitus calor multum est perfrigeratus. Quae restat autem adhuc coniugatio quarta, paruitas erat cum uelocitate, & fit perpetuo quidem in nulla affectione simplici, quemadmodum neque magna simulque tarda, quam aliquando mente motis accidere diximus: sequitur tamen quancquam non semper, sed ut plurimum, ubi simul dolor & utilitatis incrementum concurrunt: parum enim necessario in doloribus respirant: inexplata autem manente utilitate, tum ob hanc ipsam paruitatem, tum quae alias per se ipsam utilitatem abundare proposuimus, non satis est solum densari ipsas actiones, sed coguntur sepe conuulsorie inspirare. Ad eundem porro cum praedictis modum etiam in coniugationibus circa expirationem, ipsas affectiones perscrutari oportet. Nam & in his aut facultatem, aut aliquod organum uitiatum, aut caloris modum alterari inueniemus. Quae enim uelut fuliginosa, ac fauilliosa, & fumosa recrementa appellamus in caliditatis genere, ea omnia terrea sunt, & uelut semicocta cum innato calore, quemadmodum fumus cum igne: apparet enim in hoc euidenter acris omnia & calida [&] fumosa materiae recrementa, ostendentia suscepiam quidem esse in se ipsa ignis uim, non tamen adhuc penitus ab igne se superata: flamma enim ita nata esset, & non adhuc fumus esset. Quare si quis fumosa caliditate in corporibus animantium redundante, expirationem magnam simulque uelocem fieri dicat, non utique errarit. Manifestum est autem quod & facultatem integram esse tunc oportet, & nullum ex organis uitiatum. Similiter autem & magnam simulque tardam in quibusdam delirantibus fieri, eodem modo quo contingit circa inspirationem. Sic & paruam simulque tardam fieri his quibus nullum fumosum recrementum est coaceruatum. Et paruam ac uelocem, quibus est congregatum fumosum recrementum, & dolent simul aliquam particulam, quae circa respirationes mouetur, semper enim huius memorem esse oportet, etiam si aliquando in sermone omittatur.

De causis compositarum respirationis difficultatum quae a ritmo sumuntur.

Cap. 21.

Atque haec quidem sunt quatuor respirandi difficultatis coniugationes, quae circa utranque totius respirationis partem seorsum consistunt. Aliae autem circa rhythmum & consonantiam ipsius, non circa utranque seorsum partem sunt. Cum enim inspirationem expirationi coferimus, quemadmodum in pulsibus dilatationem contractioni, rhythmum hoc ipsum appellamus. Manifestum autem quod eandem speculationem hic locus experat, quam de pulsuum rhythmis Herophilus conscripsit. Dicta quidem etiam nobis de ipsis quae necessaria sunt in pulsuum tractationibus, dicitur autem & nunc quam fieri potest breuissimis, quibusnam ueluti scopis quibusdam animum attendere oporteat, ut facile causas dissonantiae in respirationibus inueniamus. Quae enim iam iuxta utranque totius respirationis partem, inspirationem dico & expirationem, in superiori sermone recensuimus, ea ipsa etiam nunc inspicere operapretium existimo circa ipsorum dissonantias. Velut uerbi gratia, (non enim malum fuerit in uno quopiam uelut exemplo demonstrare id quod dicitur.) Sit equidem tardior & minor quam secundum naturam inspiratio, uelocior autem & maior exspiratio: his sane qui ita dispositi sunt dicemus calorem secundum naturam, imminutum esse: auctum uero esse, fumosum. Rursus in altera dissonantia quae contrario mo-

do habet, ita ut inspiratio quidē sit magna & uelox, expiratio uero parua & tarda, auctum & naturalem calorem dicemus, & nullū esse fumolum recremētum. Duplicē. n. semper intelligere iuxta genus oportet calorē, alterum genuinum & corpori innatū, alterum uero acquisitum ac spurium. Palam igitur est, q̄ huiusmodi coniugatio nihil euariat ab ijs quæ in utraque seorsim, hoc est alterutra existunt. Si. n. inspiratio parua & tarda forte fuerit, perfrigerationem significat caliditatis secūdū naturā, quomodo- cunq; habeat ipsa expiratio: si uero expiratio eodē modo fuerit disposita, de caliditate præter naturam idem indicabit. Nam & si magna aliquando ac uelox fiat, redundantem significabit caliditatem præter naturam quomodocunq; habeat ipsa inspiratio. Quare nihil amplius ad prænotiones, huiusmodi cōplexus docet, quàm ea quæ iam singulatim de alterutra ipsarum sunt cognita & perspecta.

Quæ difficultatum respirationis coniugationes ad affectuum cognitionem utiles sint.

Cap. 22.

ITaq; ad solas illas cōpositas respirandi difficultates animū intendere nos oportet, in quibus simplices quidē, cōes sunt pluriū affectionū, & ob id nihil certi indicat: cōiugata uero alijs quibusdā, ad certū ac minime fallax discrimen ueniūt. Magnitudo. n. respirationis ipsa per se respirandi difficultas quædā est simplex, uerū nullius certę cognitionis signū est, si quidē & urgēte utilitate, & læsa mente fieri solet. At uero si cū dēfite cōsistat, urgētē utilitatē: si cū raritate, deliriū indicat. Similiter autē & paruitas ipsa quidē per se ipsam, aut dolore afflictā aliquā particulā, aut utilitatē exolutā ostendit, ita ut neq; ipsa ali- quid certi indicet. Quæ uero cōponitur, cū densitate quidē dolorē, cū raritate uero utilitatis exolutionē portendit. Quin et si ipsam densitatē per se solā, aut raritatē in manus sumas, ipsarū neutrā per se inuen- neris quicquā certi significantē, nisi hoc discrimē accedat, ut uidelicet cū altera quapiā respirandi diffi- cultatis specie copuletur. Densa enim simulq; magna, utilitatis augmentū indicat. Densa uero simulq; parua, organi alicuius quod cū respirationibus commouetur, dolorē. Ipsa et rara quæ ad deliria & per- frigerationes cōsequitur, si quidē cum magnitudine fuerit copulata, prius ex prædictis, si uero cū par- uitate posterius indicat. Et ob id sane omnium compositarum respirandi difficultatum, huiusmodi con- iugationes utilissimæ sunt, utpote & manifeste, & constanter, unamquaq; affectionem indicat: dēfi- tas quidem cum paruitate dolorē, cū magnitudine uero utilitatis augmentū. Raritas autē cū magnitu- dine, delirium: cū paruitate, utilitatis exolutionem. Fiunt autem quatuor hæ coniugationes, differen- tijs actionū iuxta magnitudinem & paruitatem, ad cessationū differentias permittis. Duæ enim oppo- sitiones inter se permutatæ quatuor constituunt coniugia. Quare & hic perspicuū iam fit, q̄ neque plures neq; pauciores possibile est fieri ex his oppositionibus coniugationes. Verū in cessationibus, una so- la cōtingit oppositio circa densitatē & raritatem. In actionibus uero non solū oppositio circa magni- tudinē & paruitatem, sed etiam circa uelocitatem & tarditatem contingit. Quatuor itaque etiam cir- ca harum permutationes nascentur coniugationes, prima quidem densa & uelox, secūda densa simulq; tarda, tertia rara & uelox, & quarta rara simulq; tarda. Ceterum nullum certę cognitionis signum, sim- pliciter & necessario exhibent, quemadmodum priores quatuor: uerū hoc modo distinguere oportet. Si quidem multa ad densitatē, pauca uero ad uelocitatem transitio fiat, tū doloris, tum utilitatis augmē- tum significat. Si uero uice uersa ad uelocitatem plus, ad densitatē minus, ab eo quod secundum natu- rā est excedit, utilitatem solam auctam demonstrabit. Concurrunt autem ad hanc respirandi difficultatē omnino & magnitudo, ad alteram autem ante ipsam relatam, paruitas: quare neque omnino opus ha- bebimus uelocitatis meminisse. Si. n. coniugatio circa uelocitatem & densitatē indistincta nihil certi no- bis indicat, cum uero distinguitur ita ut uelocitas quidē in ea abundet, statim et cū magnitudine fiet: si uero densitas in ea exuperet, necessario consequentē paruitatē habet: densa utiq; simulq; magna iuxta alteram distinctionē erit, densa uero simulq; parua iuxta alterā. Sic autē et densa ac tarda cōiugatio de- monstrabitur. Abundante. n. densitate, solus dolor indicabitur: ubi uero tm̄ ab eo quod secundum natu- ram est excedit, quantum secundum tarditatem, compositæ dispositionis signum erit: nam & utilitatē imminutam esse ostendet, & particulam aliquam dolore afflictam. Sic uero & cum tarditas dēfitem superabit, signum erit dispositionis iam dictæ, sed minus tamen dolore affici ostendit ita habentes, ma- gis uero utilitatem esse imminutam. Itaque neque hac coniugatione indigemus ad prænotiones: in pri- mis enim quatuor quas utilissimas esse dicebamus, signa habemus & doloris & utilitatis imminutæ magna. Quin & tertia coniugatio iā dicta, rara uidelicet simulq; uelox, nihil necessario indicabit: coin- cidit autem in delirijs quibusdā siue etiam cum ipso utilitatis augmento. Relatū autem antea est, q̄ mē- te motorum rara penitus est & magna respiratio, uelox autem non omnino, uelut neque tarda: fit enim utrunque ipsorum inordinate & inæqualiter: quando tamen coinciderit utilitatis augmentum, tunc co- guntur & multo amplius respirare, quàm si solum mente moti essent, & iam etiam citius. Quare neque hac coniugatione ad prænotiones indigemus, ea quæ per ipsam indicantur cum distinctione iam in pri- mis quatuor coniugationibus habentes. Restabat autem adhuc quarta secundum hoc genus composita respirandi difficultas, tarda uidelicet simulq; rara, quæ etiam ipsa delirijs quibusdam coincidit, & utilitatis imminutionibus: itaq; neque hac opus habemus, nam & delirium, & imminutam utilitatē ex primis quatuor coniugationibus perspectam tenemus.

Quo pacto difficultatum respirationis coniugationes ad ipsius causas referantur.

Cap. 23.

PORRÒ non solū ex demonstratione, differentiam circa uelocitatem & tarditatem non necessariam ad prænotiones esse, (nam neq; si solā accipias, neq; si cum alijs copules, cōmoditas aliqua ex illis fit manifesta)

A fit manifesta) sed etiam ex ipsa rei natura apparet. Cum enim tria sint principalia causarum genera ip- sius respirationis, utilitas, facultas, & instrumenta: palam est, quòd si repererimus ex quibus & quot res- pirandi difficultatibus affectiones in ipsis cognoscantur, hæ quidem nobis omnium utilissimæ ad præ- notiones erunt, reliquas uero omnes ex superponendo cōsiderabimus. At uero repertæ sunt magna quidē & densa, utilitatis augmentum: & contra parua ac rara, imminutionem significantes. Delirij autem propria magna ac rara, dolorum parua & densa. Accesserunt his forinfecus inæquales, quandoq; mus- culosi generis affectiones, quandoq; etiam asperarum arteriarum coarctationes indicantes. Facultatis autem ægotantis, primum quidem nullum necessario reperitur cognitionis signum, ex ulla aliqua res- pirandi difficultate, cum aliter ærumnarum expertes, aliter laboris tolerantes, respirationem formēt. Si igitur etiam sit quippiam inæquale & inordinatum, minime conspicuum est. Et ipsas inæqualitates itēq; ordinis perturbationes generant imparitates, quæ circa densitatem, & raritatem, & paruitatem, ac magnitudinem consistunt, ultra hoc quòd per sexcenta alia animalis facultatis debilitas cognosca- tur ac innotescat, ut nihil nobis hac parte respiratione opus sit, quorū opportunissima & plurima Hip- pocrates in prænotionum tradidit scriptis. Si quid autē relictum est, facillime ex prædictis inueniri po- test. Quòd si quis ipsius respiratoriæ facultatis ægotantis, atque in communi omnis facultatis anima- lis, propria signa habere uelit, & maxime perfrigeratæ, is alarum nasi motum habebit, & omnium mus- culorum circa scapulas actionem, & coaceruatam thoracis collapsionem. Quando enim hic debilius quàm cōuenit mouetur, circa inspirationes quidem, spiritus ductum iuuant alæ nasi, externum aerem etiam ipsæ simul attrahentes, eodem modo quo per os aliquid attrahere uolentes, labia contrahimus. Rursum uero circa expirationes, coaceruata fit thoracis collapsio, non paulatim demissio. Dicitur est autem diffusus in libris de musculorum motu, quatenus differat collapsio particulæ a demissione & la- xatione, nimirum q̄ altera facultate ægotante contingit, altera integra eadem & ualente. Contingit etiam amplius circa expirationes, ijs qui ægram habent respiratoriam facultatem, tale quiddam. Tho- rax tensionem, quam antea circa inspirationes simul cum lepto transuerso obtinuit, omnem acruatim deponit, tanquàm repente mortificatus. Relatum est autem in commentarijs de respiratione. q̄ solum septum transuersum expirantium tensionem exoluit, sed non est idem paulatim exoluere, & acruatim omnem deponere. Ceterum parum quid huiusmodi expirationibus cooperantur intercostales muscu- li, per quorum actiones efflatus fieri demonstrauimus. Talis sane & ob has causas, respirationis species est ijs, qui ægram facultatem habent.

De prænotione ex cessationibus motuum in respiratione.

Cap. 24.

PORRÒ quòd mihi adhuc deesse uidetur ad expletionem huius primi sermonis, iam dicitur. Cum du- plex existat cessatio in respirationibus, una ante inspirationem, altera ante expirationem, uter sane motus offendatur, cessationem etiam ipsam ante, ab eo, quod secundum naturam habet, immutat. Du- plici igitur existente in motibus offensione, ac duplici item in cessationibus: utilitatis quidem defectus semper diuturni tēporis efficiunt cessationes, redundantia uero breuis temporis. Quare cū dixerimus densam & magnā fieri respirationem, præ copia caliditatis in utroq; motu, uerus erit sermo. Abundan- tia nanq; caloris secundum naturam inspirationē magnā reddens, statim etiā præcedentem ipsam ces- sationem breuis tēporis efficit. Abundantia uero caloris præter naturā & fumosi, uelut expirationē ma- gnam, sic etiam cessationē præcedentem breuis tēporis reddit. Quare magnus & densus penitus fit spiritus, quando caliditatis redundarit genus, non tamen neque eandem respirationis particulā in ma- gnitudinem, neque eandem cessationem in densitatem transmutat. Sic etiam si utilitas imminuta fit, ob caloris uidelicet imminutionem, ubi quidem innatus calor imminutus paruam inspirationem reddit, etiā lōga cessatio præcedit. Vbi uero calor præter naturam deperditur parua quidem expiratio, longa uero ante ipsam cessatio contingit. Sæpenuero uero calor præter naturā auctus est, calor uero secun- dum naturā imminutus est: atq; ita cessatio ante inspirationē diutini temporis redditur, altera uero an- te expirationem breuis. Vtrum enim ex motibus ipsa utilitas urgebit, is præcedentem cessationem cun- ctari nō permittit.

Epilogus eorum quæ de prænotione ex respirandi coniugationibus dicta sunt. Cap. 25.

DICTUM igit nūc de ipsis quantū ad præsens institutū cōmodū existit. Si quis uero adhuc hæret cir- ca differentiā caliditatis, hūc non est nunc tēpestiuū de his edoceri, sed ad cōmentarios de inna- to calore remittimus. Opinor. n. ipsum, (nisi penitus cōtentiosus existat) oīs hēsitationis suæ istic reme- dia inuenturum. Quid igitur nunc demum restat? Quod addi quidem possit nihil, quod non etiā prius sit relatum. Verum ut prædicta in memoriā reuocemus id iam restat, quo uidelicet quæ deinceps refe- rentur t facile cum his cohæreant & sequantur: si breui totam ipsorum summam complectamur. Porro summa hæc ab ipsius rei substantia procedit. Oportet. n. facultatis & organorum, & utilitatis affectio- nes cognitatas & perspectas habere: demonstrauimus autē quot uniuscuiusq; dictorū sint affectiones, & quæ respirandi difficultates earum cognitionem exhibeant. Et quòd necessariae quidem sint quatuor coniugationes, & supra has inæqualitas quinta. Reliqua uero oīa quæ respirationibus accidunt, tum sim- plicia, tum composita, ad quas causas consequantur necessarium est discere: minime uero conuenit ex- istimare, necessario ea aliquid ex indicare, sed si quid ex illis ad prænotionem contingit, uelut corolla- rium habere: accuratissimam autem & constantissimam solam esse differentiam, quæ in iam sæpe dictis quatuor coniugijs consistit, atque adhuc etiam eam quæ fit circa inæqualitatem.

† Facile affe- quimini, pau- cis totam eo- rum summam habentes.

nit, statim frigiditas, taciturnitas, spiritus tenuis & imminutus: sero rursus exalfectus est, delirauit. E
 † Consequenter igitur hic complexus est ac scriptis simul commiscens, & quod spiritus ipsi tenuis erat ac imminutus, & quod in una & eadem octaua die delirauit. Num igitur iam per Iouem manifestum est, quod non in omni delirio Hippocrates rarum ac magnum spiritum fieri ait? Nisi sane putas bone uir, imminutum nihil à magno differre. Si enim hoc putas, manifestum est quod neq; imminuere, quid sit noster, & idem esse putas quod augere, ne igitur à nobis talia discas, sed ad eos qui primas literas ac elementa docent, eas. Ceterum uelut elementa non didicerat ille significationis uerbi, imminuere, ignarus, sic neq; Hippocratis scripta legerat. Omnino enim sexcenties in ipsis reperisset, & imminuere, & imminui, & imminutione, circa omnes fere numeros & genera & casus ubiq; inclinata, & cōtrarium uerbo augere & augmento significantia. Quare etiam imminutus spiritus contrarius utiq; fuerit aucto. Quemadmodum igitur auctus magnus, sic imminutus paruus est. Sic igitur & cum diem secundam enarrat Pythionis, Breuispirum ipsum appellat. Breuis enim spiratio & actio, & quietem ipsam breuem fieri indicat: quemadmodum longa spiratio contra, ambo esse producta. Atqui etiam si alterum ipsorum indicaretur, tamen etiam sic in confesso esset, quod non omnibus delirantibus magnus & rarus spiritus fieret. Rarus enim & magnus iuxta ambo longus est, & actionem uidelicet & quietem. Breuis uero spiratio † omnino iuxta ambo ipsa breuis, quemadmodum etiam tenuis & imminutus spiritus, breuis omnino existit.

In delirantibus magnum & rarum spiritum, & huic contrarium, & utrosq;
 Hippocrate teste, contigisse.

Cap. 5

Ipsa itaq; Hipp. manifeste nouit nō omnibus deliris necessariū esse spiritū magnū & rarum. Nec uero pugnat hoc cū pnuntiato de eiusmodi spirādi difficultate lato: rarus. n. & magnus spiritus pprius est delirij, & ppter ea necessario ipsum significabit. Nō tñ si quis delirat, necessario magnū & rarū spūm habet. Neque. n. inseparabilē, sed pprium esse diximus delirij rarū & magnū spūm. Quēadmodū esse geometriā, esse architectū, esse philosophū, esse rhetorē, & sexcetera alia, quæ singula nulli alij adsunt aīali praterq; homini soli, & ob id ppria ipsius esse dicunt, nō tamē inseparabilia, quemadmodū est rōnale. Neque enim quicquid pprium est, statim etiā est inseparabile. Quēadmodum autē hæc nos reprehensa ab ipsis dialectica docuit, sic etiam q; tale pnuntiatum, si magnū & rarum spiritū ducit, delirat, neq; idē est quod hoc, si delirat, magnū & rarū spiritū habet, neq; necessariū est ambo simul esse uera. Non enim reciprocant hæc inter se mutuo, sed solū reuertunt. Sicut igitur nemo Olympia uincere potest, nisi prius multo tēpore sit exercitatus: sic neq; in ueritatis sermonibus clārus euadet, qui non didicerit etiā horū luctas. Et quēadmodum ne cadere quidē decenti habitu sciunt luctæ penitus rudes, sed aliquando ad terram supini prostrati, & tenent, & strangulāt, & nō dimittunt uictorē. Eodem modo artis sermocinandi rudes sepe manifeste turpissimo casu lapsi, rātum abest ut uerecundentur, ut etiā uicisse se existimēt. Quēadmodum etiam hic qui delirantem nobis demonstrauit paruū spiritū dūcentem, atque inde per hoc uisum Hippocratis sententiā redarguisse se existimauit. Hic itaq; turpissimo casu lapsus, putauit tamē se nos prostrauisse. Quomodo enim non turpissimus hic lapsus est? cum simul inueniretur nihil ex scriptis Hippocraticis legisse, & ob id putasse illius scripta uana esse? simulq; nihil intelligeret, ex illius dictis sed obaudiret, & idem esse putaret, magnum & rarum spiritū delirij esse signum, & ad delirium omnino dictam dyspnoeam sequi? Deinde quid miri est in curādi ratiocinationibus, cæcutire eos qui tam parua non cognoscunt? Verum hæc parua ex alijs itidem paruis dependent, quorum itē nihil pensauerunt. Etenim ignorare quæ facultas respirationis actionem gubernet, principium est huiusmodi errorū: ignoratum est aut illud, propterea q; ante ignoratum fuit, unde propositiones exquirere oporteat ad demonstrationes. Qui enim circa hoc luctæ genus aut inexercitati fuerint, aut penitus rudes, eiusmodi casus incurrunt. Demonstratū etiā nobis in alijs est, & maxime in secūdo de motu musculorū, q; hi qui respirationem inuoluntariū opus esse dicunt, ex eo q; nō potuerunt à substantia ipsius rei propositiones ad demonstrationem exquirere, sed alia ut contingentia & accidentia prout occurrerunt, secuti sunt, in errorem inciderunt. Verum Hippocrates ipsam rerū naturam cōtuitus, & alijs ut cōtingentibus contēptis, in uniuersum constanter pnuntiauit in prænotionibus: Spiritus magnus & per multum tempus, delirium significat. Particulatim uero per apparentia in morbis, sermonem extremis ad rei certitudinem experientijs factis, examinauit ac approbauit: quas opinor admirabitur qui dictus animum aduertere uelit. Dicit enim quod omnibus delirij magnus & rarus spiritus iuxta propriam ipsorum rationem comes est, non tamen omnibus deliris, sed illis tantum qui non per aliam quandam affectionem delirio maiorem, respirationem habent aliter alteratam. Concedatur autem mihi, ut prius unius ægrotæ foeminae apponam enarrationem, quæ in tertio morborum popularium est conscripta, ad iam relata demonstranda, & ad ea quæ nunc proposita sunt inuenienda. Auspicatur itaque de ipsa sermonem hoc modo: In Thaso Dealcis uxorem quæ in Leio decumbebat, febris cum horrore acuta ex mœrore corripuit. Ab initio autem contegebatur, & ad finem semper silens palpabat, uellebat, sculpebat, pilos legebat: lachrymæ, & rursus risus: non dormiebat: à uentre irritatio, nihil prodibat, parum commonita bibebat, urinæ pauca, tenues, nihil substans habentes: febres ad manum tenues, extremarum partium frigiditas. Nona multum delirabat, & rursus sedata est silens. Quod igitur ab initio & ad finem hæc ipsa desipuerit, didicimus. Neque enim una desipien-

† Ar. salte iuxta alteru: ipserū breui

Atia species ipsi accidit, neq; uulgaris, sed multæ & fortes: partim silenti, partim loquenti, & partim cum lachrymis, partim cum risu. Audiamus autem deinceps ex Hippocrate, qualis dyspnoæ species ipsi oborta sit, scribit autem sic: Decimaquarta spiritus rarus, magnus, per tempus, & rursus breuispira. Hic equidem rursus manifeste per oppositionem dicta est breuispira, ad eam quæ magnū & rarum spiritum habebat: & nullus sane amplius, etiam si omnino finitimus nobis sit dubitauerit de eo q; non omnibus deliris Hippocrates rarum & magnam respirationem fieri dixerit. Itaque in una & eadem foemina utriusque difficultatis spirandi ex ordine commemorat, & paululum progressus amplius sic scribit: Vigesima sermones multi, & rursus sedata est, taciturna, breuispira. Deinde ubi dixit, Vigesima prima mortua est, ad finem totius sermonis hæc addit: Huic ad finem spiritus rarus, magnus, omnino nihil sentiebat, semper contegebatur.

Quid hæc uoces apud Hippoc. significant, per tempus, & ad finem.

Cap. 6.

Manifestum igitur est ex omnibus quæ retulimus, q; Hippocrates aliquando magnum & rarum spiritum deliris fieri nouit, aliquando uero ipsius contrarium, aliquando utrosq; in eodem homine singulatim incidere. Et sane me tibi demonstraturum esse confido, si modo mentem adhibueris, & non quasi aliud agens supina aure dicta hauseris, in ipsis quos descripsit ægris singularum prædictarum differentiarum causam ab ipso esse indicatam. In initium autem faciam a postrema nobis adscripta ægrotæ Dealcis uxore, in qua omni completo sermone: deinde uelut consueuit, breuiter contenta capita recolligēs hæc scribit: Huic ad finem spiritus rarus, magnus, omnino nihil sentiebat. Etenim quod dicit omnino nihil etiam respirationis utilitatem comprehendit, cuius itidem diutius negligens erat, propterea q; nihil sentiebat: & cum per hoc magna quies ac cessatio perficeretur, rarus spiritus reddebatur. Nimirum tunc primum ad actionem uoluntate concitata, quando prope perniciem & suffocationem peruenit. Quemadmodum autem hæc foemina, non sufficienter bibebat, (parum enim, inquit, commonita bibebat) sic neque respirabat priusquam a uiolentia circa suffocationem admoneretur, multo uehementius pungente ac stimulante & ad actionem excitante, quam hi qui ad bibendum commovent. Vbi uero iam respirare coepisset, reuocabat nihilominus omnem priorem defectum per magnitudinem actionis, similiter ut hi qui in mœrore & luctu suspirant. Verum illi quidem ob duplicem causam hoc faciunt, tum q; circa curam, ob quam tristantur, conuertantur, & ob id rarius ac minus respirantes per multas ex ordine actiones, deinde a defectu coacti, omnem ipsum semel explere coguntur: tum amplius etiam propterea q; circa mœrores, & spiritus & calor intus mouetur. In eiusmodi uero dispositionibus, latenter & paulatim multus calor in alto coaceruatus ubi primum hominem molestarit, necesse est amplius respirare. Verum in affectionibus delirantium, necessitas quidem a prima causa con similis est: a secunda uero non itidem existit. Neque enim intro magis quam extra his calor mouetur, nisi fortuito alia quedam accessio fiat. Differunt autem & febricitando deliri ab ijs qui alias mœrore affecti sunt. Atqui & ipse Hippocrates reperitur in ipsis reuocationis uocabulo esse usus, quemadmodum alibi & de Philisco loquens, Huic spiritus ad finem uelut reuocato. Quid igitur tandem est quod ait per tempus? nam certe & hoc iustum est exponere. Siue enim deest, multum, ut idē sit quod in prænotionibus dictum est: Spiritus magnus & per multum tempus desipientiam significat. Verū si hoc est, bis consequenter idem dictum fuerit, tum in Dealcis uxore, tum in adolescente in Melibia. Scribit. n. in utrisque consimiliter, Spiritus rarus, magnus, per tempus. Siue multum, apponatur, quod dictum est tale fiet: Spiritus rarus, magnus, per multum tempus. & bis dicitur utique rarus. Nequaquam igitur particulam, Multum, deesse putandum est, aut certe non sic deficere uelut nunc diximus, sed aliter & iuxta alium modum, ut sit quod dictum est tale: Spiritus magnus, & rarus, non continenter, neque ex ordine consequenter, sed per longius tempus. Si enim continenter & consequenter omnes respirationes contingeret fieri magnas & raras, non apponere oporteret huiusmodi respirationibus, per tēpus, sed simpliciter scribere, Spiritus magnus & rarus. Si uero plures quidem respirationes non fierent magnæ & Draræ, coinciderent autem aliquæ pauca huiusmodi: tunc sane non simpliciter spiritum rarum & magnum dicere oporteret, sed per tempus apponere: Aut etiam cum hoc pugnat quod in Dealcis uxore dictum est in fine totius sermonis. Huic enim, inquit, spiritus ad finem rarus, & magnus: atqui superius dixerat in decimaquarta die, Spiritus rarus, & magnus, per tēpus. Manifeste enim quod nunc, per tempus, hoc in sequentibus, ad finem, dixit. Quid est igitur ad finem? id uidelicet quod usq; ad finem per omnem morbum contingit. Verum cum hoc pugnat uidebitur, quod in decimaquarta die est dictum: Spiritus rarus, & magnus, per tempus, & rursus breuispira. Quomodo enim si per omne tempus magnus & rarus erat spiritus, etiam rursus uox breuispira adscripta est? Siquidem enim omnino aliquod tempus fuit, in quo breuispira erat, non penitus longispira erat. At uero q; penitus uelit ipsam longispiram factam esse, tamen non per hæc uerba in decimaquarta die, uerum in fine utique, cum ait, ad finem, manifestum redditur, ac omnes hoc ipsum consistebuntur, qui Hippocratis dictionem audire sunt assueti. Neque enim semel aut iterum, sed ualde frequenter reperitur apud ipsum, ad finem, neque in alio ullo usurpatum quàm ubi per omne tempus indicare uelit. Quare hoc dubium penitus manet, siue hoc ipsum, ad finem, per multum tempus significare suspicemur, siue aliud quicquam. Immo sane neque dubium est, sed frustra nos ipsos calūniamur. Non enim dissecat id quod raro incidit, in ullo aliquo eorum quæ sic dicuntur, sententiam in uniuersum prolatam. Quemadmodum si etiam sic dicremus: Huic foeminae

minæ per omne quidem tempus magnus & rarus erat spiritus: incidebat tamen aliquando rarerentur spi-
ratio breuis. Quod uero huiusmodi sermo ipsi Hippocrati sit familiaris, cum ex alijs libris ostendere li-
cet, tum ex ipso tertio popularium morborum, in quo etiam hæc ægrota conscripta est. Pestilentem. n.
cōstitutionem enarrans, sic sane incepit: Annus autrinus, pluuiosus, sine flatibus ad finem. Et paululum
progressus ait: Etesia parui dispersum spirarūt. Verum ob hoc ipsum sine flatibus annum dixit, q̄ neque
alij quidam uenti, neque qui Etesia appellantur continenter & memorabiliter spirauerūt, sed parui &
dispersum. Rursus porro Apollonium in Abderis decimum tertium ab hac constitutione scribens, postq̄
de omnibus circa morbum ipsius diebus recensuit, ad caudam totius sermonis apposuit, Delirus ad fi-
nem. Atqui paulo supra de ipso scripserat hæc uerba: Circa uigesimam quartam per lenitudinem alia
quidem in eodem statu, parum autem respiebat. Verum non sufficiens erat ipsum parum respuisse, ad
hoc ut totam de ægroto prolatam sententiā subuenteret, & ob id recte dixit, Delirus ad finem, hoc est
vsque ad finem, quod idem ualet quod, per omnem morbum.

*Qua de causa rarus & magnus spiritus aliquibus semper delirantibus, aliquibus nunquam, aliquibus ad ali-
quod tempus contingat, ac de differentia scriptorum Hippoc. & Thucydidis. Cap. 7.*

Iam igitur tandem finem sermoni imponere oportet, q̄ per tempus, non idem est quod, ad finem. Et
quandoquidem hoc demonstratum est, causam deinceps referemus, ob quam aliquibus deliris ra-
rus & magnus per omnem morbum sit spiritus, aliquibus uero nunquam, & quibusdam per longius tem-
pus, raro intercedente aut simpliciter diuerso, aut etiam cōtrario. Quibusdam uero uice uersa, raro qui-
dem magnus & rarus, sæpe uero aut contrarius, aut quoquomodo diuersus, quibusdam uero ex æquo
uterq̄. In memoriam itaque & hic reuocemus ea quæ in primo libro sunt demonstrata, de simplicibus
affectioibus. Dolorem etenim solum, in aliqua particula quæ circa respiraciones mouetur factū, par-
uam & densam efficere uniuersam respirationem demonstrabatur. Delirium uero solum contrariam il-
li ipsi, raram uidelicet & magnam. Augmentum autem caloris magnam & densam. Et contrariam ipsi
frigiditatem, paruam, & raram. Si igitur a solo delirio respirationis ornatus & integritas confunditur,
magnus & rarus erit spiritus perpetuo. Si uero a solo dolore, paruus & densus. Si uero ambo concur-
rant, & dolor uehementer superet, obscura omnino alteratio ex delirio erit. Si uero moderatus fuerit
dolor, aut plus quidem ex dolore, minus uero ex delirio: respirationem alterari continget aut uice uer-
sa, aut æqualiter iuxta utrunq̄. Neque enim delirium ualde perfecte demoliri potest alterationem quæ
fit ex dolore, præterquam si ipsum ualde sit magnum & uehemens, dolor uero paruus & obscurus. At
uero dolor ubi fortis fuerit, perfecte euincit respirationis difficultatem, quæ ex delirio induceretur, ut
in totum ne compareat quidem. Sic etiam si cum alia quapiam affectione delirium complexum sit, re-
spirationis speciem interdum aliam efficit, secundum quod aut superat, aut superatur, aut æqua poten-
tia prædita sunt, aut nunc quidem (si ita contingat) superat, rursus uero in alio tempore morbi superet.
Demonstrabimus igitur quod etiam hoc ipsum in libris morborum popularium docet, per cōscriptos
in ipsis ægros. Demonstrabitur autem euidenter & manifeste, ubi prius parum quiddam de Hippo-
cratis uoluntate ac proposito præfati fuerimus. Existimant enim ueteres omnia quæ ægris contingunt
ipsum conscribere, uelut Thucydiden. Verum res non ita habet, sed hoc ipsum est in quo uel maxime
contraria sunt Hippocratis & Thucydidis scripta. Thucydides enim omnia scribit etiam idiotis nota, ni-
hil ipsorum penitus prætermittens. Hippocrates uero pauca ex ijs quæ ad ipsam affectionem pertinet,
circa quam ægrotus est periclitatus: multa uero alia ab idiotis quidē neglecta, artificiosam uero & exa-
ctam cognitionem exhibentia, & quæ etiam optimos medicos sæpe latere possunt: Hic uelox in inter-
pretando, & nihil quod non magnopere iuuat scribendum sibi ducens, uidebit tibi rursus propria men-
te emoueri, quando etiam quæ penitus non sunt facta ægro scribit, hoc ipsum insuper indicans q̄ non
sint facta. Hic uero etiam ex factis plurima relinquens, minime uidebitur in non factis tempus terēdo
delirare. Verum si meditatus fueris ob eandem causam, tum illa relinqui, tum hæc scribi, tunc sane opi-
nor te ipsum esse admiraturum: neque enim uulgaria, neq̄ quæ quilibet medicus assequi queat, hic scri-
psit. Demonstratum est autem de his nobis, tum in alijs multis libris, tum in his qui sunt de Hippocra-
tis dissectione scripti, nec minus etiam in ijs qui de Thucydidis peste. Horum igitur memor, haud diffi-
culter intelliges ea quæ dicentur. Demonstrabo enim (quauis præter opinionem hoc esse uidebitur)
multos difficulter spirantes esse in morbis popularibus conscriptos, uerum Hippocrate nihil de diffi-
cili ipsorum respiratione dixisse, propterea quod manifesta erat & omnibus medicis cōspicua. Si enim
aut pectus, aut costas, aut locos circa clauiculas, aut fauces alicui inflammari cōtingat, & ob id paruus
ac densus spiritus necessario sequatur, uelut in priore sermone est commonstratum, Hippocrates neq̄
difficilis respirationis speciem, neque prorsus q̄ difficulter spirans factus est, scribere dignatus est. Mul-
tam enim & frequentem huiusmodi dyspnœæ speciem quotidie fere uidere est & in peripneumonicis,
& pleuriticis, & in angina, ac simpliciter in omnibus quibus aliquid circa thoracem ac pulmonem est
inflammatum. Quin & ad hepar inflammatum, & præsertim gibbam eius partem, & ad splenem inflam-
matum, & maxime ipsius caput, itemq̄ peritonæum, eiusmodi difficilis spirationis species consequitur.
Immo etiam quibus uenter inflammatus est, & magis si os & stomachus ipsius, & quibus pellicula ali-
qua, aut musculus circa præcordia, aut ipsum adeo septum transuersum, his omnibus paruus & densus
sit spiritus. Sæpe uero etiam intestinum aliquod gracile, & maxime quæ iuxta iciumum, & supernæ coli
partes

* τινος. i. den-
sus. & ita oio
legendum est.

† Calaber me-
liore codice
sequutus ita
uertit, & inti-
culari ppter
hoc alios sub
noie Hippo-
cratis, quia
Thesalus oia
quæ pater su-
scripserat in
parois tabulis
studuit acer-
uare in idem
ut nihil peri-
ret, uide etiā
ca. i. libri ter-
tij.
† Ad huc mor-
bum.

A partes, maiori inflammatione correpta, adeo difficilem spirationem induxerunt. Per inflammationem
autem nunc intelligendus est durus, & calidus, & dolens tumor, quemadmodum & Erasistratus uoca-
re consuetudinem habet, & recentiores medici omnes: quandoquidem quod ueteres Græci phlogosin
id nominauerint, quod hodie phlegmonem, hoc est inflammationem dicimus, nemo fere ignorat. De-
monstratum est autem in libro hunc præcedente, ob quid hydropicis & ijs qui se aut potu, aut cibis su-
pra modum expleuerunt, & prægnantibus, & qui prominentem uentrem habent, paruus & rarus * fiat
spiritus, & uniuersim loquendo, omnibus quibus aliquod respiratorium organum coarctatur. Sic enim
& anhelosis, & pulmonarijs, & suppuratis, & quibus spina dorsii magnopere distorta est, aut alius qui-
piam tumor memorabilis in quacunq̄ prædicta particula existit, necessarium est paruus & densum
spiritum ducere. Hi igitur neque uulgares quidem medicos latere possunt, sicut neque affectiones ip-
sorum, ad quas necessario sequitur spirandi difficultas. Nā & affectus manifesti sunt, & species dyspnœæ
euidens est, & plerisque tantum non quotidie contingit. Verum q̄ Hippocrates nihil ex tam manifestis
scribat, sæpe demonstratum est. Thucydides equidem quæ circa ægros contingunt, uelut idiotas, idiotis
conscriptit: Hippocrates uero ut artifex artificibus.

*Qui mos scribendi Hippocratis in proprijs & legitimis libris Epidemicis, ac cur in aliquibus
ægris respirandi speciem tacuerit. Cap. 8.*

Dicamus igitur iam etiam ipsos difficulter spirantes ægros, in quibus non dignatus est non solū
non speciem difficilis respirationis, sed neque ipsum hoc solum simpliciter dicere, quod difficul-
ter spirauerint. Quando uero septem sunt ex toto morborum popularium libri, & ex his septimus ma-
nifeste spurius esse omnibus uidetur, immo & recentior ac subornatus. Quintus uero non magni Hip-
pocratis Heraclidæ filij, sed iunioris filij Draconis. Secundus uero ac quartus, & sextus, ab aliquibus
Hippocratis filij, ab alijs uero ipsius Hippocratis esse putantur, non tamen ut conscriptos libros, neque
ut Græcis inuulgandos, sed commentarios potius esse. Quibusdam uero qui mihi exactius librorū uim
expendisse uidentur, a Thesalo conscriptos esse quinque libros uidetur: uerum duos esse magni Hip-
pocratis, & ob id sane inscriptos illos esse, libri ex parua tabella, Thesali uidelicet, qui omnia quæ pa-
ter ipsius scripserat, in idem coaceruare studio habuit, quo nihil deperiret: solos autem reliquos ex his
septem libris, Hippocratis magni esse fere omnibus confessum est, nempe primum & tertium. Proinde
rationi consentaneum mihi uisum est, primum eos ægros qui in his libris conscripti sunt, in manus su-
mere: postea uero etiam eos qui in alijs morborū popularium libris proditi sunt, ipsi statim annexere,
prout sermonis progressus hoc ipsum sibi peculiariter postulauerit, immo etiam quæcunque in alijs ip-
sius scriptis de respirandi difficultate sunt dicta. Et sane primi omnium Anaxionis mentionē faciemus,
quem, uelut ipse ait, Febris acuta apprehendit, lateris dextri dolor continens, tussit aridas, & neque ex-
puit primis diebus. Et primum utique hoc ipsum demonstrabimus, cur tandem cū breuiloquus sit Hip-
pocrates, licuissetq̄ ipsi per unum nomen, q̄ pleuriticus erat Anaxion, dicere, sic relatis accessionibus
quæ † ad hoc nomen, coincidere solent, per illas ipsas magis dignatus sit facere de ipso enarrationem.
Neque enim aliās hunc morem habet, sed penitus contrarium, ut uidelicet ad unum nomen & caput,
partialia semper reducat. Neque uero uerisimile est nunc eū fortuito sic scribere, qui neque unum ali-
quod temere scribat. Quæ est igitur causa? Singulorum morborum accessiones partim necessario, par-
tim ut plurimum existunt. Earum quæ necessario existunt, plures sunt differentia. Quædam sæpissime
uidentur, & ob id naturæ morbi propriæ esse creduntur. Quædam ualde raro, & propter aliquod præci-
pium quod priuatim incidit, Hippocrates igitur cum consuetæ species accessionum extiterint, tunc
sane solo uniuersali morbi nomine contentus est: cum uero aliquid ex raris incidit, post uniuersalem &
communem totius morbi appellationem, statim illud ipsum discriminat. Quod si plures aliquando con-
spiciat affectionum species, quæ singulæ supra communem & consuetam naturam propria discrimina-
tione opus habent, tunc uniuersale quidem transgreditur: enumerat autem statim singula partialia, tan-
quam sane ex his etiam illud manifestum fiat. Pleuriticis itaque necessario accedit & lateris dolor, atq̄
hic cum febre, & respirandi difficultas, & tussis. Neque enim possibile est pleuriticum esse, cui non om-
nia hæc adsint. Verum efferrī quicquā ex inflammationis partibus unā cum tussi, non quidem neces-
sarium est, ut plurimum tamen contingit. Sic uero etiam eorum quæ efferuntur species subrubra, aut
subflaua, aut spumosa existit. Quemadmodum autem in iam dictis, aliud consuetum, aliud peregrinum
est. Sic etiam in ipsis quæ, necessario coincidunt, aliqua species sæpissime, aliqua raro uidentur. Hippo-
crates itaque in proposito nunc ægroto Anaxione, postquam particulares affectiones discriminatione
indigebant, ut quæ rarioris speciei essent, quibus ipsis distinctis, pleuriticus cōcurfus manifeste cogno-
bilis redderetur, superuacaneum existimauit scribere, quod omnino citra conscriptionem erat intelli-
gibile. Febris enim, inquit, acuta apprehendit, & dexteri lateris dolor continens, & tussit aridas, tussi-
culas uidelicet. Non solum igitur q̄ febris fuit, sed etiam qualis nam didicisti: acuta enim, inquit, & nō
solum q̄ lateris dolor, sed etiam qualis, nempe continens. Et non solum quod tusses, sed etiam quæ, &
quales, nimirum aridæ, neque quicquā expuentes. In eodem autem hoc sermone didicisti q̄ pleuriti-
cus fuerit hic homo. In nullo enim ex omnibus morbis prædictarum affectionum cōcurfus adest, præ-
terquam in pleuride. Per unum itaque sermonem, & q̄ cum pleuride conflictatus sit homo, & qualis
hæc ipsa fuerit, ostensum est. Quando uero respirandi difficultas necessario pleuritidem sequitur, scri-
bere

bere reliquit, q̄ ægre spirauit hic homo: siquidem. n. & de hac quicq̄ peregrinum ac rarum quod diceret habuisset, non utiq; tacuisset. Cum uero, uelut uerisimile est, consuetam speciem seruaret, rōnabiliter eam reliquit. Quē admodum autē hæc reliquit, sic alia adscripsit, quæ neq; necessario pleuriticis adfunt, neq; ut plurimum, neq; ex dictis intelligi possunt. Inquit enim Siticulosus, uigilans, urinæ autem colorata, multæ, tenues. deinde inferens: Sexta delirus, ad calfactoria uero nihil remittebat. Horum nihil neq; necessario pleuriticis adest, neq; ut plurimum. Si uero & septimæ diei audiueris enarrationem, adhuc manifestius cognosces uoluntatem uiri. Habet autem hoc modo: Septima dolorosa, febris. n. se extendit, & dolores non remiserunt, tussēsq; infestabāt, ac difficulter spirans erat. Hic sane difficilis spirationis mētionem fecit cū hominem male affligi collectionem faceret, inter alia etiam ipsam recensens, quæ à principio quidem ipsi coinciderant, nō cessauerunt tñ, neq; remiserunt. Febres. n. etiam insu per se extendisse ait. Reliqua uero tria mala (quatuor. n. sunt comperta quæ pleuriticum concursum perficiunt) in eodem statu permanere ait, dolores uidelicet, tussēsq; ac difficilem spirationē, ab ipsa morbi substantia colligens, ac rōinationem faciens hominē dolorose habere, ac affligi. Si. n. ex affectionibus ipsum morbum constituentibus, quatuor numero existentibus, tres quidem eodē modo habentes permanent, quarta uero etiam peior redditur, oibus manifestum est q̄ homo male habuit. Quare palam uides q̄ difficilis spirationis mentionē propterea fecit, q̄ ea opus fuerit ad constitutionem morbi prænotionem, alias ipsius haudquaq̄ mentionem facturum. Et ob id primum hunc ægrū ex omnibus in manus sumpsit, ut ostendam q̄ non male nunc difficilis spirationis mentionē faciat, de qua in principio nihil dixit, quando neq; in totū ea opus erat. Si enim mentē adhibueris ad ipsam dictionē inuenies ipsam hoc indicantē. Septima, inquit, dolorosa: nā & febris se extendit, inquit, & dolores non remiserunt, tussēsq; infestabant, ac difficulter spirans erat. Hic enim uelut dixi, unū quidē malum extensum esse ostendit, reliqua uero manere in eodem statu. Nam quod ostendit, per hoc quod non remiserunt, dixit, id ipsum etiam in reliquis, tussiculis uidelicet & difficili spiratione, ex cōmuni intelligere oportet cū familiarissima sit eiusmodi interpretatio nō Hippocrati solum, sed & aliis ueteribus ferme omnibus. Sicut enim dolores nihil remiserunt, sic etiā tussēs infestabāt, eodem modo scilicet, nihil remittentes, & difficulter spirans erat, eodē uidelicet modo, nihil remittēte difficili spiratione, Quin & ipsa uox, erat, indicat similiter ut prius. Neq; enim difficulter spirans fiebat dixit, quāuis dicere potuisset, & magis utiq; q̄ omnia alia dixisset: si circa septimā tandē hæc affectio insuper accessisset, & prius nō fuisset, sed nec accedebat uidelicet, omnino enim à principio ipsam cū aliis consistere oportebat. Recte itaq; Hippoc. docuit, in principio quidē enarrationis ipsam relinquens, postea uero eius mētionē faciens. At uero in aliis multis ægrotis sicut in principio reliquit, sic neq; in progressu sermonis difficilis spirationis mentionē facere uidetur. Ceterum omnes ipsos deinceps adscribā, tum qui in primo morborū populariū, ut dixi, tū qui in tertio sunt conscripti, ubi prius apposuero quæ defunt adhuc expositioni in præscriptum ægrotū. Quē admodū igitur q̄ difficulter spirās erat, ex ipsa morbi natura cognouissimus, etiā si non postea ab ipso Hippoc. dictum esset: sic etiam q̄ difficilis spirationis species ipsi parua ac densa fuerit, non obscurū est, etiā si Hippoc. non scribat. Velut enim q̄ pleuriticis difficulter spirant apparet: sic etiā q̄ paruā ac densam spirationē habent. Diximus autē antea q̄ Hippoc. nihil eorū quæ etiam aliis manifeste cognoscuntur, scribat. Atqui etiam delirauit hic homo, dicit igitur sic de ipso: Sexta delirus. Sed hoc quidē, nō ut accessio natura sua animum percellens sed ut affectus accessorius ad fortes pleuritidas, non sane alterationē ex dolore superaturum erat, neq; per se ipsum difficilis respirationis speciē formaturum. Verū dolor in latere fortis existens per se ipsum omnino respirationē alteraturus erat. Si autē iuxta materiā dolor obscurus erat, delirium uero uehemens, omnino sane aut perfecte delirium dolorē superasset, aut certe ut plurimum, atq; ita per omnem utiq; morbum talis ægrotus magnum & rarum spiritum duxisset, aut plurimum quidē hunc, rarerem autē paruū & densum, & hoc Hippocrates penitus significasset, uelut in adolescēte in Melibia: huic enim distentio quædam submollis circa ilium *erat, sed & magno opere desipiebat. Scribit itaq; de distentione quidē sic: Ilij distentio submollis, oblonga ex utrisq;.

De desipiētia uero sic: In decima die delirauit sensim, in decima quarta die multum delirabat, in uigesima furebat, inquit. Sola itaq; uox, furebat, sufficiens est ad delirij magnitudinē indicandā. Sed & q̄ moderatus est ac taciturnus adolefcens, nō parum magnitudinē delirij auget. Si quidē sane & in prædictio num libro, respōsiones temerarias, nedum deliria ipsa, malas esse ait in moderatis. Neq; enim alterius rei gratia in decimæ diei enarratione, ea quæ ad mores adolescentis pertinent adscripsit: ut uero ne putaremus, propterea q̄ scriptum est, delirauit sensim, simplex quoddā & uulgare esse delirium, ob id sane infert, Erat autē moderatus & taciturnus, per quæ omnia uehementiā delirij indicauit. At uero distentionē circa ilium ex utrisq; lateribus, fortassis putauerit aliquis paruū ac densum spiritum efficere. Verum per ea quæ de ipsa scripsit, rationabiliter ostendit ipsam à delirio uictam esse: neq; enim simpliciter dixit, Erat autem circa ilium distentio, sed apposuit, submollis, ostendens q̄ non fuerit cum magno tumore. Molle enim quod hoc loco Hippocrates Laparon dixit, uacuum significat. Ex eo uero q̄, oblonga, dixit, contrarium ostendit ei quod ipse sæpe dicit, ilio reuulso. Cum enim à septo transuerso tenditur, tunc quidem reuellitur, ac totum occultatur, ad thoracem tractum: cum uero ab aliqua infra sita particula, tunc sane oblonga ipsa tensio apparet. Non est enim quicquam ante situm quod ipsam occultet, uelut in thorace sunt, tum costæ spuria, tum ipsum pectus. Non solum igitur ex his palam est, quod

* Hippoc.
drium. & h.
deinceps.

»

»

»

A parua omnino fuerit affectio circa ilium ad difficilis respiracionis generationē, sed & ex eo quod Hippocrates de ipsius dolore nihil adscripsit: non taciturnus, si quidem dolorosum fuisset, cum hic ipsi mos sit, ut nihil eiusmodi rerum negligenter prætereat. Si quidem igitur hæc ipsa omnino erant parua, neq; enim tumor aliquis magnus erat in ipso, neque dolor, neque septū transuersum premebat, sed secundū uentrem totum extendebatur: delirio uero contra nihil deerat quo minus & maximum & grauissimum esset, pro ratione utique ab ipso penitus superata est affectio circa ilium, ut ob id per omnem morbum respiratio rara & magna sit facta. Et propterea Hippocrates utriusque simul meminit, nempe & speciei difficilis spiracionis, & affectionis circa ilium. Habet autem dictio ipsius hoc modo: Spiritus rarus, magnus, per tempus, ilij distentio submollis. Ut ne quis negligenter prætereat sermonem, sed ex ordine consequentes inter se duas legens affectiones, contrariam difficilis spiracionis speciem operari solitas, consideret causam, cur perfecte quidem superet delirium, uincatur autem distentio circa ilium. Verum nos sane causam diximus, & mentem ac sententiam uiri exposuimus, & oportet iam transiitione facta, reliquam propositi sermonis partem explicare. Quando enim delirium perfecte uicerit contrariam affectionem, ipsum solum per propriam uim respiracionem alterat, uelut in præscripto dictum est adolescentulo, qui in tertio morborum popularium ultimus recensetur. At uero quod etiam dolore perfecte exuperante, nihil apparet præterea ex difficultate spirandi quam delirium inducere solet, in Anaxione demonstratum est, qui & ipse in tertio popularium morborum scriptus est, octauus à pestilenti constitutione. In ipsa autem Dealcis uxore, cuius etiam antea mentionem fecimus, octaua ab hoc, decima quinta post pestilentem constitutionem scripta, ut plurimum quidem delirium exuperat, rarerem uero exuperatur: uerum uerba paulo antea quando exponebam quid significet, per tempus, adscripsi. Nunc uero affectiones ipsas pugnantes referam, secuturus & hic sermones ab Hippocrate prolatos. Nulla itaque dolorosa affectio huic mulierculæ accidisse uidetur, præualuit autem perfrigeratio, marcescente insita caliditate: ex eo enim quod scriptum est de ipsa, Febres ad manum tenues, extremarum partium frigiditas. hoc ostenditur, & ex eo quod per omnem morbum contegebatur: cum enim dixisset, Ab initio autem contegebatur. postea in fine totius narrationis, semper contegebatur ait. Quin & ex mœrore initium sumpsisse, his consentit. Inquit enim, Febris cum horrore ex mœrore corripuit. Sed & ipsa febris cum horrore iuxta eandem causam facta est. Et sane etiam hoc, quod potus uentrem penetrent ac percurrant, neque paruo tempore consistentes, maximum signum est innatam caliditatem extingui. Quin & cutis arida nihil aliud est quam resiccata. Deperit autem unā cum eiusmodi siccitatibus innatus calor. At uero quod hæc omnia in ipsa facta sint, ipsa dictionum sequela ostendit. Decima septima enim, inquit, irritationes à uentre turbulentæ, postea uero ipsi potus percurrant, neque consistebant, omnino nihil sentiebat, cutis arida circumtensio. Rationabiliter igitur per omnem morbum magnus & rarus spiritus præualuit, intercedebat autem aliquando etiam breuis, ad perfrigerationes consequens. Mentionem autem faciam etiam nunc ipsius dictionis, uelut antea iam adscripsi: Decima quarta spiritus rarus, magnus, per tempus, & rursus breuispira. Vigesima sermones multi, rursus sedata est, taciturna, breuispira. Vigesima prima mortua est, huic ad finem spiritus rarus, magnus. Hic igitur delirium perfrigerationem superabat, & propterea raro quidem breuispira, per omnem uero morbum longispira seruata est. Vice uersa porrò in Pythione cuius iam antea memini, breuis spiratio per totum quidem morbum erat, raro autem quadoque longa spiratio contingebat, atq; id iuxta rationem. Duæ enim opponebantur delirio affectiones breuis spiracionis causæ, dolor & perfrigeratio, quæ ambæ paruam respiracionem facere solent: uerum dolor cum densitate, perfrigeratio uero cum raritate. Quod itaque delirauit sæpe scriptum est aperitis uerbis ab ipso Hippocrate, ut hoc neminem latere possit, sed neque dolor circa aluum, nam & hic aperte sic scriptus est: Iuxta aluum grauitas cum dolore. Quod uero perfrigeratus fuerit, & insitus calor contabesceret, clarum ex his sit: Secunda circa medium diem frigiditas extremarum partium, uerum magis circa manus & caput. Deinde consequenter in tertiam diei enarratione: Sero circa Solis occasum subfrige factus est paruus. In quarta autem die non solum frigiditas, sed etiam quod recalfactus sit post tempus, adscriptum est. Clarius autem adhuc de octaua die narrans: Mane quidem dormiuit, inquit, paruus. Statim autem frigiditas, sero ex calfactus est rursus. Item in decima die rursus multa frigiditas, ait. Ex his igitur manifestum est quod & frigiditas erat, non solum dolor, & delirium in Pythione. Quod uero præualuerit quidem breuis spiratio, fuerit autem & quædam longa spiratio, perspicuum ex secundæ diei enarratione redditur. sic. n. scriptū est: Breuispirus ad tēpus multū. Hoc. n. quod ait, ad tēpus multū, indicat nō solū esse breuē spirationē, sed ipsam longā spirationē ab illa superari. Porrò hic Pythion in tertio morborū populariū scriptus est, tertius post pestilentē constitutionē. Quare licet unicuiq; p̄ se diutius in ipsius senis sermonibus immorari ac conuersari, ne nos omnes ipsos adscribendo, longum librum texamus.

Nihil superioribus capitibus omitti, quod Galeni sententia aduersaretur.

Cap. 9.

Ceterum quod nullam dictionem, quæ his quæ nobis dicta sunt contraria sit, uolentes præterimus, maxime utique credibile fiet huic, qui ad ipsos libros legendos accesserit. Atque ea gratia indicamus nos, tum in quo libro æger, de quocunque tandem nobis singulatim differentibus sermo contingit, scriptus est, tum quotus est, aut à principio, aut à constitutione numerandi exor-

SECUNDA CLASSIS.

L dio

dio facta, ut nequis cunctetur ob hæc & circa inuentionem pigrescat, atque aut citra experimentum no-

Quod in singulis ægrotis primi libri de vulg. mor. omnia ijs, que ante dicta sunt asipulentur.

Cap. 10.

Porrò quod ex propositis adhuc deest, id sermone addamus, omnium ægrotorum qui in primo & ter-

* παραλέγουσι * παραπρονοῦσι * Interpres uerbum παραπρονοῦσι confun-

ἀλυσσα

A sane Hippoc. postq̄ dixisset, balneis circa caput usus est, Sanguinem ex naribus sæpe post iudicatione-

Ex singulis ægrotis tertij lib. de vul. mor. testimonia, que superiora Gal. dicta confirmant.

Cap. 11.

Atque hi quidem sunt quatuordecim ægroti ex primo libro morborum popularium, eo ordi-

SECUNDA CLASSIS.

L 2 stra

stra adscribam. At uero si penitus me alterum absurdum incurere oportet, aut uidelicet suspitionem falsi dogmatis, aut loquacitatem, reperio autem loquacitatis aliqua solatia, suspitionis uero nulla, honestius utique fuerit de omnibus dicere. Quæ igitur sunt loquacitatis solatia? Primum ut paucis percurram ipsos agros, neque amplius similiter immerer singulis, sed nudam solum faciam mentionem. Alterum uero ut adhorter eos qui neque tam pauca sustinent audire, quo ea transgrediantur, & ne scripta quidem esse putent. Quemadmodum enim in splendida epulatione cum multa sint apparatus, alius aliud eligit, hoc quidem ut dulce, aliud uero ut salubre: sic etiam sermonum apparatus opiparum esse oportet, electionem autem in utentibus.

Ordo agrorum tertij libri Epidem. ante pestilentem constitutionem.

Primus itaque omnium ægrotus nomine Pythion, ex ipsa narratione manifestus fit, quod nullâ difficilis respirationis causam habuerit. Secundus uero Hermocrates, Caput, inquit, dolere incepit & lumbos, ilij distentio submollis. non tamen quod infra & ad umbilicum ipsa tensio processerit, aut quæ oblonga fuerit, adscripsit: ex quo clarum fit quod a septo transuerso inflâmato ilium reuelletur, & ob id etiâ submolle apparebat, ut quod nullam propriam haberet inflammationem. Hic igitur etiam si delirabat, tamen ipsum delirium ab alio maiore affectu superabatur: quemadmodum etiâ in tertio, & quarto quintoque, ac sexto. Etenim in tertio, ilij dextri distentio submollis scripta est. In quarto uero ilium dextrum distentum fuit, & ad interna processit. In quinto autem collu dolorosum habebat. Verum in sexto ægrotus, (Erat autem hæc muliercula,) præfatus Hippocrates. Hæc incipiente morbo dolebat fauces, & ad finem ruborem habebat, gurgulio reuulsus, fluxiones multæ, tenues, paruas, acres, tussiebat, maturum nihil efferebat, paulo post ait: Erat autem & quid innatum tabidosum. Quare manifesta etiam in hac sit affectio prædominans, in respiratorijs organis consistens. At uero eâ quæ inde sequitur enarrans ægrotam, hoc modo auspicatur: Mulier anginosa circa Bitonis progressus autem, inquit. Spiritus sublimis, quod ipsum etiam in progressu sermonis exponemus. Nunc uero quod propositum est absoluemus. In octauo uero deinceps ægrotus scriptum est: Ilij distentio submollis ex utrisque. In nono uero, Dolores circa ilia. Verum hæc sane muliercula non desipuit. Quæ uero sequuntur duæ mulierculæ, ex corruptione foetuum male habuisse ait, Affectiones uero quas recenset de ipsis, ut uniuersum proniciemus, uterorū inflammationes sunt: particulatim uero quæ ad eiusmodi affectiones etiam alias consequuntur.

Postremam uero quæ adhuc restat, cor doluisse, ait, non apponens uocem, anxia. Quin & frigidum sudasse, & per omnem morbum horrore impetitam esse, ac magnopere perfrigeratam, ut uix recalferi potuerit, aut penitus non recalfacta sit. Quare manifestum est etiam hanc omnino secundum utrasque affectiones, tum doloris, tum perfrigerationis, breuissimum fuisse: non tamen dignatus est in hac Hippocrates difficilis respirationis mentionem facere, ut quæ ualde esset manifesta.

Ordo agrorum tertij libri Epidem. post pestilentem constitutionem.

Consequenter autem sequitur pestilens constitutio, postquam rursus, primum quidem agrum Parium scribit, in quo circa finem sermonis, ubi quæ in toto corpore continenter permanserint scribit: Habetur & hoc, cum doloribus uigilans. Secundum uero in Thaso de quo ait: Tussis autem continens, humidæ, multæ. Tertius est Pythion quem iam antea explicauimus. Et quartus, phreniticus. Et quintus cui repente dextrum femur dolere incepit, & cum fluxio in partes circa caput conscenderet, statim quidem delirauit, & statim item mortuus est, similiter ut is qui in primo morborum popularium, dolore circa magnum pedis digitum oborto, secunda die mortuus est. Quare in his de difficili respiratione penitus nihil scripsit ob causas, quas in illo ipso iam ante retulimus. Sextus deinceps neque desipuit, neque aliam quandam affectionem ægram respirationem inducentem habuit. Septimus autem ægrotus uirguncula est, quæ ob sanguinis multitudinem sic circa caput infestata est, uelut in primo morborum popularium, septimus item ex ordine æger, cui sanguis ex naribus profluxit. Quare quæ iam de illo diximus, ea etiâ huc transferantur. Octauus porro ægrotus Anaxion est, de quo in superioribus egimus. Nonus autem tum uirguncula, tum illi in primo libro morborum popularium, cui ex naribus sanguis profluxit, consimilem totius morbi causam habuit. Decimus uero qui est in Abderis Nicodemus, delirauit quidam semel in sexta die, die uigesima per sudorem iudicatus, cum existimaret se penitus sine febre esse, rursus febriit, & rursus paululum delirauit. Scribit de ipso etiam hæc: Irritationes autem & dolores huic ad finem. Verum qui nam dolores, quæ fuerit fortassis aliquis? Cordis equidem dolore ipsum statim in principio impetum fuisse dixit. Paululum autem inde progressus dolores omnium scripsit. Ob id igitur & delirium, quod exiguum & per modicum omnino durans tempus illi factum esse dixit, respirationis difficilis speciem minime alterauit. Deinceps porro consequenter est muliercula quæ ex incore in morbum incidit, in qua scribit: Dolores magni, continui. Quin & conuulsiones multæ, ait. Ceterum in aphorismis de conuulsionibus hoc modo scribit: In febribus spiritus offendens, malum, conuulsionem enim significat. Itaque species difficilis respirationis huic mulierculæ, partim iuxta dolores, partim iuxta conuulsiones habebant. Ob id igitur quamuis delira esset, tamen magnum ac rarum spiritum non habebat, ut qui ab alijs duabus fortioribus affectionibus superatus esset. Postea uero uirgo in Larissa sequitur, quæ duodecima post pestilentem constitutionem ab Hippocrate est conscripta, & ob sanguinis multitudinem ægrotauit,

Ægrotauit, & per fluxum sanguinis ex naribus iudicata est: itemque per sudores, & fluxum menstruorum tunc primum conspictorum, quæ ipsa etiam nullam ullius alicuius difficilis respirationis structuram habuit. At uero Appollonio in Abderis, quæ inde sequitur, Ilj dextri, inquit, eleuatio cum dolore. Quin & quod semper fuerit magnis uisceribus præditus, & quod dolor circa ilium ipsi existerit familiaris, hoc ipsum sane in principio narrationis scriptum est. Nihil igitur miri est ipsum quamuis delirauerit, non tamen respirationis speciem delirio propriam habuisse, cum uidelicet ita magnam dolorosam affectionem in ilio possideret. Deinceps ab hoc sequitur mulier, quæ in Cyzico gemellas puellas perperit, de qua sic scripsit: Capitis & colli grauitas cum dolore. Quare etiam spirandi difficultas secundum hanc ipsam affuit. Restant post hanc duo adhuc ægroti in tertio morborum popularium libro, uxor uidelicet Dealcis, & adolescens in Melibia, qui ambo & delirauerunt, & magnum ac rarum spiritum habuerunt, de quibus in superioribus sufficienter diximus. Ceterum cum hic liber iam ad iustam magnitudinem peruenerit, de reliquis omnibus, quæ de difficili respiratione a sene tradita sunt, in sequenti libro uidebimus.

GALENI DE DIFFICULTATE RESPIRATIONIS LIBER TERTIVS.

ARGUMENTVM LIBRI.

Quæ ceteris libris Epidemicis qui Hippoc. ascripti sunt, continentur,
ijs quæ primo lib. de diff. resp. ostensa sunt astipulari.

Quid superioribus lib. actum sit, quid hoc agendum, ac de authoribus
librorum Epidemicorum.

Cap. I.



MUNIVERSO de difficultate spirandi sermone, in duplicem doctrinæ modum a nobis diuiso, in primo equidem libro, quæ medicum de ipsa cognoscere oportet unâ cum proprijs demonstrationibus ostendimus. In secundo uero qui huc præcedit, & hoc ipso tertio, omnium quæ ab Hippocrate de spirandi difficultate dicta sunt, in omnibus ipsius scriptis, expositionem facimus. Quare qui ipsorum tantum artis operum studiosi sunt, nihilque de ueterum dictis curiosius inuestigandum (uelut ipsi aiunt) censent, omnia quæ cupiunt ex primo libro, sufficienter habebunt. Qui uero etiam Hippocratis sententiam de his discere appetunt simulque possunt, ex his sane libris eâ colligent ac assequuntur. Appetere itaque cognoscere ea quæ ab optimis dicta sunt, commune est omnium natura honestatis studiosorum. Verum posse etiam ipsa discere, longiore tempore indiget, neque similiter omnibus expositum existit: plerique enim præ multitudine molestorum negotiorum, ocio ad optima prosequenda priuantur. Hæc sane cum nos non lateat ea quæ maxime ad artis opera pertinent, in primo horum commentariorum explicauimus: uerum Hippocratis sententiam per reliquos duos libros exponimus, quorum alter secundus est, alter tertium locum occupauit ordinis a principio constituti. Et oportet sane eum qui ea quæ in hoc ipso dicuntur assequi uelit, prius diligenter secundum librum uerfasse, in quo primum totam mentem ipsius Hippocratis ostendimus, quod nihil uulgare, neque quæ uulgus medicorum nouit, scribere dignetur. Deinde uero & particulatim omnes ex primo & tertio morborum popularium ægrotos recensuimus, demonstrantes quod in multis, quamuis difficulter spirare necesse erat ipsos ægros, tamen non adscripsit, quemadmodum neque alia multa quæ ad ea quæ scripta sunt, necessario consequuntur. Quæ n. quispian ab ijs quæ Hippoc. inquam, dixit incitatus, citra hoc quod ab ipso ea discat, inuenire potest, hæc non putauit scribere oportere. In multis uero etiâ ipsam difficilis respirationis speciem ipsis narrationibus de ægrotis adscribit, quando aut non necessario sequit ægrotos, aut non promptum erat cognosci ab his qui ipsius scripta legunt. His igitur scopis etiâ nunc adherentes & intenti, postquam primū & tertium morborum popularium in superioribus exposuimus: rursus a secundo initium faciemus, ipsique etiâ reliqua Hippocratis scripta coniectemus. Quemadmodum autem primus & tertius, non solum ab Hippocrate compositi esse uidentur his qui optime de his sentiunt ac iudicant, sed etiam ob speculationis familiaritatem mutuo inter se conexi: eodem modo, opinor, habent ea quæ in secundo & quarto ac sexto habentur. In confesso est enim iam, etiam hos Theffalum Hippocratis filium composituisse, ut qui in parentis tabulis aut chartis siue pellibus & membranis quibusdam commentarios repererit, ipseque etiâ aliqua, eaque non pauca, de suo addiderit. At uero quintū & septimum morborum popularium, non uidetur mihi quispian genuina Hippocratis doctrina dignos censere, & ut ego sentio, neque quartū, quauis quidam etiâ hunc a Theffalo compositum esse putent. Ceterum prænotionum liber, & aphorismi, & liber de aquis locisque ac aere, ampliusque liber de uictu in morbis acutis, quem aliqui ad Cnidias sententias inscribunt, non præter rationem Hippocratis scripta esse

creditum est. Horum igitur ubi usus postularit, mentionem facimus: itemque aliorum, qui partim ipsi Hippocrati, partim Euryphonti & Theſſalo ac Polybo, ut autoribus deferuntur.

Coniugationes difficultum respirationum ex secundo & sexto lib. de vulg. morbis.

Cap. 2.

Ordiamur itaque iam expositionem à dictione in secundo morborum popularium scripta, quæ hoc modo habet: Spiritus paruus densus, magnus rarus, paruus rarus, extra magnus intra paruus, alius quidem extendens, alius uero urgens, dupla intra reuocatio uelut superinspirantibus, calidus, frigidus. Eadem uero dictio in sexto libro perfectius scripta est. Supra tres enim coniugationes ipsius difficultis spirationis, quarta ite adiecta est, quæ manifeste in secundo morborum popularium desiderat, non ipsius autoris, ut mihi uidetur, culpa, cum perspicuum sit ipsum non ex experimento quopiam & memoria, multitudinem spirationum difficultium coaceruasse, sed ex rationali diuisione. Nequaquam igitur relicturus erat aliquam difficultis spirationis speciem, uerum in hoc quispian ex ueteribus descriptoribus librorum peccauit, atque ita postea habens liber inuulgatus est, seruatusque est hic error, usque huc merito sane, cum aliqui negligenter plane ueterum libros uident, ut neque an deficiat quippiam, neque an in alio libro dictum sit sciant: quidam uero etiam insciant, nisi quod deest apponere non audent. Neque enim similiter nostri uerbi hominibus priores faciles erant, neque prompti ad adscribendum ueterem dictionem, quæ eodem modo in omnibus exemplaribus scripta esset: sed significatione solum facere contenti erant, quæ hic quidem defectu se, in sexto uero morborum popularium perfecte, diuisione difficultum respirationum scripta esset, tum quæ secundum magnitudinem ac paruitatem fit, tum quæ iuxta raritatem ac densitatem. Has. n. duas oppositiones, eam uidelicet quæ iuxta magnitudinem ac paruitatem fit, & eam quæ iuxta raritatem & densitatem, Hippocrates manifeste inter se se complicat, & coniugationes difficultis spirationis quatuor facit: unam in qua minor simulque densior quæ naturalis, respiratio fit: alteram, cum maior & rarior: & præter has aliam tertiam, in qua minor & rarior: & supra has quartam, quam in secundo morborum popularium desiderari & relictam esse diximus, in qua maior simulque densior fit. Demonstratum. n. mihi sæpe est, etiam hoc citra demonstrationem omnibus manifestum sit, quæ duæ oppositiones inter se complicat, quatuor coniugationes faciant. Ceterum dictio Hippocratis in sexto morborum popularium, non solum in hoc differt ab ea quæ in secundo habetur: sed & in eo quæ in sequentibus, quando inspirationis magnitudinem confert cum magnitudine expirationis, altera coniugatio penitus relictæ est in secundo libro, indicante & hic ipso librorum descriptore extremam secundam, aut sedulitatem. Si enim integras dictiones transgressus est, extreme secors erat. Si uero similes inter se, necius quatenus differunt, unum & idem utrasque significare putauit, deinde alteram sustulit, ad summam utique sedulitatem progressus est, correctorem scriptorum Hippocratis, non ministrum, seipsum ostendens. Hoc equidem utile est circa plerasque obscuras dictiones meminisse, in quibus aut relictum quid esse credibile est, aut adscriptum. Nihil enim uetat iuxta illas, aut quod deest apponendo, aut quod delictum est corrigendo, perfectum ac uerum reddere & abfoluere sermonem. Quemadmodum enim transcribere ac mutare ueteres dictiones temerarium est: sic uelut scriptum est conseruare & paucis quibusdam appositis, aut immutatis, dubitationes dissoluere, bonorum expositorum opus est. Verum de his opinor me paulo post per ipsa opera demonstraturum esse quæ facere oporteat: non enim simpliciter, neque prout contigit, hoc ipsum faciendum est, sed cum demonstratione ueritatis rerum, ampliusque demonstrando prius ipsam sententiam sic habere, & utrasque consentire, dictionis transmutatione conuenienti facta.

Explicatio sententiæ Hippoc. lib. 6. sectione. 2. de vulg. morb. de coniugationibus

difficultum respirationum.

Cap. 3.

Ceterum ad propositum iam progressi, & perfectiori dictione apposita, quæ in sexto morborum popularium habeatur, uideamus qualis nam sententia ipsa sit. Quod enim ex rationali diuisione inuenire conetur omnes difficultis spirationis differentias, hoc ipsum etiam his qui libros ipsius exposuerunt uidetur, & coniectare omnibus facile esse opinor. An uero recte diuidat, & an nulla relictæ sit difficultis spirationis species, hoc non etiam omnibus inuenire facile est, sed qui de his iudicaturus est, hunc & diuidendi methodi expertum esse oportet, & circa Hippocratis dogmata non inexercitatum. Et methodus sane ad id quod diuiditur respicere oportere erit, qualis natura existat. Si enim simplex fuerit, ea quæ iuxta substantiam ipsius rationem sunt, quot sunt, & quæ, ac qualia considerare oportet, atque ex his diuidere. Si uero compositum, utranque aut singulas partes diuidere, ut dictum est, oportet, totum uero ex modo compositionis. Verum quæ est Hippocratis sententia de compositione, nobis alibi fuisse dictum est: relatum est etiam in superioribus. Quare nihil uetat ad hos scopos intentione ac respectu habito, ipsam morborum popularium dictionem tueri, quæ sic habet: Spiritus parui densi, magni rari, parui rari, magni densi, extra magnus, intra paruus, intra magnus, extra paruus: alius extendens, alius urgens, dupla intra reuocatio uelut superinspirantibus, calidus, frigidus. Quod igitur non quarta solum coniugatio circa densum & magnum consistens, in secundo morborum popularium relictæ est, sed & ex sequentibus duabus, in quibus expirationem cum inspiratione confert, altera scripta quidem est in præsentem iam proposito sermone, relictæ est autem in secundo morborum popularium, palam uidere est. Neque enim in illo libro scriptum est, Intra magnus extra paruus, sed altera sola difficultis spirationis species ostenditur, in qua magnus spiritus expiratur, paruus uero inspiratur. In multis igitur codicibus reperire licet hunc defectum adscriptum, uerum

A uerum in plurimis & fide dignissimis exemplaribus relictus est, atque hoc sane nihil ad præfens refert. Propositum est enim nobis perfectiorem locutionem considerare, eam uidelicet quæ nunc est adscripta. Quod itaque ex spiritus intra & extra meatu, totius respirationis actio composita est, & quod altera eius pars inspiratio, altera exspiratio appellatur: dictum quidem est in primo libro statim in principio, uerum etiam si a nobis dictum non esset, nemo fere ignorat. Quod uero nullius alterius rei quam motus propria sint uelocitas & tarditas, dictum quidem & hoc iam est, sed etiam nunc in memoriam reuocatur. Magnitudo quidem & paruitas uelut non sunt motui propria, sic omnino inseparabilia sunt ab eo quod per spatium aliquod aut distantiam localem fertur. Et ob id iuxta utranque respirationis partem, duæ differentes oppositiones fiunt: altera iuxta uelocitatem ac tarditatem, altera iuxta magnitudinem & paruitatem. Quod uero totius spirationis adhuc alia oppositio fit iuxta densitatem ac raritatem consistens, id ipsum etiam antea relatum est: & hæc oppositio non sit respirationis, ueluti motus, sed ut compositæ rei ex distantijs conflata. Quare in his tribus generibus omnes respirationis differentias esse necesse est. In uelocitate quidem & tarditate, propterea quod hæc propria & ab omni motu inseparabilia sunt. In magnitudine uero & paruitate, propterea quod motus organorum respirationis per distantiam fit. Densitas autem & raritas tertium ex prædictis genus, neutrius propriarum ac primarum respirationis partium proprium, aut inseparabile est: uerum totius respirationis pars fit per accidens quoddam, quando quidem composita res est, ex duobus contrarijs motibus quiete distinctis constans. Hæc igitur sunt primæ differentie totius respirationis. Ceterum cum respiratio res sit quæ & facere aliquid, & pati possit, aliud utique fuerit differentiarum genus in ipsa, utraque uidelicet parte æqualiter aut inæqualiter perfecta. At uero & rursus aliud, ipsius totius ut compositæ, partibus inter se mutuo collatis. Hæc cum ita habeant, sciendum primas quatuor difficultis spirationis differentias in proposita Hippocratis dictione scriptas, totius respirationis esse. Neutrius. n. partis est densitas & raritas, si sane meminimus eorum quæ statim a principio primi libri dicta sunt. Sic uero etiam sequentes duas, nam & in his duæ totius respirationis partes cõseruntur, & ob id sic scriptum est: Extra magnus intra paruus, intra magnus extra paruus, uidelicet spiritus. Sequentes autem deinceps duas differentias in quibus dicitur, Alius extendens, alius urgens, alterius partis ipsius respirationis proprias esse putandum est, quæ sane iuxta substantiam esse uel maxime ipsius respirationis diximus. Extendens enim tardus est, urgens autem uelox: tarditas autem & uelocitas ab omni motu inseparabilia sunt. Quod uero deinceps habetur: Dupla intra reuocatio uelut superinspirantibus, inæqualem inspirationem ostendit. Inquirenda est autem eadem oppositio in expiratione, quam ego relictam esse credo a transcribentibus magis, quam ab ipso Hippocrate: quando quidem in alijs scriptis etiam eiusmodi speciei difficultis spirationis mentionem facere apparet, ut in sequentibus palam ostendam. Quod si cui ab ipso Hippocrate relictæ esse uideatur, hic peiora pro melioribus eligit. Equidem penitus nullam inæqualitatis mentionem fecisse, iuxta neutram respirationis partem, sed penitus oblitum esse ac reliquisse, minime conueniebat Hippocraticæ diligentie. Verum ego sane etiam si id quod nunc de inspiratione scriptum est, in totum scriptum non esset, describentis magis peccatum esse quam ipsius Hippocratis, dicere audeam. Rationem autem utique aliquam sic haberent hi quibus ad peiora animus inclinat. At uero cum & inspirationis speciem adeo manifeste indicauerit, ut non solum dixerit, duplam intra fieri spiritus reuocationem, sed & uelut superinspirantibus apposuerit, quomodo tandem aliquis adhuc suspicari queat ipsum expirationis esse oblitum? De his igitur etiam rursus agemus. Deinceps autem alia adhuc difficultis respirationis specierum oppositio apposita est in fine totius sermonis sic habens: Calidus, frigidus, ut uidelicet & hic subaudiamus spiritus uocem. Quemadmodum. n. magnus & paruus, & densus ac rarus: sic etiam calidus & frigidus spiritus expirat. Quamquam & hic decepti quidam, propterea quod ipsi non intelligant, corrigunt & dictionem immutare audent: non calidus, & frigidus, uelut nunc dictum est, scribentes, sed ipsa cum prædicto connectentes, atque hoc modo legentes. Velut superinspirantibus calidum frigidum. Hi quidem igitur supra hoc quod ipsam dictionem nullam sententiam referentem efficiunt, etiam palam produunt, quod neque senis libros legerunt: omnino. n. meminissent eorum quæ in alijs locis ab ipso sunt scripta, de calida & frigida expiratione: quæ quam nam ratione aut in libris ab ipso scripta sunt, aut hic relictæ, non habent quod dicant. Si enim non putauit ex difficultum spirationum genere esse calidam & frigidam expirationem, non rite in alijs locis ipsarum ueluti difficultum respirationum meminuit. Si uero in illis rite ipsarum commeminit, nunc sane non recte ipsas reliquit. Verum hæc non ita habent. Nam & hic recte in difficultum respirationum diuisione continentur. Quid uero indicent, in alijs locis recte ab ipso dictum est.

Proponuntur quæstiones quæ ex libro prænotionum Hippoc. de difficulti respiratione oriuntur.

Cap. 4.

Relictis igitur iam his qui sic ab Hippocratis mente aberrant, & omnia magis quam sententiam ipsius intelligunt, ipsi per nos ipsos inspiciamus, quidnam in prænotionum libro de difficulti respiratione in hunc modum scribit: Spūs densus existens, dolorē aut inflammationē significat in locis super septum transuersum. Magnus autem & per multum tempus, desipientiam ostendit. Frigidus uero ex naribus & ore prodiens, ualde iam perniciosus est. Apparet enim in hoc libro, harum trium tantum difficultum spirationum ipsum mentionem fecisse. Atqui si tot solum sunt, quid tandem multo plures ipse in popularium morborum libris scripsit? Si uero adeo multæ sunt, cur paucissimarum in prænotionum libro mentionem

SECUNDA CLASSIS.

L 4 fecit?

ecit? An numerum quidem ipsarum nosse commodum existimauit, quid uero singulae indicent, non E
 utile esse putauit? Aut haec sola indicant, reliquae uero nihil: sed possibile est quandoque praeter naturam re-
 spirare, nullam uero affectionem in animali praeter naturam esse? Aut in tum hoc uerum esse oportet, ut pe-
 nitus necessarium sit ipsam affectionem in animali praeter naturam fieri difficultis respirationis causam?
 Siquidem igitur causa rationem habet affectio ad difficilem respirationem, fuerit utique hoc modo, &
 tempore, & ordine, & facultate prior. Quomodo igitur Hippocrates in praenotionum libro, tantum dif-
 ficilium respirationum numerum relinquere uidetur? Equidem ea gratia uolebam ipsos expositores
 inter se conferre, & quaerere, ac soluere, uerum eius rei faciendae nulla est facultas. Etenim expositorum
 cur quis tandem mentionem faciat? Eorum uero qui ante nos uixerunt, & quorum commentaria ad
 nostram aetatem seruantur, multas & longas nugas conscriptas inuenire est: quae uero sic alicuius mo-
 menti sunt, penitus ab ipsis relictae sunt. Verum nos sane inquirimus ipsa, etiam si nullam uiam habeamus
 ad inueniendum ab illis praemonstratam. Dictum quidem a nobis est, & in his quae de optima secta sunt,
 & in curandi methodi scriptis, quomodo talia omnia inquirere & inuenire oporteat. Immo & in pri-
 mo horum commentariorum duplicem uiam ostendi ad eiusmodi inueniendam, alteram ex differentijs dif-
 ficilis respirationis procedentem, alteram ex affectionibus in organis respirationis, quam etiam facili-
 rem & manifestiorem esse dicebam. Et quisquis illa scripta diligenter uersauerit, haud indigebit mul-
 tis rationibus ad praesentium solutionem. Si uero negligenter illa tractauit, aut alias ad discendum he-
 bes est: qui quidem negligenter tractauit, rursus ipsa relegens, identidem eadem repetat: qui uero he-
 bes ad discendum est, aliud quid agat, ac sciat quod parua naturae magni uiri sententiam adsequi impossi-
 le est, qualis sane ipse Hippocrates erat. Quae igitur nemo priorum aut proposuit, aut dubia putauit, aut
 quaesuit, aut inuenit, ego & proponam, & dubia faciam, & quomodo quaerere oporteat dicam, & dijs
 uolentibus inuenturum me spero. At uero ipsum problema etiam paulo ante a me relatum est. Cur nam
 tot difficultium respirationum species Hippocrates in praenotionum libro reliquit. Dubitatio uero nunc
 dicitur, ubi quae in primo sermone scripta sunt prius in memoriam reuocauero. Omnes enim difficultium
 respirationum differentias, in illis sermonibus, in quinque ex toto tum affectionum, tum difficultium re-
 spirationum genera reduxi. Quare adhuc magis dubium constituit problema, spe etiam quae sola re-
 stabat sublata. In eiusmodi enim omnibus, in quibus cuiuscunque tandem rei differentiae plures quidem
 ab altero quoque, siue uiro, siue scripto, pauciores uero rursus ab aliquo altero dicuntur: una sola su-
 perest consensus spes, si quis demonstrare queat alterum in primis diuisionis partibus rem ipsam exten-
 disse, alterum uero contraxisse. Hac igitur spe nobis sublata, (demonstratum est. n. in primo libro neque
 affectionum, neque difficultium respirationum genera, in minorem numerum reduci posse.) quae amplius
 ars soluendi quaesita inueniri possit? Cum ob alia enim, tum ob id quod quaedam prima genera relicta
 sunt, ampliusque diuisa, & male distinctim mutuo opposita, ac obscure enarrata in praenotionum libro
 reprehendere quis merito possit, quamuis si quis alius Hippocratis liber, is ipse perspicuus existat. At-
 qui obscurum simulque indeterminatum est quod statim in principio dictionis dictum est: Spiritus den-
 sus existens dolorem aut inflammationem significat in locis super septum transuersum. Si enim non du-
 plex esset spiritus densus, alter quidem cum magnitudine, alter uero cum paruitate: aut si non ex diuer-
 sa affectione uterque ipsorum generaretur, recte utique Hippocrates aut indiuisum ipsum reliquisset, aut
 differentiam eius quod per utrumque significatur non indicasset. Quando uero ipse manifeste in mor-
 borum popularium libris, alterum densum simulque paruum, alterum densum & magnum statuit, & nos
 demonstrauius hos ex prima ipsorum differentia esse: male utique indiuiso relicto denso, simpliciter
 sic dicere contentus fuit: Spiritus densus existens dolorem aut inflammationem significat in locis su-
 per septum transuersum, atque hoc sane unum dubium existit. Consequenter uero tertiae differentiae
 mentionem faciens sic: Magnus autem & per multum tempus delirium significat. & hanc solam ex pri-
 mis differentijs manifeste prolocutus, oppositae ipsi spirandi difficultatis, quae rarum & paruum spiritum
 ostendit, nullam omnino mentionem fecit: quamquam sane uelut densus spiritus duplex erat, magnitu-
 dine & paruitate distinctus, sic etiam rarus necessario duplex est, magnitudine ac paruitate distinctus,
 Verum alterius solius in praenotionibus meminit ubi ait: Magnus autem & per multum tempus, delirium
 significat, alterum uero rarum simul & paruum relictum esse apparet. Quare ex quatuor coniugationibus,
 quas in morbis popularibus scripsit, primae duae indiscriminatim & obscure ac confuse dicte sunt. Sola
 uero tertia, ut diximus, tum ipsa, tum quod per eam significatur, ambo manifeste scripta sunt. Ceterum
 non in his solum obscurus & indistinctus, & qui plura relinquat, sermo esse uideri potest, sed & ex eis,
 quae deinceps inferens ait: Frigidus uero ex naribus & ore prodiens, ualde perniciosus est. Cur enim
 tandem, si differentias iuxta calidum & frigidum recensere statuerat, frigidam tantum mentionem fe-
 cit? Et amplius, Cur nam aliarum duarum, tum eius quam indiscriminatim spiritum densum nominat,
 tum quam distincte rarum & magnum, affectiones ipsas solas adscripsit, non tamen in quid finiant si-
 gnificauit, dolorem quidem & inflammationem a densa, delirium autem a rara & magna respirationis diffi-
 cultate indicari dicens: in differentia uero iuxta frigidum, in quid desinat dicit: (inquit enim pernicio-
 sum ualde esse huiusmodi spiritum) affectionem uero ob quam ita difficile spirant obscuriorem exi-
 stentem, non etiam dicit, cum tamen praesertim in omnibus difficultibus respirationibus, tum ipsas affe-
 ctiones dicere, quaecunque tandem haec sint, tum alterationis ipsarum modum adscribere, mansuetas a malignis
 distinguendo?

A distinguendo? Atque sic non fecit, uerum in prioribus spirandi difficultatibus affectiones in ultima al-
 terationis modum solum ostendit. Et quod crimen omnium minime effugere potest, quod uidelicet
 nihil penitus de inaequali respirationis difficultate dixit, id ipsum sane etiam iam sermone apponatur.
 Extendens equidem & uergens spiritus, & extra magnus intra paruus, & intra magnus extra paru-
 us: neque ipsi quidem in praenotionum libro relati sunt. Verum ex his quae nos in primo libro ex-
 plicauimus, in quatuor difficultium respirationum coniugationibus comprehensi reperiuntur. At uero
 quinta inaequalis, cuius dimidia pars in morbis quidem popularibus scripsit, duplam intra (inquens) re-
 uocationem, in praenotionum uero libro penitus reliquit, sub nulla quatuor coniugationum iuxta ullum
 alium modum comprehensam inuenire licet. Atque tot quidem ac tales sunt dubitationes.

Qua uia ac ratione propositae quaestiones explicari queant.

Cap. 5.

Oportet autem hinc nos non similiter, ut multi faciunt, qui Hippocrati contradicunt, dubitationes
 quidem facile reperire, in solutionibus uero ipsarum haerere: uerum primum quidem uiam quam
 facultatis inuenire, deinceps uero per demonstrationem, ea quae per ipsam uiam inuenta sunt con-
 firmare. Quae est igitur uia facultatis? oportet enim inde initium sumere. Una quidem communis illa
 omnibus ueteribus familiaris breuiloquentia. Altera uero peculiaris illa Hippocratis animi altitudo.
 Demonstratum enim nobis est quam grauis sit saepenumero hic uir, ut qui ea quae alijs medicis nota
 sunt praetereat, uelut quae a nemine eorum qui artem ingenue exercent ignorari queant: quae uero tali-
 bus ignota sunt, omnia diligenter simulque perspicue exponat. Si uero hic ipse mos est, quod mirum est
 ambiguum ac obscurum apud plerisque differentiam difficultis respirationis, eam uidelicet quae fit iuxta
 magnitudinem & raritatem, tum per alia scripta demonstrare conatum esse, ut quae desipientiae pro-
 pria sit, tum in praenotionum libro manifestaria doctrina dignam censuisse: uerum differentias densita-
 tis, ut quae medicis ignotae esse non queant, una summa comprehensas breuibus indicasse? In pleuriti-
 de enim & peripneumonij, anginisque & orthopnoeis, densus & magnus fit spiritus. & si pleuritis non
 fit, solus autem dolor circa costas extet, densus & paruus fit spiritus. Quemadmodum etiam si circa os
 uentris, aut stomachum, aut splenis caput, aut hepatis gibbam partem. Nam & in his locis si quis sit do-
 lor necessarium est paruum & densum fieri spiritum, & multo magis si sit circa septum transuersum, &
 partem eius quae coniungitur & cohaeret peritonaeo, itemque musculos illic circumfatos. At qui etiam si non
 istis solis, sed longe inferius peritonaeum fuerit affectum, & offensam ipsius percipit septum transuer-
 sum, itidem paruum ac densum spiritum efficit. Quin & uentris ipsius maiores affectiones, quae cum dolo-
 re sunt & tumore, splenis item ac hepatis infernae partes non minus densum ac paruum efficiunt spiri-
 tum. Et in uniuersum, siue tumor quis sit premens ac coarctans quodcumque tandem respiratorium or-
 ganum, siue dolor circa quamcumque partem, sic appropinquans respiratorij organo, ut ipsis mo-
 tis simul moueatur, densus ac paruus erit spiritus. Reliquas porro horum causas in primo libro recen-
 suimus. Quemadmodum sane & quod caliditate multa in respiratorij organo coaceruata, densus et
 magnus spiritus fiet: id quod ferme omni die, in omnibus exurentibus febribus apparet, ut neminem
 latere possit. Etenim quod inflammationem praeter naturam phlogosin Graecis dictam, non Hippocra-
 tes solum, sed omnes fere alij qui ante Erasistratum fuerunt, phlegmonem nominarint, non a nobis tan-
 tum, sed ab omnibus Hippocratis expositoribus est ostensum. His itaque sic stantibus, nihil amplius
 mirum est, praedictas ambas differentias Hippocratem una summa ostendere ubi ait: Spiritus densus
 existens dolorem aut inflammationem significat in locis super septum transuersum, tanquam sane nos
 intelligere possimus, quod cum paruitate dolorem significet, cum magnitudine uero inflammationem.
 Apponit autem rationabiliter, in locis super septum transuersum siue respiratorij, tanquam immodi-
 cae caliditatis partium infra septum transuersum, respirationem in magnitudinem ac densitatem ele-
 uare non queant.

Ex aliquot locis Hippoc. monstratur ipsum declarasse spiritus densi coniugationes. Cap. 6.

Atque uia quidem inuentionis quaesitorum circa primas differentias haec est. Verum demonstra-
 tionem etiam quandam ad sermonem apponere necessarium est. Nunc enim quod non impossi-
 bile est, hanc sententiam Hippocratem usurpasse, ostensum est. Demonstrabitur autem consequenter
 quod penitus hoc modo habet. Cur enim tandem in utrisque morborum popularium libris secundo ac
 sexto, has duas spirandi difficultatis differentias primas omnium distinguere reperitur? priorem quidem
 paruum et densum spiritum, alteram uero densum et magnum: in proposito autem praenotionum li-
 bro ipsas ignorare uidetur, supra hoc quod postea statim scribat rarum & magnum? Rarum igitur et ma-
 gnum spiritum, nouit, densum uero et paruum ignorat? Et sane etiam si quisquam eorum quibus animus
 in peiorem partem inclinat, dicere queat, quod quoniam sit densus ac paruus spiritus, cognoscere quidem
 Hippocrates potuerit: quae uero sit affectio, quae ipsum efficiat, non potuerit cognoscere. At certe cum
 dicat, Densus spiritus dolorem significat, aut inflammationem in locis super septum transuersum, palam
 fit quod et affectiones scribat, et neutram relinquat. Immo et eundem ordinem ostendit, quem etiam in
 duobus morborum popularium libris fecit. Perspicuum itaque est quod densus et paruus dolor, densus
 uero et magno inflammationem coniungat. Neque enim dicere licet, quod in popularium quidem mor-
 borum libris duobus, paruus et densus, et magnus ac densus spiritus mentionem fecit, in alijs uero nusquam.
 Nam et in illis ipsi saepe, et in libro de diata seu uictu in morbis acutis, quem etiam de pituita inscri-
 bunt

bunt, statim in principio libri, non tantum huiusmodi difficultis spirationis speciem palam nominat, sed & ipsam affectionem in qua fit, & modum ipsius iuxta quem lædere solet. Atqui nullus eorum qui ex contentione studium multos Hippocratis libros, uelut non genuinos rescindunt: hunc librum detruncare ac Hippocrati auferre ausus est. Equidem quæ in fine sunt post balnei usum, plerique tollunt: quæ uero eoulsq; habentur omnes conseruant. Si igitur non solum in hoc libro demonstrabimus, sed etiam in alijs similiter inuenitur, quæ tum differentias, tum affectiones densi spiritus cognoscat, quid adhuc deesse uidebitur ad demonstrationem? Si uero etiam in ipso prænotionum libro paulo inferius inueniri potest, quod & differentias non ignoret, & affectiones ipsas sciat, nonne credes adhuc amplius id quod propositum est satis esse demonstratum? At uero quod hæc ita habeant, neque mentiamur, ex ipsis uerbis uidere licet. Incipiam autem a libro de uictu in morbis acutis. In hoc libro statim in principio, de morbis circa pulmonem ac thoracem uerba faciens, hoc modo ait: Quibuscunque enim cibus statim conclusus est, si quis non subeuaquatis sorbitionem præbeat, dolorem præsentem utiq; exacerbauerit, & non præsentem statim induxerit, & spiritus densior reddetur. Malus autem hic est, resiccat enim pulmonem: & illa, ac pestinem, & septum transversum dolore fatigat. In hoc sermone primum quidem, quod propter dolorem densus fit spiritus ostendit, nobis opinor relinquens meditandum generationis modum, quem in primo horum commentariorum me dissoluisse manifeste puto. Quemadmodum enim f dolentibus cruribus, multum progredi nequimus: eodem modo, ubi quoddam organum ex his quæ in respiracionibus mouentur doluerit, parum respirare cogimur, & citius desistere cupimus. Quando enim simul cum temporis respiracionis longitudine extenditur dolor, qui citius cohibet motum respiracionem organorum, citius dolore liberatur. Verum quanto citius quam oportuit cohibetur, tanto ipsum animal defectuosius inspiracione participauit. Quemadmodum igitur si quis pauciores cibos quam ex usu sit accipiat, hic cito aliorum ciborum opus habebit: sic si quis minus quam ex usu est inspirauerit, hic citius inspiracione indigebit, & in hoc spiritum ipsum densari contingeret. Quo enim tempore inter actiones medio organa respiracionis cessantia requierunt, eo ipso nunc reuiciscere animal non permittit: tanquam enim singulas respiraciones defectuose respirans, semper etiam magis prope ad suffocationem accedit. Huius autem ipsius affectionis timore, citius respirare urgetur, & respiracionis organa citius quam oportet mouet, non permittens ipsis quiescere, in quantum quiescebant, quando secundum naturam habebant. Quando igitur Hippocrates ob dolorem, spiritum densiorem fieri dicit: uidetur autem per mediam paruitatem densitas ipsa generari, omnibus sane manifestum est, quod etiam paruitatem nouit. Quis enim tertium a primo nosse queat, si medium ignoret, & præsertim si ipsum tertio generationis causa existat? Et sane paululum progressus, ipsis suis proprijs uerbis aperte, paruitatem densitatis causam esse tradit, sic scribens: Etenim ipsum sputum intra retentum prohibet quidem spiritum intra ferri, cogit autem cito extra ferri. Hic alteram rursus causam docet generationis densi spiritus, appellauit autem ipsam in superioribus sermonibus respiracionum organorum coarctationem. Quod igitur in dolore nobis intelligendum relinquebat, hoc ipsum hic ipse exposuit. Quid est autem hoc ipsum? Multo, inquit, sputo circa arterias, pulmonis uidelicet, contento, & spiritus ipsius regionem præoccupante, spiritus circa inspiracionis actionem intra accedere prohibetur. Num igitur aliud quid est quam parua inspiratio id quod nunc dicitur? Non certe, si quidem iuxta copiam substantiam quæ inspiratur, magnitudinem respiracionis metiri oportet, uelut in primo libro est demonstratum: uerum si ob aliam quãdam causam cogi spiritum cito extra ferri dicit, quam ob inspiracionis paruitatem. Non est autem quod hoc dicamus, cum ipsa dictionis series sic habeat: Etenim ipsum sputum intra retentum prohibet quidem spiritum intra ferri, cogit autem cito extra ferri. Propterea enim quod latrone spiritus ad interna priuatum est animal, quiescere non permittit, ut quod de suffocatione periclitetur, & in hoc densus spiritus generatur. Neque enim conuenit ipsas nominum syllabas audire uelle, cum integri sermones perspicue dicantur: neque aliud quiddam esse putare, cito ad expirationem concitari, quam dense respirare: & aliud quiddam, prohiberi inspiracionem sufficienter fieri, quam paruam esse respiracionem. Verum hic quidem ipse Hippocrates manifeste exposuit quomodo in detento sputo densus fit spiritus, per mediam paruitatem. In dolore uero reliquit, ut opinor, propterea quod multis locis ipse dixerit, actiones organorum a dolore impediri, cum possumus nos etiam si ex illo non audiamus, ex manifeste apparentibus inuenire. Supra hoc igitur quod ambo hæc nos manifeste in hoc sermone docet, quod & dolor, & locorum coarctatio, paruam efficientia respiracionem, statim etiam densam reddunt: amplius & hoc edocet, quod non hæc solum sunt densi spiritus causæ. Primum quidem in eo quod dicit, Dicitur est autem sic in dolore ipsum. Hoc manifestum facit, quod ob aliam causam spiritus iam densus existat, densiorem fieri dicens ob dolorem, tanquam ut opinor & hic nos ratiocinari possumus, febrilem caliditatem ipsum omnino densum efficere. Secundo autem in eo quod dicit: A densis & multo spiritu, uelut iam dictum est, sputum crudo modo uiscosum redditum, ascensum & exitum fieri prohibet. Densi enim spiritus dolor causa est: multi autem non hic, sed calor febrilis. Ceterum hic ualde manifeste, non magni spiritus dixit, sed multi. Magnus enim quantitate circa singulas respiraciones iudicatur, Multum uero possibile est aliquando ex multis parujs coaceruari: & apparet sane hoc manifeste fieri in pleuriticis, qui magnum quidem spiritum semel ducere ob dolorem non possunt, quamuis pluri aere ob febre opus habeant: ob continuitatem uero actionis, æqualem multitudinem spiritus magnis

† Calaber dicat aliqui, quæ ob paruitatem inspiracionis, neque hoc est est dicitur. † Hæc ex cod. graecis erant addenda, quæ sunt in alijs interpretibus. Na cito ad inspirationem al expirationem progredi, nihil aliud est quam de se respirare. † Vide an hic locus in grecis est expletribus sit meob sus, neque a eiusdem uerba in Hippocrate legitur. Præterea Calaber ita uertit. Primo quid igitur dicitur quæ dixit in dolore facit id manifestum spiritum enim iam per aliquem causam existentem spiritum, ipsio rem dixit fieri propter dolorem. * σπῆρος. i. manifeste est in impressis, sed legendum est σπῆρας. i. spiritus ut et Calaber uertit.

A magnis respiracionibus coaceruant. Quod enim pauca magna, hoc multæ parua possunt. Eodem modo & in peripneumonicis multo quidem spiritu opus est, uerum ob locorum coarctationem parum inspiratur. Etiam hic igitur densitas multas paruas respiraciones efficiens, ad æqualitatem cum paucis & magnis redigit.

Nomina ipsa difficultum respiracionum, & magni & densi spiritus coniugationes, aliquot librorum Hippoc. locis explicari.

Cap. 6.

NVM igitur indigebimus adhuc inquisitione syllabarum ipsorum in hoc libro conscriptarum sic consequenter de parua & magna respiracione, non contenti rebus ipsis adeo manifeste ostensis? Atqui hoc non erat quæsitum, an Hippocrates parua ac magna respiracionis nomen nescat: reperitur enim tum in morborum popularium libris scriptum, tum rursus in prænotionum libro, ubi inquit: Magnus spiritus & per multum tempus desipientiam significat. Verum an duplicem nouit densum spiritum, & alterum ipsorum a dolore fieri dicat, alterum a caliditate multa in respiracionis organis coaceruata. Quando igitur hæc demonstrata sunt, superuacaneum est adhuc audire desiderare nominum syllabas. Quandoquidem & secundum hunc ipsum, quem in prænotionibus dixit sermone de desipientia, cuiusdam dicere licet, non rarum & magnum dictum esse spiritum qui ipsam desipientiam B indicet, & dictionem proferre hoc modo habentem: Spiritus magnus & per multum tempus desipientiam significat. tanquam sane non idem sit, aut rarum dicere, aut per multum tempus, aut quod nos nunc nomina uenemur, & non res ipsas quæramus. Ceterum quando sane quidam in tantum ad rem adsequendam rudes sunt, ut etiam ipsa nomina audire uelint, reuocabimus etiam ipsis in memoria duas quasdam dictiones, ex ipso de uictu in morbis acutis libro sic habentes: Spiritus offendens in sursum latrone densus aut magnus. Hic quidem habes, siquidem desideras, nomen ipsum magnus. Rursus autem est paruus, ubi ait: Et spiritus paruus, & reuulsio spiritus densa ac uiolenta accedit. Rursum autem in ipso prænotionum libro, difficulter ferre morbum inquit, & spiritum magnum ac densum esse. Hunc quidem igitur palam ipso nomine prolato, magnum & densum scripsit. Paruum uero & densum rursus in sermone de angina, ubi ait: Plurimumque dolorem exhibent & orthopnoeam, hoc est rectam spiracionem. Quod enim in orthopnoeis paruus & densus fiat spiritus, ob coarctationem respiracionis organorum, haud scio an quisquam ignoret. Atqui etiam si talia ab ipso Hippocrate discere uelimus, in libro quid de uictu in morbis acutis, in uerbis quæ paulo ante adscripsi, docuit nos quomodo paruus & densus spiritus fiat, iuxta sputorum cohibitionem. In libro uero de articulis statim in principio sermonis de spina dorsi enarrans luxationes in posteriorem partem, in locis supra septum transversum, C ex tumoribus aut morbis factas, hoc modo ait: (opinor enim præstabilius esse ut totus sermo ipsius adscribatur.) Quibus supra septum transversum fuerit in posteriorem partem luxatio, hic & costæ non uolunt in latitudinem augeri, sed in anteriorem partem, & pectus acutum fit, sed non latum, ipsiq; difficulter spirantes fiunt, & stertorosi. Minorem enim amplitudinem habent uentriculi spiritum suscipientes & emittentes. Nam & coguntur circa magnum uerticulum, collum habere in anteriorem partem luxatum, ut ne pronum sit ipsis caput. Coarctationem igitur multam faucibus hoc exhibet, cui accedit quod ad internam partem repit. Nam & rectis natura difficilem respiracionem hoc os exhibet, si intro repat donec repressum fuerit. Ob hanc igitur rem huiusmodi homines eminentis gutturis magis apparent quam sani. Tuberculosisque plurimum tales circa pulmonem sunt, ex duris tuberculis ac crudis. Etenim occasio luxationis in posteriorem partem, & distentio, plurimis ob eiusmodi collectiones fit, quibus sane uicini nerui communicauerint. In hoc toto sermone luxationem in posteriorem partem, ob tubercula in pulmone cruda & dura fieri dicit: difficultatem uero respiracionis ob coarctationem locorum: appellauit autem huiusmodi ipsius differentiam * stertorosam. At uero in libro de uictu in morbis acutis, quando eorum quibus in paruitatem & densitatem respiratio uertitur meminit, etiam hoc ipsum orthopnoeæ nomen apposuit, & stertere ipsos dixit. Quare etiam cum in libro prænotionum de angina narrans dixit, Plurimumque dolorem exhibent & orthopnoeam, non aliam quandam difficultis respiracionis speciem quam paruam & densam sic appellauit. Omnes enim qui ob coarctationem non sufficienter inspirare possunt, de suffocatione periclitantur si decumbant: & ob hoc tum thoracem totum, tum collum, rectum habere eos oportet, utpote cum non paruam auxilium ipsis ex huiusmodi figura accedat. Ampliora enim simulque longiora omnia respiracionis organa fiunt, partim quidem per rectam figuram in directum extenta, partim uero minus in sese concidere prohibita & impedita. Manifestum est autem etiam ipsum Hippocratem, sic ut nos nunc dicimus, de ipsis statuere ac pronunciarere, per hæc uerba ex libro de articulis iam ante relata: Ipsiq; difficulter spirantes fiunt & stertorosi. Minorem enim amplitudinem habent uentriculi spiritum suscipientes & emittentes. Omnibus igitur qui ob coarctationem locorum seu organorum difficulter respirant, etiam paruus fit spiritus, & ex necessitate sequuntur duo symptomata siue accessoria mala, stertorosa uidelicet respiracionis species, quæ sane & βέρυλον appellatur. & paulo ante dicta orthopnoea, siue spiratio recta. Et sane uelut de industria ipsa dissectans, alterum in prænotionum libro scribit, perniciosam anginis ipsum adesse dicens, alterum uero in libro de articulis. In prænotionum quidem libro, orthopnoeam, in libro uero de articulis, stertorosam respiracionem. Porro in libro de uictu in morbis acutis, ambo in idem coegit Hippocrates, sic scribens: Partim uero ab orthopnoea & stertore suffocati. Quod enim in libro de articulis βέρυλον, illud hoc

hoc in loco ¹⁹⁷ nominauit. Vtetur autem & alibi in suis scriptis utrisq; nominibus uelut idem indicare potentibus. Quandoquidem igitur adeo diligenter in libro de uictu in acutis morbis, de omni densi spiritus generatione enarrauit: nihil mirum est si caput tantum & summam totius sermonis in prænotionum libro conscripfit. Quod uero omnia exacte tradiderit de spiritu denso, nihil amplius opus habeo pluribus ostendere, uerum ubi hoc solum in memoriam reduxero, q; aut ob dolorem, aut locorū coarctationem, aut caliditatis multitudinem, densus fit spiritus: deinceps totum sermonem ipsius Hippocratis adscribam hoc modo habentem: Quibuscunque enim cibus statim conclusus est, si quis nō sub-
 euacuatis sorbitionem præbeat, dolorem præsentem utiq; exacerbauerit, & non præsentem statim in-
 duxerit, & spiritus densior reddetur. Malus autem hic est, resiccat enim pulmonem: & ilia, ac pectine,
 ac septum transfuerum dolore fatigat. At uero amplius dolore lateris continenter existente, & ad cal-
 factoria non remittente, ac sputo non exeunte, sed & crudo ac uiscofo permanente, si quis dolorem nō
 soluat, aut alium emolliendo, aut uenam secando, utrum tandem ex his contulerit, uerum pifanas sic
 habentibus exhibeat, horum repentina mors continget. Ob has igitur causas, atque alias huiusmodi
 adhuc amplius, hi qui tota pifana utuntur, septimo die aut etiam citius moriuntur, partim quidem
 mente moti, partim uero ab orthopnoea ac stertore suffocati. Tales uero ueteres syderatos esse puta-
 bant, ob hoc maxime, non minus autem quod & mortuorum latus liuidum reperitur, similitudine
 quadam ad plagam. Cuius rei causa est, quod ante solutum dolorem moriuntur: cito enim anhelosi
 fiunt. A denso uero ac multo spiritu, uelut iam dictum est, sputum crudo modo uiscofum redditum, ascē-
 sum & exitum fieri prohibet, sed stertorem facit in chartilaginosis pulmonis partibus detētum, & cum
 ad hoc res ipsa peruenerit, mortale ut plurimum existit. Etenim ipsum sputum intra retentum prohibet
 quidem spiritum intra ferri, cogit autem cito extra ferri, atque sic ad perniciem mutuo sese affigunt.
 Sputum enim retentum, spiritum densum facit: spiritus uero densus, uiscofum sputum facit, ac lubricū
 fieri & elabi impedit. Si quis hanc dictionem diligenti animaduersione in animum adsumat, ipsamq;
 saepe relegat, spero equidem facile eum persuasum iri ex his quæ dicta sunt. Quod enim non magna sa-
 pientia indigeat densi spiritus in suas differentias sectio, & q; ipsam perfecte in hoc libro antea conscri-
 perat, ob id sane in prænotionibus ualde breuiter perstrinxit, tanquam qui iam ad scientes rem omnē,
 uelut compendium quoddam sermonis faciat.

*Paruum & rarum spiritum, frigidamq; & calidam respirationem, omissa
 ab Hippoc. non fuisse.*

Cap. 8.

Tres quidem igitur iam nobis coniugationes difficultium respirationum inuentæ sunt. Decet autē
 adhuc quarta, in qua paruus & rarus fit spiritus. Cur igitur tandem ipsa relicta, frigidam expira-
 tionem scripsit? An quod non alia est parua simulq; rara, alia uero frigida? Manifestum autem hoc est.
 Contrariam enim ipsi magnam & densam, ex immoderato calore in respiratorij organo coaceruato
 generari demonstraui. Necessario igitur parua & rara his ipsis organo perfrigeratis erit. Et sane
 duo nobis dubia soluta sunt, nempe quod neque quarta difficultis respirationis coniugatio, parua uide-
 licet & rara, relicta sit, neque item calida. Calidam enim in altera densi spiritus parte, quæ a principio
 relata est, comprehensam habebimus: eadem est enim cum densa & magna: raram uero & paruam in
 frigida, nam rara & parua a frigida nihil differt. [Cur igitur tandem nō raram & paruam, sed frigidam
 ipsam scripsit? Quod primum quidem ab euidentiore accessione ipsam ostendere uoluit, deinde quo
 ostenderet causam ob quam ipsam perniciosam dicit, & tertio quod sic quàm celerrime nos intelle-
 cturos esse suspicatus est, eandem hanc nihil a rara & parua differre, & contrariam ipsi calidam nihil
 differre a densa & magna. Frigidus enim spiritus omnino rarus est & paruus, uelut etiam in secundo
 ostensum est libro. Densum autem & magnum, eum qui inflammationem respiratoriorum organo-
 rum indicat, haudquaquā quis dixerit, nisi etiam calidus efflatur. At uero & in eo quod apponit ad
 solum frigidum spiritum, quod ualde iam perniciosus est, manifeste ostendit quam sententiā de prio-
 ribus tribus respirandi difficultatibus habeat. Si quidem enim & ex illis aliquam perniciosam putat
 set, omnino utiq; adscripsisset. Num igitur extra periculum ipsas esse opinatus est? nequaquam, sed nō
 quidem perniciosas, non tamen extra periculum. Perfrigerari enim respiratorij organo palam perni-
 ciosum est, cum istic sane cor situm sit, quod principium & fontem infiti caloris esse scimus. Verum
 inflammationem multam esse in ipsis, aut dolorem, aut desipientiā, non omnino perniciosum est. Eius-
 modi. n. caliditas in multis acutis febribus coincidit: quot autem & quibus morbis dolor adsit, prædi-
 ctum est. At uero & ipsa desipientia non necessario perniciosa est. Quod uero ita de ipsis sentiat, mani-
 feste ostendit per consequentem dictionem ubi inquit: Facilem uero spirationem ualde magnam uim
 ad salutem habere putandum est, in omnibus acutis morbis, qui cum febribus sunt, & in quadraginta
 diebus iudicantur. Si. n. magnam uim ad salutem habere putauit facilem spirationem, certe non extra
 periculum semper, difficiles spirationes opinatus est. Quare aliæ quidem omnes respirandi difficulta-
 tes hoc solum habent, q; non extra periculum sint: postrema autem omnium relata, supra hoc q; & pe-
 riculosa est, & perniciosa, nō procul a morte hominem esse annunciat: ob id igitur non simpliciter per-
 niciosam ipsam esse dixit, sed etiam, ualde, apposuit. Et neque hoc rursus cōtentus, intulit tā, tanquam
 propinquam mortem sola hæc spirandi difficultas annunciet. Adeo. n. perniciosa est. ut mihi uideatur,
 q; neq; quicquam de ipsa scripsisset. Hippocrates, nisi omnem modum de respirandi difficultatibus recē-
 sere

A fere uoluisset. Quæ enim iam morientibus fiunt, ea nullum magnum momentum in prænotionibus ha-
 bent. Est autem bonorum medicorum opus, non quæ idiotis iam apparent præfagire, sed quæ ipsos la-
 tent, & cum nihil mali ager habere putetur, apparent. Verum cum omnes ex ordine difficultis spiratio-
 nis species scribere uellet, uidetur mihi etiā huius meminisse, & amplius adhuc propter magnæ & den-
 sæ oppositionem. Hæc igitur tandem hic finem habeant.

*Cur in prænotionum libro inæqualis respiratio & plurima, quæ ad prædicendum
 faciunt ab Hippocrate omittantur.*

Cap. 9.

Cur igitur nihil in prænotionum libro de difficultate respirationis inæquali scripsit? quæuis cogno-
 scat ipsam non solum in secundo & sexto morborum popularium, sed etiam in primo ac tertio, &
 amplius in libro de uictu in morbis acutis, & aphorismis, & alijs multis scriptorum suorum locis. In se-
 cundo. n. & sexto morborum popularium, iuxta præscriptam dictionem meminit ipsius, ubi ait: Dupla
 intra reuocatio uelut superinspirantibus. Et amplius in secundo morborum popularium, ubi enarrat quæ
 Lyciæ acciderūt, Spiritus intra duplicabatur, adscripsit. Hoc. n. nihil differt ab eo quod dixit, dupla in-
 tra reuocatio uelut superinspirantibus. In sexto uero, Si uero spiritus intus relinquatur, ait. Nam & hoc
 idem est cum eo quod in libro de uictu in acutis dixit: Spiritus offendens in sursum latione. Quemad-
 modum. n. quidam inspirantes non semel hoc faciunt, sed per cessationem ipsam actionē dissecāt, simi-
 liter ut pueri eiulantes: sic etiam expirantes. Quin & in his quæ in eodem libro post sermonem de bal-
 neis habentur, spirituum protensiones dixit, actionem dissecāt ostendens. In primo uero morborum
 popularium in Philisco, hoc modo ait: Huic spiritus, ad finem uelut reuocato. Similiter. n. vt, dupla intra
 reuocatio, etiam hic dictum est, reuocato. Rursus autem in Dromadæ vxore: Spiritus rarus, magnus, sta-
 tim reuulsus, inquit, Nā & hoc similiter dictum est. In aphorismis uero etiam quid significet huiusmodi
 spiritus edocet, sic scribens: In febribus spiritus offendens, malus: conuulsionem enim significat. Secun-
 dum rationem igitur in morborum popularium loco paulo ante citato, Dromadæ vxorem conuulsam
 mortuam esse dicit, in qua prædixerat: Spiritum magnum, raram, statim reuulsam. Vbi sane & maxime
 mirari licet, quomodo utraq; difficultis spirationis species, propriam ipsius affectionem indicauit. Non
 enim solū conuulsa est hæc muliercula, sed etiam delirauit, ut quæ non solum propriam conuulsionibus
 spirandi difficultatem haberet, sed etiam eam quæ est desipientia. Quare q; hanc inæqualē respirationis
 difficultatem Hippocrates nouerit, manifeste est demonstratum. Quod uero etiam in prænotionum li-
 bro eam rationabiliter reliquerit, uelut etiam multa prænotionis signa, consequenter fuerit dicendum:
 ubi prius in summa eius mentionem fecerimus, q; neq; de signis circa atates, aut regiones, aut horas,
 aut populares constitutiones, in prænotionum libro quicquam scripsit: & quidem integro libello de ae-
 re, locis, & aquis ab ipso scripto, & in aphorismis his omnibus in compendio relatis: Immo neq; de uri-
 narum iudicijs, quæcunq; in aphorismis scripsit, in prænotionibus recensuit: & neq; quæcunq; ad mulie-
 res pertinent in aphorismis scripta, ad librum prænotionum transtulit: quanquam & hæc, & alia multa
 in aphorismis relata, prænotoriæ medicinæ existat, uelut ipse suis ipsis uerbis indicat. In eo enim
 quod dicit, Si uero borealis fuerit, tussis, fauces, alui duræ, emittendæ urine difficultates, horrores, late-
 rum dolores, & pectoris. quando hic præualuerit, talia in morbis expectare oportet. Et in eo quod ait:
 Cum estas sit ueri similis, sudores in febribus multos expectare oportet. manifestum seipsum facit, q; ta-
 lia prænotoriæ artis partis esse iudicet. Expectare enim & sperare ac timere, & omnia huiusmodi uer-
 ba, prænotionis propria sunt. Et sane etiam in eo quod dicit: Si quidem hyems iqualida & borealis fue-
 rit, uer autem pluuiofum & austrinum, necesse est estate febres acutas, & lippitudines, & dysenterias fie-
 ri. manifeste hoc idem indicat, & multo sane magis, cum de urinis scribit in hunc modum: Quibus uri-
 ne crassæ, grumosæ, pauca, non sine febribus, multitudo ueniens ex his tenuis prodest. maxime uero
 tales ueniunt, quibus a principio, aut breui, sedimen inest. & rursus, Quibus urinae conturbatæ uelut iu-
 mentis, his capitis dolores aut adsunt, aut aderunt. Et rursus, Quibus in septima die iudicantur, his nu-
 beculam habet urina in quarta die rubram, & alia iuxta rationem. Similiter uero & quæ uesciæ ac re-
 num affectiones indicat, in aphorismis scripta sunt, in prænotionum uero libro relicta, iteq; alia oīno mul-
 ta, quemadmodum & huiusmodi: Morbis quibuscunq; incipientibus, si bilis atra aut sursum aut in-
 fra subierit, mortale. Dysenteria si a bile atra incipiat, mortale. Quibus in febribus sanguinis multitu-
 do undecunq; eruperit, his in refectionibus alui humectantur. Eiusmodi itaque & alia multa in apho-
 rismis scripta inuenire licet, ipsius prænotoriæ artis partis existentia. Cur igitur nihil horum in præno-
 tionum libro recensuit? Propterea sane q; de acutis morbis in illo docere proposuit, uelut ipse tum in
 principio, tum in fine libri dixit. In principio quidem ubi ait: Considerare autem sic oportet in acutis
 morbis. In fine uero ubi hæc uerba adscripsit: Hæc uero de acutis morbis dico, & his qui ex ipsis nascun-
 tur. Qui uero sint qui ex ipsis nascuntur, ipse Hippocrates rursus in eodem libro recenset: Hydopes ex
 acutis morbis nati omnes mali. Et rursus: Facilem uero spirationem ualde magnā uim ad salutē habere
 putandum est in omnibus acutis morbis, qui cum febribus sunt & in quadraginta diebus iudicantur.
 Nam & hic acutorum ex transmutatione mentionem facit, uelut, in libris de iudicialibus diebus de-
 monstraui. Quin & in alijs multis locis eius libri significauit, q; aut de acutis morbis, aut de his qui
 ex ipsis nascuntur, sermonem faciat. Velut etiam hoc loco: Sudores optimi quidem sunt in acutis mor-
 bis omnibus, qui in diebus iudicialibus fiunt. Et quid multis uerbis opus est? cū ipse manifeste in illo
 libro

fuit: ut tum ex his, tum ex alijs omnibus manifestum sit, eius constitutionis causam in pituitis putrescentibus factam esse, ita ut respiratoria organa illa permanserint, itemque ipsum os uentris: uerum ex inferioribus partibus initium impetus sui sumperint ardentes febres. Merito igitur ipsis neque magnus spiritus factus est, quemadmodum his fit quibus in pulmone & corde febrilis caloris multitudo congregata est: & paruus sane non erat omnino, utpote qui non dolerent, neque perfrigerati essent. Siquidem igitur paruus & sublimis nihil diuersum significant, iuxta rationem utique sublimis spiritus ipsis factos esse dicit, non tamen ualde. Post hanc uero constitutionem nullius deinceps difficilis respirationis Hippocrates mentionem fecit, usque ad illam dictionem quam primam omnium in principio huius libri apposui, cuius initium hoc est: Spiritus parui densi, magni rari. Hanc uero totam iam antea exposui. Tempestiuum igitur iam fuerit mentionem facere difficilis respirationis, ab ipso in aegrotis quodam consequenter conscriptæ, cuius nomen non expressit. Habet autem senis dictionis series hoc modo: Spiritus subdensus, illa dolebat, & respirans, & cum uertetur. Apparet autem & hic aeger testimonium præbere ijs quæ multoties a nobis sunt dicta. Quando enim illa siue præcordia cum respiratorijs organis coniuncta sunt, ob id ipsum sane dolentibus ipsis, subdensus spiritus erat. Atque hæc quidem difficilis spirationis genera in secundo morborum popularium scripsit. In quarto uero primum meminit uxoris Nicofrati in Cranone, quæ paruam & densum spiritum habuit. Deinde uxoris Antigenis anhelosæ non nuper factæ, sed à principio existentis, ut & tussiret semper: & de hac sane nulla quæstio fuerit. Verum de uxore Nicofrati in Cranone, ob id mihi uidetur paruam & densum spiritum apposuisse, quod delirauit. Dicitur enim iam sæpe est quod contrarius, hoc est rarus & magnus spiritus, delirij proprius existit. Quare quæstione omnino dignum est, cur hic quidem non fiebat, uerum ipsi contrarius, qui dolorum proprius est, paruus uidelicet & densus. Neque enim in narratione aegritudinis ullius particulæ dolorem aliquem factum esse apposuit, sed neque tumorem notabilem circa ilium, aut thoracem. Quid igitur est quod reuera illa habuit mali? Mihi equidem uidetur duplex morbi species circa hanc mulierculam à duplici principio constitisse. In eo enim quod desipuit, & collum, & os, & nasum conuulsa habuit: manifestum fit quod in capite causa aliqua ipsius morbi extiterit. Ex eo uero quod cibus intra conclusus erat usque ad decimam diem, & in urina reses eruinam speciem præ se ferebat, non paruam in hepate factam esse inflammationem existimo, per quam superna affectio uicta, non potuerit secundum se ipsam respirationis speciem effingere. Dicitur enim est & iam ante sæpe, quod iuxta præualentem affectionem ipsa difficilis respirationis species formatur. Hoc ipsum uero uel maxime indicat ipsius delirij paruitas, & ipsa adeo senis dicitio. Delirare enim ipsam dixit. Solet autem huiusmodi uerbo uti, ubi paruam læsionem indicare uelit: quemadmodum & hoc sæpe demonstratum est. Nihil igitur miri est, cum ipsa paruam quidem desipuerit, fortem uero inflammationem circa hepar habuerit, non ipsius desipientiæ, sed inflammationi propriam respirandi difficultatem euenisse. Atque ita sane de his habet.

Quid apud Hippoc. vox pneumatodes, ac de reliquis spirandi difficultatibus, ex quarto & quinto lib. de vulg. morb.

Cap. 12.

Quid uero cum pneumatodem aliquem factum esse dicat, intelligere oportet? Num eum quem in libro de uictu acutorum pneumatiam uocauit, ita ut pneumatodes & pneumatias idem significant? An per uocem pneumatodes is qui uentrem inflatus est, significatur? At uero quis sit pneumatias, in libro de uictu acutorum ipse manifestissime exposuit, cum prædixisset enim, Citò pneumatias [hoc est anhelosi] fiunt, statim conueniens infert: A denso uero ac multo spiritu. Atque hoc sane etiam statim in principio huius libri exposui. Ceterum quod in quarto morborum popularium habetur, considerandum est, ipsa dictione subscripta, quæ hoc modo habet: Vir metallicus, ilium dextrum intentum, splen magnus, alius intenta subdura, pneumatodes, decolor. Possibile est enim utrunque, & difficulter spirantem ipsum factum esse, ob illorum affectiones, & uentrem item inflatum fuisse. multo uero magis obscurus est qui deinceps sequitur aegrotus, sic habens: Temanei filius habuit quid spiritus, ut uiridantis palloris esset. Nam & huic quædam ualde mala hepatis affectio aderat, ob quam & difficulter spirare ipsum possibile erat, & uentrem item inflari. Color enim uiridantis palloris, male affecti hepatis signum est. Porro quod deinceps ab eo dicitur hoc modo: Maritus Lechus apud Sitodocum, arquato morbo infestatus, ad quem septima die ingressus sum, octaua moriebatur: neque mingens, neque egerens, illa magna & dura, & spiritus densus: nihil quæstione dignum habet. Duris enim non moderate, & magnis illis factis, rationabiliter densus ipsis spiritus erat. Verum penitus obscurum est quod continenter deinceps ipsius Lechus morbo dicitur est, hoc modo: Desinente autem febre, spiritus non est solutus. Qualem enim difficilis respirationis speciem habuerit, neque ipse manifeste indicauit, neque aliud quoddam eiusmodi accessorium malum siue symptoma scripsit, ex quo quis coniecturam facere possit de affectione ipsi facta. Atqui & post hanc paululum progressus, in hunc modum narrare incipit: Vxor Temanei pneumatodes. Potest enim difficulter spirans intelligi, potest etiam, quæ admodum plurimi ex narratoribus huius loci putant, iuxta illa inflata dici. Verum mihi sane uidetur melius esse, & fortassis necessarium, [inflatam iuxta illa dici, magis quam difficulter spirantem:] paululum itaque in narratione progressus, Et quodammodo facilius spirans, inquit,

Ita legitur cod. Græci. Sensus tamen (Vassæi seu-

tentia) est non inflatam iuxta illa dici, sed magis difficulter spirantem.

Aquit, tanquam qui iam prædixisset de ipsa quod difficulter spirasset. Quod uero pneumatodes appellare soleat eos, quibus densus est spiritus, dicitur quidem in superioribus est, sed & nunc manifestum est. Rursus enim in peius mutabantur huius mulierculæ, accessoria mala, & circa decimam sextam diem ipsam mortuam esse ait, densum spiritum habentem. Quin & quod post hanc conscriptus aeger, etiā ipse densum spiritum habuerit, ob illorum affectionem, ipsa dicitio manifestum facit, hoc modo habens: Filius erat mulieris ipsius Apœmanti fororis, illa magna, & splen, spiritus, egestio amaræ bilis. Quemadmodum enim pneumatodes, hoc est anhelosus, aliquando uocat, eos qui densum spiritum habent: sic quandoque etiam simpliciter, spiritus scribit. Nihil uero miri est, si magnis existentibus illis, spiritus densus fiebat. Nam etiam rursus progressus in ipso, denuo inquit, illa uero intenta erant, & sane erat etiam tussicula modice sicca. In uniuersum enim, ueluti diximus, quando aut tumor, aut dolor quispian in partibus iuxta illa constiterit, paruus & densus necessario fit spiritus. Quare neque hoc mirabile cuiquam uideri debet, quod etiam in ijs quæ post hæc sequuntur, cum antea dixisset, ilium submolle: apponat pneumatodes, hoc est anhelosi non ualde. Si enim Laparon Græcis uacuum & molle, hypolaparon autem subuacuum & submolle significat, in tantum sane difficulter spirabunt, in quantum partes circa ilium ipsis male habuerint. Moderate itaque ipsis affectis, moderate difficulter spirabunt. Quemadmodum B rursus inferius in eodem libro ubi in hunc modum scribit: Famulæ, quam recens emptam uidi, duricies in dextris erat magna, non ualde dolorosa: rationabiliter infert, & non ualde difficulter spirans. Si quidem enim duricies non ualde dolorosa erat, certe neque ualde difficulter spirantem ipsam esse uerisimile erat. Sic uero etiā in fine iam libri, de seniore narrans, atque præfatus, Mente motus est moderate, intulit, non ualde difficulter spirabat. Semper. n. iuxta magnitudinē causæ difficilē respirationē facientis, etiā ipsa difficilis respirationis magnitudo, producit. Verū hæc quæ de in quarto morborum popularium scripta sunt, quæ oia ijs quæ a nobis de difficili respiratione demonstrata sunt, abunde testimonium præbent. Porro in quinto morborum popularium, decimus quartus aegrotus hoc modo scriptus est: In Larissa Hippo sthenes peripneumonia apprehensus esse medicis uidebatur: erat autem nequaquam, uerum principio luctans, in duro loco cecidit supinus, aduersario ipsi illapso, & lauatus est frigida, & coenauit, & grauior factus esse sibi uidebatur. Sequenti autē febricitauit, & tussis apprehendit siccor, & spiritus densus. Deinde paululum progressus, Quando uero tussiebat, inquit, dolebat pectus & dorsum. Nihil itaque mirum est, sic affectis partibus thoracis, densum spiritum factum esse. Ceterum quod in fine sermonis habetur. Neque stertorem habuit, ad demonstrationem dicitur est, quod non fuerit peripneumonicus hic homo. Testimonium autem præbet hoc ipsum, ijs quæ statim à principio in hoc libro à nobis dicta sunt, quando hanc dictionem ex libro de uictu acutorum exposuimus: Partim uero ab orthopncea & stertore suffocati. Nonus deinceps & tricesimus aegrotus in quinto morborum popularium scriptus est, itidem & ipse densum spiritum habens. Adscribam autem & hic ipsam dictionem hoc modo habentem: Puer à mulo percussus uentrem & hepar, mortuus est quarta die, spiritum densum habuit, & non intelligebat quicquam, & febris corripuit. Non obscurum est in hoc, & peritonæum membranâ, alium ac intestina omnia amplectentem: itemque septum transuersum, unâ cum uentre & hepate inflata fuisse, & ob id etiam puerum delirasse. Verum iuxta delirium non habebat difficilis spirationis, speciem, maior enim affectio circa ilium, iuxta sese, ipsam respirationis speciem efformauit: minor uero penitus est superata. Hæc quidem in quinto libro morborum popularium habentur,

Reliqua quæ de difficultate resp. sexto libro de vulg. morb. continentur, ijs quæ ante dicta sunt, concordare,

Cap. 13.

Rursus uero ad sextum transgressi, cuius etiam iam antea communem ad secundum librum dictionem exposuimus, reliqua, sententias huc pertinentes recenscamus. Sunt autem fere omnes ex iam prædictis manifestæ. Etenim spiritum solum simpliciter scribens, in accessorijs morborum malis concurrentibus, pro difficili respiratione scribere demonstratum est, ea uidelicet in qua densus spiritus redditur. Eundem uero amplius densatum, anhelosum uocare, itemque anhelationem in consuetudine habet. Quare in sexto morborum popularium ubi inquit, Si spiritus intus relinquatur, respirandi difficultatem cum densitate intelligemus. Similiter autē & in muliercula in Cranone, in qua sic scribit: Splen natura magnus, febris ardens, rubicunda, spiritus, prædicta difficilis spirationis species accipiendâ est, in qua spiritus densatur. Quemadmodum etiam in filia Agafis puella. Quod uero differat densus spiritus ab anhelatione, manifeste indicauit, habet ipsa dicitio hoc modo: Filia Agafis puella existens, densi spiritus erat: mulier uero facta, ex partu non ita diu dolorosa existens leuiter, magnum onus sustulit, & statim quidem strepuisse circa pectus uidebatur: sequenti uero anhelationem habuit, & dextrum coxendicem doluit. Deinde consequenter, Spuebat spumofum, inquit, ab initio autem erant florida. Equidem ex toto accessoriorum malorum cōkursu manifestum fit, quod tuberculo in respiratorijs organis inueterato & ægre concocti rupto, hæc exuerit: & quod ob hæc tubercula densi spiritus fuerit. Porro inferius in eodem libro circa constitutionem, quam hoc modo incepit, Tussis coeperunt circa solstitium hybernum, Quibusdam uero & spiritus simul sublimis fiebat, inquit. Et sane quod sublimis spiritus est paruus & densus, in superioribus explicauimus: & profecto etiam anginas circa illam constitutionem factas esse ait. Male itaque sentiunt qui sublimē pro magno dicitur esse putant.

SECUNDA CLASSIS.

M propterea

propterea q̄ hic thoracem sublimem & eleuatum facit, ipsum plurimum distendens. Progressus autem paululum, pneumatis nominat quosdam, & dictum etiam de hoc est antea, quod aut inflatos, aut anhelos sic uocat. At uero qui deinceps scribitur, Spiritus obscurus, paruus est, & propterea non apparet, qualis & in interceptionibus spiritus, & in suffocationibus uteri concomitatur: atque huiusmodi quiddam uult etiam ex ipsa dictione indicare, quæ sic habet: Et spiritus tabescentibus obscuro mali, & non parientibus, & quicumque alij tales ab eadem constitutione. Mulieres etenim non parientes, sunt autem hæc omnino quæ non probe purgantur, maxime a spiritus interceptionibus apprehenduntur, quemadmodum sane etiam quæ diutius maritis sunt uiduata. Quare spiritus qui non manifeste insignes sunt, neque patentes, eos obscuros appellauit. Ex his igitur progressus quispiam inueniet, & citra meam ulteriorem opem, omnia alia de difficili spiratione dicta, tum in genuinis, tum in spuris Hippocrati inscriptis libris: quæquam nos ferme omnes genuinos in hoc sermone locos recensuerimus. At uero quando quidem & hi qui ad Thesalum filium ipsius referuntur, & qui ad Polybium generum, itidem artis Hippocraticæ sunt, & non procul ab his absunt ea, quæ Euryphontis esse uidentur, feruntur autem inter Hippocratica scripta: si mihi ocium contigerit aliquando maius, alium adhuc quartum adjiciam librum, in quo exponam ea quæ in reliquis Hippocrati inscriptis libris continentur, de respirationis difficultate. Nunc uero alijs rebus instantibus ac urgentibus, ad illa non transibo.

GALENI LIBER DE COMATE EX
HIPPOC. SENTENTIA.

Io. Baptista Rasario, medico, Nouariensi, interprete.

LIBRI ARGUMENTVM.

Quid comatis nomen apud Hippocratem significet, ac quæ nam eius natura sit.

Coma aliud Hippocrati significare, quàm somnum; uel in somnum propensionem. Cap. I.



VIDNAM apud Hippocratem comatis nomen significat? an propensionem in somnum, ut quibusdam interpretibus placuit: an somnum ipsum? an, ut aliorum fert opinio, somnolentam propensionem in somnum? nam & hoc nomen ei quidam imposuerunt, & iuncta appellatione sunt uocabulum interpretati. quidam nihil horum attulerunt, sed ueterosam in somnum propensionem ab ipso nominari coma arbitrantur, atque apud ceteros quidem ueteres scriptores nulum satis fide dignum testimonium comperies, ac licet illi nomen hoc aliam ad rem traducant, nihil tamen obstat, quo minus Hippocrates diuerso ab illis modo ipsum usurpet, ac ne longe abeam, apud poetam significare somnum uidetur: ut cum ait,

Molle mihi miseræ contexit lumina coma, & in illo loco,

Ipsi ego dein molli languentia comate texti Lumina.

Hippocrates tamen hoc uocabulo in hac uti significatione non uidetur, siquidem coma sæpe cum uigilia esse coniunctum, & phreniticis assidere confirmat, nam in principio prædictionum scripsit his fere uerbis, qui comatosi inquit, initio sunt cum capitis, lumbi, hypochondrij, colliq; dolore, uigilantes, igitur phrenitici sunt? in tertio quoque de morbis uulgaribus libro (petemus enim ab ijs libris testimonia, quos ipse ueros esse, constat inter omnes) scribit hæc. Undecima, mentis erat compos, sed comatosa, Hæc urinæ multæ, tenues, ac nigrae, in somnis erat, deinceps hæc subiungit. huius urinæ perpetuo nigrae, tenues, & aquæ fuerant: & coma eam comitabatur: cibum auersabatur, in somnis erat, animum despondebat, in quibus omnibus locis apparet cum uigiliarum & comatis facere mentionem. cumque eodem in libro alterius ægroti descriptione afferret dixit: Huic perpetuo, ex quo die eum ego conspexi, aluus turbata fuit, urinæ tenues, nigrae; comatosus, in somnisq; erat, quam ob rem est plane perspicuum, coma neque somnum, neque in ipsum propensionem apud Hippocratem significare. hinc, opinor, inducti quidam interpretes sunt, ut comatosos a uerbo κομᾶσθαι, hoc est comedere ad ebrietatem appellatos uelint: quod & comedentes, & comatosi uigilent, ac profecto ut comedentes non admodum quicquam annuunt, ita etiam comatosi, præsertim uero oculis: quos humidos, rubros, instabilesq; habent, & obuolutos, sed corporis motus in utrisq; fallaces sunt, & contineri corpus ipsum non potest, quæ causa fecit, ut ipse quoque Hippocrates de toto illo concursu dubitaret, nunc sint appellandi phrenitici, an aliud quidpiam ueretur enim eos phreniticos uocare, cum nondum delirent: uideat tamen omnia symptomata phreniticorum, ut capitis, lumbi, hypochondrij, & colli dolorem: & alia, quæ phreniticis comitantur: sed neque errasse, neque ignorasse quicquam is, qui ita affectus erat, comperiat. quanquam autem nemo, hæc non esse dicta probabiliter est dicturus, tamen eiusmodi sunt, ut mihi neque quatenus sint, neque cum demonstra-

A demonstratione dicta esse uideantur. erat enim ea sententia uerbis Hippocratis ipsius explicanda: ut non solum nobis dicere liceret, quæ illi attulerunt, probabiliter, sed etiam ad illius sententiam esse enunciatam. equidem puto, bonum interpretem non hoc solum intueri debere, si quid probabiliter, uereque dictum sit, sed etiam si cum scriptoris sententia conueniat: quod non est in superiore oratione obseruatum. quamuis quædam uocabuli pars sit ad senis mentem declarata ijs dictionibus, in quibus coma esse, uigiliam uidetur statuisse, ac putabit fortasse quispiam, se iam totam rem percepisse. sed si parumper expectabit, alias ex eodem tertio de morbis uulgaribus libro orationes audiet, ut non iam totam rem, sed ne dimidium quidem totius se comprehendisse perspiciat.

Coma apud Hippoc. & de uigiliis, & de somnolentia in somnum propensione dici. Cap. 2.

PERPende igitur, quæ de ægra muliere quadam memorauit: Alteram ex abortu circa quintum mensum, Oecetai uxorem, ignis corripuit. primo comatosa erat, rursusque in somnis uidetur enim coma opponere uigilia, eaque distinguere ut contraria. itemque in pestilenti statu ait, comatosi plerumque erant, & rursus in somnos. tum paulo post perpetuo aut graue coma plurimos comitabatur, aut leues, paruosque somnos dormiebant. itemque Thasi Parium, qui supra Dianæ templum decumbat, febris acuta inuasit, inter initia continua, ardensque. is sitibundus erat in principio, ac comatosus, & rursus in somnis. in quibus locis omnibus facit, ut coma uigilijs, contrario nomine opponatur: itaque si ita assuescas Hippocratis uerba exponere, plus millies ipsum, cum rerum contrariarum mentionem facit, ita scribentem: immo uero nunquam aliter comperies: ut sciri potest ex ijs, quæ ego pauca ex multis, atque ex eodem libro sumpta adscribam: siquidem præstat omnia exempla ex uno libro defumere. cum igitur duarum mulierum historiam ante pestilentem statum afferret, de priore scribit hæc: Aliam ex abortu circa quintum mensum, Oecetai uxorem, ignis inuasit, inter initia comatosa erat, rursusque in somnis. deinceps uero in pestilentia quamplures ægrotos describit, ac primum omnium eum, cuius ego feci modo mentionem: qui & uarijs modis, & inæqualiter ægrotauit: ac sæpe multas tum accedentes, tum recedentes, sponte sua in contraria mutationes fecit. exorditur autem hoc modo: Thasi Parium, qui supra Dianæ templum decumbat, febris acuta corripuit. sed ad hoc institutum nihil opus est primos dies commemorare. quare eos afferam, qui mihi sunt ex usu, undecimo, inquit, sudauit, at non toto corpore: perfrictio correptus est, rursusque statim recaluit, in quo planum est perfrictioni recalcationem esse contraria. tum pergit: duodecimo febris acuta, deiectiones biliosæ, tenues, multæ: urina suspensiones habebat, delirauit. decimo septimo grauiter laborauit. neque enim somni, aut febris producebatur. uigesimo sudauit toto corpore, in somnis, deiectiones biliosæ, a cibo abhorrebat, comatosus erat. uigesimo quarto, recidit. trigesimo quarto liber febre fuit: aluus non substitit, & item recaluit. quadragesimo febre liber: aluus substitit non multo tempore: cibum auersabatur, rursusque paulisper febricitauit. tum addit: nam si quando intermitteret ac leuaretur, iterum statim morbum repetijt. sunt enim contraria hæc, leuari, & morbum repetere. subdit etiam hæc: aluus adstricta, rursusque laxata. nam restringi & laxari contraria sunt. deinceps uero aliam ægram proponens, ait, octauo, proximisque diebus multum delirauit, rursusque ad mentem cito redijt. tum deinceps, uigesimo parum refrixit, ac rursus statim incaluit. itemque, uigesimo septimo, sine febre fuit, aluus constitit. non multo post dextræ coxæ dolor uehemens diu uexauit: ac febres repetierunt. deinde etiam sic, sequentibus diebus obmutuit: rursusque ad mentem redijt, locutaque est. sed quid pluribus uerbis opus est, dum singula commemoro, cum decies millies dena millia sint? tam multa sunt apud ipsum huius modi dicendi genera. quam ob rem cum ait, comatosus, & rursus in somnis, coma uigiliæ perspicue opponit. potes etiam uigiliæ opponere propensionem in somnum: ac nihil aliud, nisi alterum, apparet, quod rursus nomen comatis significat. quid autem, cum ait? detinebat, aut coma continuum, non somnolentum: aut uigilantes cum laboribus erant. est enim hoc dicendi genus Hippocratis proprium, ut significet eo modo consequi, nunc quæ consueuerunt: nunc uero quæ non præter rationem dicuntur. ut etiam cum ait, ardentes febres paucissimos corripuerunt: & minime ex ægris ij laborauerunt: nec sanguis de naribus, nisi paucis, & is quidem admodum paucus profluxit: neque delirabant. & non ita multo post: nec quenquam tum uidi, febre ardenti mortuum: nec in phrenitin incidisse. nam si sanguis copiose de naribus profluxisset, morbus mentem attigisset, & acuta pericula inuexisset: quibus occurrere nemo potuisset. id quod pari modo indicatur. & quod subiungit: nec quenquam in phrenitin incidisse, est eadem ratione pronunciatum. iisdem enim constitutionibus, iisdemque causis febres ardentes, & phrenitides excitantur. abundant autem æstiuo tempore, in locis calidioribus, atate florenti, calidioribus naturis, & simili uictus ratione, ac uitæ studijs: phrenitides uero abundare, par erat existimare. quocirca præter rationem fecisset, qui fallens significasset, phrenitidas nullas plane fuisse, ardentes uero febres multas. in eadem quoque sententia dicta sunt hæc: febrium ardentium, quæ tum erant, hæc fuit constitutio: principio comatosi erant, fastidiosique. in horrescebant: febris acuta erat: non admodum sitibundi: neque deliri. & paulo post: neque sanguis rite profuebat: neque ullus alius cõsuetus abscessus criticus fiebat. iam uero illa quæ sunt dicta? tubercula secundum alterutram auram multas, & secundum utraq; plurimis oriebant. atque ij febre carebāt, & recti stabāt

nonnullis aliquantum incalescebant: sed omnibus extincta sunt sine incommodo: neque cuiquam suppurarunt, ut quæ ex alijs occasionibus prorumpunt. est enim hoc re uera præter rationem, ut nihil suppurent; nec est in omnibus consuetum. tum subiungit. eorum hic erat modus, laxa erant, magna, fusa, non cum inflammatione. erat enim præter rationem, ut abscessus circa aures omnibus sine inflammatione exorirentur. quocirca hoc etiam loco coma esse somnolentam in somnum propensionem, uideatur declarare, cum ait, coma erat continuum, non somnolentum. cum enim somnolentum sit, & tale semper fiat, nunc cum tale non fuerit, tanquam præter rationem euenit, ideo indicauit. ceterum quod de Pythione in tercio de morbis uulgaribus ait, nono die comatosus, fastidiosusq; cum excitaretur: aperte uidetur nomine comatis propensionem in somnum quandam significare. sed fieri non potest, inquit, ut quis simul propensione in somnum teneatur, & uigilet. hæc enim mirifici quidam interpretes afferunt: ignari esse duo propensionis ad somnum genera, quemadmodum medici præstantissimi prodiderunt, & res ipsa attestatur. * utriusque commune est, ut attollere oculos homines non possint: sed grauentur ac dormire uelint. ceterum alterius proprium est, ut hi mox dormiant, ac profunde quidem, & diu: illi uigiles, uel futiq; * maneant: & uariæ semper rerum imagines eorum oculis obuersentur, quæ mentem moueant, somnumq; interrumpant. ex quo fit, ut uigiles illi quidem ut plurimum sint, de lecto tamen exire, & uigilantium obire munera non possint. sed profecto minus perfecte quid agunt, quam si uigilarent, porro grauantur, suntq; ad somnum propensi adeo, ut si eis hoc permittas, sperare queas, eos esse facile dormituros. at non modo non dormiunt, sed de omni spe somni, quam prius cõceperant, omnino decidunt. quocirca intelligere uel ex hoc loco potes, coma ueluti commune nomen esse, quod de utraque propensione ad somnum dicatur: præsertim uero de ea, quam propensionem ad somnum absolute uocare solemus: propterea quod si somnolentam propensionem ad somnum solum intellexeris, ideo in errore induceris, quia ita eam, quæ somnolenta non est, hoc non significari nomine statues: quæ tamen nihilo minus, quam altera, quæ somnolenta est, hac comatis appellatione continetur. siue igitur somnolenta sit siue non sit, eam Hippocrates uocare coma solet. neque ulla repugnantia est in ijs exemplis, quæ singillatim allata sunt. neque est alienum a ratione, ut tum in leuibus uigilijs, tum in somno coma inueniatur: siquidem propensio modo cum somno, modo sine somno hominem occupat. hinc efficitur, ut qui propensione ad somnum tenentur, eos uel solum infomnes esse, uel solum dormire non possimus dicere; sed differre, quod plures eorum dormiant; pauci, ita affecti, infomnes maneant. quare licet affectus utriusque sit, multo tamen magis est dormientium proprius. atque hoc est, quod ipse ait, comate non somnolento perpetuo detinebantur: perinde ac si coma, ut plurimum somnolentum esset. si uero coma est nomen utriusque commune, sed proprietate quadam somno magis conuenit, profecto merito fit, ut cum somnolentam propensionem ad somnum significare uult, ægrotum comate teneri, absolute dicat: cum uero propensionem sine somno, non absolute, sed cum additione sic, comate infomni tenetur. fuit enim utrunque Hippocrati perspectum, coma esse somno peculiare, cum sit somno magis simile: & idem non somnolentum quandoq; accidere. si hæc ita se habent, haud mirabile est, coma non modo lethargicis, sed etiam phreniticis contingere. quia in re illud scire cõuenit, coma somnolentum phreniticorum non esse proprium, etsi quandoq; illis eueniat: quandoquidem multos phreniticos uidere est, qui licet de lecto possint exurgere, oculos tamen attollere nequaquam ualeant: & lethargicorum more in eodem semper loco morentur. unde complures medici, sed indocti, quo nomine eos appellant, ignorant: eaq; in re ambigunt, putantq; hunc affectum & nomen non habere, & esse extraneum. sunt tamen ex eis nonnulli, qui ex phrenitide, & lethargo esse coniunctum affectum existiment, eumq; typhomaniam uocant. & quod etiam est omnium longe pessimum, quidam se Hippocraticos nosant, atque id ipsum sentiunt: cum tamen Hippocrates in tercio de uulgaribus morbis libro, quem & uerum esse Hippocratis, & haberi debere par est; adeo aperte, clareq; scripserit hæc: Nec quicquam phreniticorum insaniuit: quod alijs accidit: sed alia quadam segni propensione in somnum grauius peribant: ut declararit, non modo absolute propensionem in somnum phreniticis interdum accidere, sed etiã pigram quandam propensionem. si uero scire aueas, quid segni in somnum propensio in hac oratione significet, necesse est, in memoriam reuoces eam diuisionem, quæ est supra a nobis allata, cum aliam esse somnolentam, aliam non somnolentam: ac somnolentam esse propriam lethargicorum, eamq; illis semper iunctam esse: non somnolentam uero neque propriam esse phreniticorum, neque illis semper esse coniunctam, diceremus.

Comatis species duas esse: earumq; alteram lethargicis, alteram phreniticis contingere. Cap. 3.

Propensio autem somnolenta, ut ad hoc institutum pertinet, lethargicis: non somnolenta phreniticis solet accidere: quas dabo operam, ut distinguam, ut quam sit in uerbis Hippoc. differetia, facile percipias. neq; n. ipse in numero eorum habendus est, qui nota rebus temere imponunt: siquidem neq; casu quodam propensione segniem uocauit, neq; adiectiuus otiosus, aut superuacaneis usus est, ut Homerus facit, qui oleum humidum, & lac album dixit: cum tamen omne oleum humidum sit, omneq; lac album: sed eius in libris uocabulum quodq; syllaba denique ois aliquid significat. itaq; ubi de phrenitide uerba facit, quod in re proposita utile est docere eos, qui eius loquendi consuetudinem cupiunt perdiscere; ita interdum scribit: delirauit: interdum, amens fuit: interdum, intermisso spiritu locutus est: interdum, desipuit: interdum, non fuit apud se: interdum, insaniuit; insania tenebatur: non intelligebat: & obloquebatur. que

Quæ sequitur oia usque ad asteriscum absunt a Græcis lib. ulque prope finem tertij capiti.

A sane omnia inter ea numerantur, quæ ijs, quorum oblecta mens est, solent contingere: quos omnes desipientes licet appellare. Hippocrati uero satis non fuit, genus solum afferre, sed unicuique speciei, pro desipientiæ magnitudine proprium nomen indidit: ut etiam in febribus fecit: homo inquit, calefactus, coenauit: ueritus nimirum est dicere, tanto æstu iactatum esse hominem, ut non coenaret. cum uero febris magnitudinem uellet indicare, sic locutus est: mulierem, quæ in littore decumbebat, trimestri foetu grauidam, ignis corripuit. sed de his hæc tenentur. hæc enim satis sunt, ad declarandam huius uiri in usu uocabulorum diligentiam. nunc uero, ut gratum faciamus ijs, quibus hæc persuasimus, ad propositum reuertamur. duæ igitur sunt species propensionis in somnum, quarum altera segni appellatur, de qua mentionem Hippocrates nunc fecit: alteram nomine generis uocat: quod nomen est utriusque commune: & qui ita affecti sunt, maxime differunt ab illis, qui somnolenta propensione tenentur, quod hi delirent, & non consentanea loquantur, & sint ad surgendum promptissimi: quorum nihil in propensionibus lethargicis intuemur: quibus qui tenentur, ij neque priuatim, neque sapienter quid dicunt: sed difficulter sentiunt, neque acclamati, neque puncti facile excitantur. at coma, quod phreniticis corripit, id in somne est, & citra sentiendi, mouendiq; difficultatem: siquidem audita uoce, aut sono, qui ita affecti sunt, facile exurgunt. siq; eos in aliqua parte corporis quispiam contingat, oculos statim attollunt, & in tangentem intuentur. cum propensione in somnum correpti sunt, tum aut manus, aut crura mouent, iactantq; se toto corpore, ac repente se attollunt, mox reuoluuntur, ac desipientes nulla habita ratione more eorum, qui conuulsionibus tentantur, se se exagitant: & quædam minime consentanea effutunt. atque hæc quidem, & alia huiusmodi faciunt: cumque loqui uolunt, eorum stultitia deprehenditur. quorum nihil in lethargicis, qui propensione in somnum tenentur, cernimus: siquidem hi immobiles, ac ueluti muti perpetuo iacent: suntq; ijs, qui profundo somno immergi sunt, sane consimiles. qui uero sunt propensione in somnum oppressi, sed uigili, eorum quidam tantum, tamq; facile mouentur, ut neque ullam corporis partem uehementer mouendo, neque alta uoce inclamando deficiant. si eos excites, & alloquaris, torio te lumine intuentur, & magis a se abalienantur, & inferre malum tentant: & promptissimi ad audiendum sunt: nullaq; in re dissimiles illorum sunt, qui summo pere desipiunt. alijs contra accidit, ut cum surgunt, magis intelligant: nec multum moueantur. in quibus si coma persistere fines, eos magis, magisq; desipientes uidebis. atq; hac ratione hos ab illis internoscas, qui lethargica sunt propensione in somnum correpti. hæc q; est propensio in somnum, quam Hippocrates segniem appellauit. nunc uero, cum aperte cognouerimus, non solum propensione in somnum phreniticis affici, sed ea etiam segni, de qua potissimum dubitare quispiam poterat, ad aliam dubitationem accedamus, cuius si inuenta erit aliqua a nobis explicatio, iam quicquid ad comatis cognitionem pertinet, erit ex omni parte perfectum. dubitatio autem est huiusmodi. cum Hippocrates in principio prædictionum de ijs, qui comate infomni uexantur, meminisset, dubitat, utrum phreniticis, an quid aliud nuncupare eos conueniat. eius hæc sunt uerba: qui comatosi inquit, initio fiunt, cum capitis, lumbi, hypochondrij, colliq; dolore, uigilantes; igitur phrenitici sunt? est autem horum uerborum duplex scriptura: nam in quibusdam libris leguntur, ut nos modo recensuimus: in quibusdam uero ea particula, igitur phrenitici sunt, non habetur. sed prius fuit inquirendum, cur sint comatis duæ species, quarum altera semper lethargicis, altera interdum phreniticis comitetur. quocirca nunc Hippocrates dubitat, an ita affectos appellare phreniticis oporteat: siquidem hæc res non modo potest in controuersiam reuocari: sed etiã in promptu est, eius ut contrarium reperias. nam cum sint duo comata, alterum infomne, somnolentum alterum, hocq; quod soporatum est, sit lethargicorum proprium, profecto non debemus existimare, ut cum infomne scriptum sit, eo uerbo somnolentum coma significetur: quod infomne esse proprium phreniticorum uideatur innuere. at quomodo Hippocrates dubitat, cum illa cõiunctio, igitur, ad rationem cõcludendam, non ad dubitandum esse accommodata uideatur? equidem hanc ego fortasse explanationem utiq; probarem, nisi esset barbara, & ab omni Græcorum consuetudine abhorrens. cum enim neq; Hippocrates, neq; alius Græcus scriptor tali propositionum coniunctione suis in scriptis usus esse deprehendatur, cur ego coniunctionem, igitur, concludendi causa adhibitam esse concedam? nam prius, quam propositiones sumptæ sint, quibus ad ratiocinationem conficiendam utamur. easq; ad conclusionem accommodemus, ratiocinari non possumus. ut, uerbi gratia, (dicendum enim est, ut ijs etiam, qui se in arte differendi non exercuerunt, nostra clara sit oratio) hæc propositio, igitur dies est? & hæc, igitur hodie ueniet? habet illam coniunctionem igitur, qua dubitatur. si uero enunciante oratione id explicare, aut simpliciter, aut sine ulla demonstratione, dicam ad hunc modum: ueniet hodie: aut cum de demonstratione sic, si sol terras sua luce collustrat, igitur dies est: si ambulat, igitur mouetur. cum autem sine demonstratione aliquid enunciamus, nihil opus est ea coniunctione: propterea quod esset superuacanea, neq; ullus proprie enunciando sic diceret, dies est igitur: neque sic, igitur dies est: cum posset absolute dicere, dies est. quam ob rem si omnis demonstratio ex alijs propositionibus assumptis aliam assumptam propositionem comprehendit, nunc uero nullam assumptam propositionem ratiocinationis ad demonstrandum sumere Hippocrates uideatur, certe sequitur, eam demonstrationem non esse. est ergo declarandum, quomodo ea coniunctio igitur, & ad dubitandum, & ad concludendum ualeat. itaque dicimus, eam significare dubitationem, cum antepositur cum interrogatione: ad concludendum uero esse accommodatam, cum sine interrogatione inter nomen, & id quod de nomine enunciat, sita est. cum

est. cum enim dubitamus, hoc modo dicimus, igitur dies est? cum concludimus, dies igitur est. quocir-
 ca cum hac coniunctio sit præposita cum interrogatione, eam non ut conclusionis, sed ut dubitationis
 causam debemus interpretari: quia non ita ipse protulit, phrenitici igitur sunt: sed ita, igitur phreniti-
 ci sunt? quod in causa fuit, ut Hippocrates aperte dubitarit, neque ausus sit de his rebus quicquam fir-
 miter enunciare: quemadmodum sæpenumero fecisse deprehenditur. sed unum, uel alterum exemplū
 afferre sat erit, ne in re tā perspicua diutius immoremur. itaque in primo de uulgaribus morbis ait, po-
 stea uero omnes ij dysenterici facti sunt: igitur an urinas aqueas emiserint, spectandum est. quod hoc lo-
 co addidit, spectandum est, ne impudentissimo quidem concedet, ut coniunctionem, igitur, aliter acci-
 piamus, quam ut dubitationem significet. itemque in sexto eorundem librorum, post mictum inquit,
 concretio in pueris magis: igitur quia calidiores? in eodem libro prædictionum: in phreniticis inquit,
 alba deiectio, mala est, ut Archæcrati; igitur & ijs pigritia comitabitur? præterea cum ait, in uocis ua-
 cuitate spiritus promptus, ut est in ijs, qui stragulantur, prauum quiddam est: igitur hoc delirium por-
 tendit? quare, si finem dicendi facere par est, neque quisquam alius Græcus auctor hac coniunctione
 igitur, unquam ita est usus, neque etiam ipse, ut ego nūc docui, Hippocrates: certe efficitur, ut ego qui-
 dem puto, eos reprehendi merito posse, qui ipsam, non ut causam dubitationis afferret, esse in oratione
 collocatam exposuerunt. uideo tamē me difficiliorem orationem reddidisse: cum enim somnolenta in
 somnum propensio sit a non somnolenta distincta, ad sitq; etiam phrenitis, sit, ut merito dubitare, neq;
 firmiter tales homines esse phreniticos enunciare uideatur.

*Hucusq; nā-
 cus est lib.
 græ.

*Cur Hippocrates in primo prædictionum non ausus sit comatosos insomnes
 appellare phreniticos.*

Cap. 4.

Verum quia ueritatis, potius quā difficultatis uerborum esse mihi habendam rationē proposui, ideo
 eam coniunctionem esse dubitationis causa additam fateor: ac causam quoque subiungam, cur
 Hippocrates illos, qui ita affecti sunt, phreniticos non ausus sit appellare: sed dubitarit. nam quæ pri-
 mo loco in dictione illa sunt posita, totam orationis uim continent: quæ pleriq; interpretes, ut temere
 adiecta, prætermittunt. simile quidpiam multis morbis incipientibus euenire solet: ut in quibusdam
 ebrijs uidere licet: cum comatosi sunt, & titubant, & capitis grauitate tenentur, neq; si cogantur, attol-
 lere palpebras possunt: hanc ob grauitatem, affecti tædio se se iactant atque conuoluunt, & modo in
 hanc, modo in illam se faciem mutant, ut dormire non queant. quæ sæpe in ebrijs cernimus, cum caput
 crapula repletum est, & simul ex grauitate in coma trahitur, simulq; a somno arcetur. quo sane modo cū
 humorum in coctorum copia caput occupat, uno eodemq; tēpore & uigiles, & comatosi sunt. siq; mor-
 bi initium sit eiusmodi, interdum recte † afficiuntur: uelut si ex uino talis eis affectus contigisset. sed ita
 neque lethargus, neq; phrenitis consecuta est. quandoq; autem humorum copia acris est reddita, & in
 phrenitida terminauit. ac multis pars eius tenuior aut concocta, aut per halitum discussa, est euacuata:
 crassior uero remansit: itaque lethargus est exortus. si uero is morbus progrediatur, talis affectio, ut nos
 demonstraui, iam proxime ad phrenitidem accedit: sed, ut illi existimant, qui affectum ex lethargo
 phrenitideq; conflatum introducunt, magis affinis lethargo uidebitur. utrum autem eos, qui ita sunt
 affecti, an qui paulo post sunt futuri, uocare phreniticos oporteat, nec ne, est alterius tractationis: quæ
 cum alijs de causis, tum uel maxime, quod uerbum illud, sunt; ad eam particulam, igitur phrenitici, qui-
 dam addunt, quidam non adscribunt, ad institutam rationem nihil pertinet.


† V. l. habet
 τρυφή: i. cōco-
 quit, ut ad co-
 piam humorū
 referatur.

FINIS SECUNDÆ CLASSIS.

REGISTRVM,

A B C D E F G H I K L M.

Quaterniones omnes, præter M duernionem.



Venetiis, apud Vincentium Valgrifium .